


BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
2 A
25

NOVUS CANDIDATUS RHETORICÆ,



Altero se candidior comptiorq;,
non APHTHONII solum Progymnasmata ornatiùs concinnata; sed Tullianæ etiam Rhetoricæ Præcepta clarius explicata repræsentans Studiosis ELOQUENTIÆ Candidatis.



Accessit nunc primùm Dissertatio
de PANEGYRICO,


Auctore P. FRANCISCO POMEY,
è Societate JESU.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.
Editio prioribus correctior.





NORIMBERGÆ,
Apud MARTINUM ENDTERUM,
M DCC XI.



(c)




LECTORI CANDIDO.



INVERTI in hac Editione postrema, quam haud ex vano novam dixerim, ac primùm adeo non nova solum habet multa, sed etiam multò sanè meliora, quæ desiderabantur in aliis: Inverti, inquam, non perverti ordinem superioribus in editionibus stabilitum. Hanc enim auspicor, undè illas clauseram, videlicet ab Aphthonii Progymnasmatis, utq; non sine gravi causa

fuerat prior ille à me ordo ſtatutus, ita non ſine graviori ratione fuit à me nunc immutatus. Mos eſt in Collegiis noſtris, Aphthonium in Humaniori Schola, priore ſemeſtri; poſteriore verò Elementa explicare Rhetoricæ; indè propterea exordiri hunc Librum placuit: quia verò quæ de Periodo, de Figuris, de Amplificatione tradidi, Rhetores præcipuè ſpectant, idcircò poſt collocanda cenſui. Adjunxi autem in fine Diſſertationem de Genere dicendi Demonſtrativo, *ubi quæcunque Panegyricum attinent, ſatis, niſi me fallo, dilucidè reperies enucleata.*

CAN-





CANDIDATIS ELOQUENTIÆ.




QUEMCUNQUE præferatis veste colorem, HUMANIORUM MUSARUM ALUMNI LECTISSIMI, *Candidatos* dicam *Eloquentiæ*, vobis CANDIDATUM RHETORICÆ dedicans, Scitis prætextam apud Romanos veteres solitos induere candidam, qui honores in Republica peterent; hujusque modi ac coloris insignes habitu suffragia rogasse in comitiis, & prehensâsse Magistratus. Haud opus est priscum illum morem alba cum veste induatis, vos ut appellem


Candidatos. Nihil in vobis præter ingenii candorem requiro, Candidi; solem requiro diligentiam, ut consequamini quod ambitis. Ambitis enim, dissimulare non potestis, & vel attrati, (si quis fortè vestrum attratus est) quotidie Candidatorum obitis officia. Quid enim aliud, quæso, agitis, dum per Campum non Martium, sed Apollineum circumcursatis, frequentes & assidui, non paucis diebus, sed multis annis? Dum Latii primores, Reique publicæ literariæ Senatores & Consules convenitis, rogatis, osculamini, deducitis domum, reducitisque in comitia; & favoris captandi causa eorum dicta scriptaque laudibus effertis, prædicatis. Orationis elegantiam, majestatem extollitis, splendorem celebratis, sententiarum expenditis pondus, verbaque singula colligitis, memoriæque commendatis? Ambitis, inquam, prehensatione illâ continenti & sedulâ supremam in Reginæ Suadæ curia dignitatem; nec ambitionem tegitis

vestram:

vestram: Nam quid esset cur tegeritis? In hac Republica virtus est, non crimen, Ambitus; reorum loco sedent qui non ambiunt; moderatio hic probro vertitur, privatæque vitæ amor, odium est publici boni. Neque verò verendum est, ut vos de Ambitu quis arguat, arceatque aditu honoris, ad quem vos parentes educant, & patria evectos cupit. Ego certè vestram hoc in genere ita laudo cupiditatem laudis honestissimæ, ut omni etiam, si qua in his comitiis valeo gratiâ, velificari omnium votis, meorum sit votorum maximum; nec voce hortari solùm, sed stylo etiam stimulare singulos, ut nullum faciatis prehensandi finem. Idcircò meum hunc vobis CANDIDATUM RHETORICÆ offero, qui, ut habet in mandatis, per omnes vos deducat Latinas Tribus & Centurias; doceatque; quibus sint verborum urbanitatibus demerenda suffragia, qua circuitione Figurarum, quibus sententiarum officiis, quo ornatu & Orationis

ambitu sit ambiendus obtinendusque, quem postulatis, summus honor: denique vobis indicet, qua possitis arte fieri de Candidatis Purpurati, Patritiiq; de plebeis, & ab humilibus Grammaticæ subsellis sublimia Oratorum suggesta scandere, abjectaque puerili prætextâ, inter Patres Patritios Eloquentiæ consistere. Hunc igitur pro ingenita vobis comitate humaniter accipite, Humaniorum Litterarum Studiosi, & studenti vestris commodis ac gloriæ, vicissim Studete, semperquè Valete.







NOVUS CANDIDATUS.

PARS PRIMA.

APHTHONII PROGYMNASMATA.

APPARATUS AD FABULAM ET NARRATIONEM.

QUia *Narratio est quoddam Genus,* Fabulam & Historiam *tanquam partes complectens: seorsim explicanda esse duxi, quæ non minus Fabulam spectant, quam Narrationem, Virtutes enim, ut mox dicam, & Ornamenta, quæ vulgo historicæ ac veræ Narrationi tribuuntur; & Fabulæ quoque, quæ fabulosa Narratio est attribui debere nemo neget, ut ex arte fiat. Itaque ea hoc loco exponamus, quæ tam Fabulæ, quam Narrationi conveniunt; imò quæ etiam ad ornatum cæterorum Aphthonii Progymnasmatum valere non parum possunt.*

CAPUT I.

Virtutes Narrationis generatim sumptæ.

QUæ sunt virtutes Narrationis generatim sumptæ, hoc est, seu veræ, seu fictæ ac fabulosæ.

R. Hæ quatuor: Brevitas, Perspicuitas, Probabilitas, & Suavitas.

Quo pacto erit brevis Narratio?

R. Si nihil afferatur quod sit superfluum.

Profer Exemplum.

R. En. *Cum ensem, quem adolescens ille suspenderat in quodam domus suæ angulo, arripuisset, illum strinxit, & inimicum insectatus est, tandemq; comprehensam percussit, atque interfecit.* Hæc narratio nugatoria est, & ineptè longior. Brevis esset, ac melior, si ita diceres: *Arrepto gladio fugientem assecutus inimicum interemit.*

Quomodo reddetur Perspicua?

R. Perspicua seu clara existet, si verbis usitatis propriisque constet: si iteretur rerum & personarum nimia multitudo: si longiores omittatur verborum ac sententiarum circuitus: si denique tollatur omnis ambiguitas.

Da Exemplũ, in quo appareat hæc ambiguitas.

R. Do. *Cùm constaret Privignum occidisse Vitricum domi suæ dormientem, ad judicem ejus nomen delatum est.* Quid obscurius? Nam quæso, uter est interfector & interfectus? Et illa domus cujus est? Privigni, ac Vitrici? vaticinare.

Qua ratione fiet probabilis Narratio?

R. Probabilis reddetur seu credibilis, ac verisimilis, si nihil contra decorum peccabitur; hoc est, si nihil dicetur, quod non conveniat personis

ac

ac rebus; nihil quod loco ac tempori non congruat.

Prome Exemplum.

R. Si diceret quis, *Pictorem se vidisse utroq; orbatum oculo, praeclaras imagines coloribus exprimere solitum.* Careret illa Narratio probabilitate, id enim fidem superat.

Quomodo suavis erit?

R. Primo; Si verbis uteris elegantibus, nitidis, lectis & sonantibus, ipsiq; rei quae narratur, maximè congruis. Secundo, si in ipso Narrationis decursu expectationes concitabuntur; si motus animi interponentur, & laetitiae, metus, iracundiae &c. si colloquentes personas induxeris; si deniq; exitus occurrent inopinati ac felices: quo vel audienti vel legenti accedere jucundius nihil potest.

Declara id exemplo quodam.

R. Non exemplum erit, sed exempli particula, de more Ciceronis. *Popilius ad lecticam, qua Cicero vehebatur approperans, stare jubet Lecticarios, extractumq; Ciceronem obtruncat.* Haec narratio insuavis est; ei Suavitas conciliabitur, si motus quosdam & colloquia inseres, hoc modo. *Ut eminus lecticam Ciceronis aspexit Popilius, ad illam citato cursu contendit; stipatus, ut erat armatorum militum globo; atq; ubi audire vox potuit, clamans, manumq; protendens: State, inquit, Lecticarii famuli. Exterriti parent illi, lecticam milites cingunt. Tum minaci voce Popilius: Ubi herus vester? ubi Cicero? qui audiens se nominari, seq; unum peti, profert è lectica caput, & Popilium irato vultu intuens: En, inquit feri carnifex, hoc caput amputa & ad Antonium defer. Ille nihil cunctatus gla-*

dio quem tenebat, cervices abscindit. Narratio ista nonne primâ illâ suavior est ac venustior?

CAPUT II.

Ornamenta Narrationis.

QUæ sunt Narrationis Ornamenta?

R. Ea, sine quibus nuda, simplex, incompta, & injucunda Narratio est.

Quotuplicis sunt generis?

R. Duplicis: Alia sunt in verbis posita: alia in sententiis.

Ornamenta in verbis posita.

Quænam illa sunt ornamenta, quæ in verbis sita sunt?

R. Hæc præ cæteris.

Primum.

Verba hæc, *inquit, ait*; & sic quæ similia sunt, aptè reliquæ dictioni alligantur; quod fit, cùm nec initio, nec in fine sententiæ ponuntur, sed post unum alterumve verbum, hoc modo:

Tum ejus mater: Non sum, inquit, nescia, unde venias; id de odore satis intelligo: Cum ille è caupona se venire fassus esset: Censesne, inquit, tantum dedecus me laturum diutiùs? Quid enim commisi mali? reponit ille. At mater: ô impudentem! inquit, etiam quærit, quid mali commiserit furcifer? Hic filius convicio exasperatus: Mene, ait, habes mater famuli loco? Cui illa: Non famuli, respondet, sed nequissimi mancipii. Siccine verò, inquit ille, filium amas? Siccine verò refert illa; tu matrem colis?

Habes in hoc exemplo omnes ferme connectendi particulas, quoties colloquia in Narrationi-

tionibus fieri necesse est. Advertendum tamen, his vocibus, *ait, inquit*, & similibus, plerumque præmitti participia. Ut:

Cæterum Imperator, sicut curru eminebat, dextrâ lævâq; ad circumstantium agmina oculos manuque circumferens: *Adeste, inquit, milites erigite animos victoria nostra est.*

Ergò primos ordines, ut pulchre sedebat in equo, obequitans Alexander simulq; ad confertos cuneos protendens *manus: certandum, inquit, commilitones.*

Secundum.

Præsens tempus pro Præterito in Narrationibus eleganter usurpatur, Ut:

Philodamus rogat Rubium, ut quos ei commodum sit, ad cœnam vocet, ille suos familiares invitat, maturè veniunt discumbitur, fit sermo inter eos, & invitatio ut Græco more biberetur, hospes hortatur poscunt majores poculis, celebratur omnium sermone lætitiaq; convivium.

Cum mulierem adiisset, rogat, domum illam sibi vendat: negat illa primum: at ille urget: Quid multa? emit homo cupidus & dives; præsentem numerat pecuniam; eâdem die supellectilem importari imperat. jubet conduci bajulos & carrucas.

Observa in hoc ultimo Exemplo, Nominativi verbo postpositi elegantiam his verbis: *Emit homo cupidus ac dives.* Dicas similiter: *Vendit mulier callida & avara: Simulat vafer adolescens se non audire.* Quos nominativos aliter sic recte exprimas: *Emit homo nimirum callidus, & bene numeratus; vel, quem harum ædium cupidissimum esse constaret.* Et sic deinceps.

Tertium.

Plures infinitivi sæpe congeruntur suppresso verbo, unde regi possunt; suppressis etiam aliis quibusdam vocibus ac particulis, ut in hoc Exemplo videre licet, quod habet Tullius, exponens
6. in quo pacto Verres candelabrum gemmeum Regi
Ver. 65. Antiocho per fraudem eripuerit, cum illud rogâsset afferri domum suam perspiciendi causa.

Affertur candelabrum à Regis domesticis ad Verrem, qui cum jam satis illud perspexisse videretur, illi tollere incipiunt, ut referrent. Iste ait se velle illud atq; etiam considerare; nequaquam se esse satiatum: jubet illos discedere, & candelabrum relinquere. Sic illi tum inanes ad Antiochum revertuntur. Rex primo nihil metuere, nihil suspicari (subintellige *poterat*) *Dies unus, alter, plures,* (Subaudi *abeunt*) *non referri: Tum mittit Rex ad istum si sibi videatur, ut reddat. Jubet iste postridie ad se reverti: mirum illi videri;* (supple *incipit*) *mittit iterum: Non redditur, ipse hominem appellat; rogat, ut reddat, &c.*

Quartum.

Participia & Verba ejusdem Temporis nonnunquam scitò conglobantur.

Quid memorem illo bello eversas ædes, direptum ærarium, expilata templa, exinanitas urbes, exhaustam provinciam, villas incensas, abacta pecora, &c. Quid non agebat, quid non moliebatur, ut id honoris consequeretur? ibat, redibat, circuibat, concursabat, præhensabat blandè obvios hos salutationibus, illos amplexibus, alios fatigabat osculis, nunquam cessabat, nunquam quiescebat.

Huc

Huc referri possunt obliquæ Orationes, quæ multum quoq; venustatis Narrationi afferunt.

Sic Livius, ubi narravit Fabios Romanorum nobilissimos, ejusdem nominis ac familiæ trecentos se obtulisse ad pellendum hostem à castro, quod invaserat, hæc subjungit: *Lib. 2. Dec. 1.*

Quid verò populus Romanus tollere in cœlum Fabiam gentem, (subaudi *cœpit*) *irent faustis avibus in hostes Imperii; opponerent se aleæ & periculo omni; gererent bella Reipublicæ. Si plures tales familiæ existerent, nullos brevi Romanis hostes fore.* In hujusmodi locutionibus subintelligitur hoc verbum: *hortari eos cœpit populus, ut irent, ut se opponerent, &c.*

Ornamenta in Sententiis posita.

Quænam illa Ornamenta sunt, quæ in Sententiis consistere dicis?

R. Sunt Figuræ quædam nobiliores, quæ si suo ponantur loco, Narrationem mirum quantum illustrem reddunt. Hæ verò ferè adhiberi solent.

HYPOTYPOSIS. Ut: *Inflammatus irâ egreditur domo, ardebant oculi, emicabat ab ore furor, horrebant capilli, &c.*

DUBITATIO. *Quid aget misera? quam se in partem conferet? ad quem confugiat? cujus opem imploret? patris? in vincula conjectus est. Fratrum? abducti sunt in servitutem. Propinquorum? aufugere omnes.*

SUSPENSIO. *Quid deinde factum censetis? Captam esse puellam illecebris? nullo modo. Cessisse minis? non cessit. Vim passam esse? non passa. Quid igitur facere potuit columba imbellis in-*

ter ungues accipitris: dicam, audite: Excisam sibi linguam in os impudici expuit; quo ille telo ictus victusq; cessit loco.

COMMUNICATIO. *Qui hæc legis, quid quæso ageres si ejus loco esses? quid consilii caperes?* Vel: *Quæro à vobis qui hæc auditis, si vestra res in eo essent loco, quid vobis agendum esse censeretis? fugam arriperem, inquiet aliquis, nec resistere auderem: At hic Adolescens restitit, certamen iniit, adversarium armatum inermis abjecit.*

EXCLAMATIO. *Filiam exturbavit nuptiali thalamo, & genero nupsit. O mulieris scelus incredibile! O libidinem inauditam! non timuisse hominum famam? non dedecus æternum? non Furiarum ardentes tædas?*



PROGYMNASMA I.
DE FABULA.

HActenus *Narrationem spectavimus generationem acceptam, prout scilicet res tam fictas quam veras explicat. Cum res sunt fictæ.* Fabula *dicitur; cum veræ,* Narratio *proprie nuncupatur.* De illa primum, tum de ista agendum videtur, ut institutum ab Aphthonio servemus ordinem.

Fabulæ Definitio ac Nomina.

QUid est Fabula?

R. Est sermo falsus veritatem effingens,

gens, hoc eſt, falſa quidem & ficta narratio eſt; at ſub fabuloſo verborum cortice veritas ſemper latet aliqua, & utilis ſenſus.

Quas appellationes vulgò ſortita eſt?

R. Varias: nam modo *Sybaritica*, modò *Cilix*, modò *Cypria*, modò *Æſopica* dicitur.

Unde *Sybaritica* nomen traxit?

R. Quod Sybaritica Græciæ populi, effœminati ac molles, fabuloſis, parumque pudicis ſermonibus oblectarentur. Eos certè nonnulli ſcribunt delitiis immerſos, luxuque defluentes adeò exhorruiſſe vel umbram laboris, & cujuſcunque levioris incommodi, ut nullum opificium admitterent in urbes, quod cum ſtrepitu exerceretur; imo edicto caviſſe, ne quis gallos gallinaceos intra urbem aleret, quod eorum cantu abriperetur dormientium ſomnus. *Athen. I. 21.*

Cur *Cilix* vocata eſt?

R. Quod Cilices Aſiæ populi ob corruptos mores fabularum vanitate paſcerentur, anilibuſque commentis ita mendaciis aſſueti, ut in proverbii locum abierit: Κίλιξ ὐ ῥαδίως ἀληθεύει, *Cilix haud facile verum dicit.*

Quare *Cypria dicta?*

R. Propterea; quod apud Cyprios Cyprum inſulam incolentes fabulatores magno in loco eſſent, & magnus fabularum uſus.

Quamobrem *Æſopica* appellata eſt?

R. Quid rogas quod neminem latet? quis enim neſcit, Æſopum omnium ingenioſiſſimè ſcripſiſſe fabulas? easque teri ſolitas omnium manibus; ſic, ut haberetur ille olim ignariſſimus, qui eas non didiciſſet. Ex quo etiam natum illud adagium: *Ne Æſopum quidem trivisti.*

Fabu-

Fabulæ Veritas.

Quot sunt genera Fabularum?

R. Variæ. Aliæ siquidem dicuntur *Rationales*, aliæ *Morales*, aliæ *Mixtæ*.

Quid vocas *Rationales Fabulas*.

R. Illas, quibus quidpiam fingimus ab homine dictum vel factum, quod revera neque dictum, neque factum fuit.

FAFUBLA RATIONALIS. Da Exemplum aliquod.

R. Libens dabo. Medicus ægrotum curabat, quem deinde mortuum cum efferri videret ad sepulturam: si vino, inquiebat clamans, hic abstinuisset in morbo, nequaquam obiisset. Cui circumstantes propinqui: næ tu, responderunt, stulte sapis, qui post mortem morbo præscribas medicinam.

AFFABULATIO. Nempe succurrendum est laboranti, cum tempus est.

Quas dicis *Morales Fabulas*?

R. Quæ morem, seu naturam & indolem belluarum exprimunt, valentque ad hominum mores informandos.

Da Exemplum.

FAFBULA MORALIS. R. En brevissimum. In theatro cum invenisset aliquando vulpes personæ larvam: & præclarum inquit, caput, si cerebrum haberet!

AFFABULATIO. Quæ fabula in illos convenit, quibus honorem & gloriam fortuna concessit; quibus item eximiam corporis speciem natura tribuit, sensum verò communem abstulit.

Quæ vocantur *Mixtæ*?

R. Quæ ex rationali & mixta compactæ sunt, id est, in quibus homines cum belluis sermocinari finguntur.

Cedo

Cedo Exemplum.

R. Mustela ab homine prehensa, cum instantem necem effugere vellet: ah! quæso, inquit, mi homo parce, cur necare me vis, quæ tibi muribus purgo domum? Id tu, respondit ille, mea causa præstares, ac non potius tua, gratum accideret quod facis, veniamque darem supplici; at quod mures occidis, ut gulæ tuæ servias, & quæ illi corroserunt, consumas, vanum est quod jactas beneficium. Nunc ergo morere. Fecit mustela imperata; fuste quippe contusa vitam cum morte commutavit. FABULA MIXTA.

Hoc sibi dictum putent, qui meritum inane prædicant, dum suis unis student emolumentis. AFFABULATIO.

Fabulæ Sensus.

Quælibet Fabula habetne sensum aliquem?

R. Plane: quemadmodum enim nulla pictura est, quæ non aliquid repræsentet; ita nulla Fabula esse potest, modò scitè & ex arte sit ficta, quæ cujuspiam non sit imago veritatis.

Sensus iste debetne verbis exprimi, quoties Fabula narratur?

R. Plerumque solet indicari; quòd multi esse possint ex iis, qui audiunt, vel legunt fabulas, qui eorum sensum minimè intelligant, nisi explicetur.

Quo Fabulæ loco explicandus hic sensus est.

R. Vel initio, vel in fine; hoc est, vel antequam exordiaris, vel postquam absolveris fabulam. Si primo loco ponatur, dicitur *Præfabula-*

bulatio Græce *προμύθιον* si ultimo loco Affabulatio, Græce *ἐπιμύθιον* appellatur.

Fabulæ Utilitas.

Quæ Utilitas Fabulæ?

R. Multiplex; *delectat* enim, *docet*, & *movet*.

Cur Fabula *delectat?*

R. Causam esse puto duplicem hujus delectationis: vel quod in omni Fabula eventus reperitur aliquis inexpectatus, qui afficere animum solet sensu voluptatis jucundissimo; vel quia omnis imitatio cujuscunque rei parit delectationem tantò majorem, quantò prius accedit ad naturam.

Quomodo Fabulam delectari ostenderes?

R. Ratione primum, ut jam ostendi; tum experientia. Quis enim non arrigat aures simul ac audit enarrare Fabulam? Testes Athenienses, quos cum Demosthenes apud illos agens de magnis rebus non haberet attentos, hoc apologo seu parabola (utrumque idem est ac fabula) attentionem excitavit.

Asinum conduxerat adolescens Athenis Megaram iturus; cumque flagrante jam meridie (æstus enim erat) calor cœpisset esse vehementior, sub asini ventrem se conjecit, ut umbram captaret. At is, qui locaret asinum, illum indè cœpit propellere, asserens se asinum locâsse, non asini umbram.

Hinc rixæ & lites, hinc rursus pariter & voluptas, & quod caput erat, summa attentio.

Quid *docet* Fabula?

Qua ratione instituenda vita sit, & mores tem-

temperandi: seu quod idem est quæ virtutes exercendæ, & quæ fugienda sint vitia.

Rem ostende in Exemplo.

R. Faciam, cùm lupi faucibus os devoratum hæreret, & præcluderet spiritum, magno dolore victus obvios omnes rogare cœpit, sibi ut illud malum extraherent. Victa est & persuasa grus precibus & promissis lupi, & gulæ immani credens colli longitudinem, periculosam laboranti medicinam fecit os nostro eruens. Operæ tum præmium poscit. Cui lupus: ingratissima volucrum: quid præmii requiris? annon satis magnam recipisti à me mercedem, quod incolume caput ore abstuleris meo? Docet Fabula hæc haud tutum esse opem ferre improbis; nec ullam meriti ac iis expetendam esse mercedem. FABULA de grue & lupo.

Movetne præterea Fabula animos audientium?

R. Ita prorsus.

Quo Exemplo id probares?

R. Exemplo Menenii Agrippæ, qui plebem Romanam, quæ in sacrum montem secesserat, ad patrum autoritatem concordiamque revocavit præclarissimo isto corporis humani apologo. Sic autem illum narasse ferunt. *Liv. l. 2.*

Tempore quo in homine, non ut nunc, omnia in unum consentiebant sed singulis membris suum cuiq; consilium, suus sermo fuerit, indignatas reliquas partes suâ curâ, suo labore ac ministerio ventri omnia quæri, ventrem in medio quietem nihil aliud, quam datis voluptatibus frui: conspirasse inde ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac irâ cùm ventrem domare vellent, ipsa unâ membra, totumq; corpus ad ex- FABULA de ventre & membris aliis.

tre-

tremam tabem venisse; inde apparuisse ventris quoque haud segne mysterium esse, nec magis ali, quàm alere eum reddentem in omnes corporis partes hunc, quo vivimus vigemusque, divisum pariter in venas, maturam confecto cibo sanguinem. Comparando hinc, quàm intestina corporis seditio similis esset iræ plebis in Patres, flexisse mentis hominum.

Fabulæ Usus, & Artificium.

Erasm. de corp. rer.

Licetne in re seria, & sermone gravi adhibere fabulas?

R. Licet, sed rarò: videndum siquidem quid res ac decorum patiatur; tuncq; præfari conveniet *à viris priscis ac sapientissimis ista non sine causa fuisse conficta, neque temere tot jam seculis magno mortalium consensu fuisse celebrata.* (Deinde quid sibi voluerint, interpretabimur in hunc modum, v. g.) *Ut enim aptissimo figmento significarent, hominem avarum tam non habere quod habet, quàm quod non habet, exhibuere nobis Tantalum quendam mediis in aquis æternâ siti cruciatum,* &c.

Quo artificio texendæ sunt Fabulæ?

R. Eodem modo, quo Narrationes veræ debent nimirum, quod jam monui, quatuor habere virtutes, scilicet brevitatem, perspicuitatem, suavitatem, & probabilitatem.

Quid opus est probabilitate in fabulis, in quibus nihil est quod verum sit, aut verosimile.

R. Opus est tamen: etenim quamvis probabile credibileque non sit, belluas loqui, v. g. & more hominum colloquia miscere, idque repu-

gnet

gnet penitus earum naturæ, attamen si voce & ratione uterentur, haud dubiè aliter vulpes loqueretur, aliter gallina; illius enim indoles subdola, tortuosa & multiplex; hujus ingenium simplex & rectum: aliter lupus, aliter agnus ageret: nam ille rapax & ferox naturâ, hic contra mitis, ac minime malus. Itaq; si pecudibus illis, quas ratione uti fingimus, quidpiam attribueres ab earum natura abhorrens, v. g. Si mures induceres audaces, cervos lentos, columbas crudeles, benignos accipitres, & vulpes stolidas, peccares contra decorum, tuaq; fabula *probabilitate* careret. Nam si fabulandum, & sine fraude mentiendum est, id non inepte, sed ingeniose ac gnaviter facere convenit.

Suntne Figuris illuminandæ Fabulæ?

R. Quis dubitat? Cum enim sint Narrationes, ut supra monui, habere quoq; virtutem illam debent, quam *Suavitatem* dicimus, Narrationi propriam, & quæ Figurarum præcipuè ornamentis excitatur, ut dictum est, clariusque patebit his Exemplis, quæ hic appono.

FABULARUM EXEMPLA.

In his exemplis observare licebit discrimen, quod intercedit inter Fabulam stylo simplici textam, & eam quæ ornatum habet.

De Agno et Lupo.

Stylo simplici.

Siti agnus æstuans ad rivum venit; ad quem pariter accessit lupus ad bibendum. Cumque superior staret lupus, & agnus inferior; ille tamen

men jurgii causam captans, agnum accusat, quod turbet aquam pedibus; hic modestè negat fieri id posse, cùm ab ipso lupo rivi unda decurreret. At maledictis, inquit lupus me proscidisti ante sex menses. Neque id accidere potuisse respondet agnus, cùm nondum natus id temporis. At tuus certe pater maledixit mihi, subdit ferox, atque ita correptum lacerat.

AFFABULATIO. Sic adornare calumnias, & opprimere innocentem non est difficile.

Eadem stylo ornatorio.

Ad rivum agnus venerat sitis levandæ causa, Lupus huc etiam accurrit magis prædæ, quam potûs desiderio, ac potius stimulante fame, quam siti. Dum bibit agnus, terribilem in aqua videt umbram lupi, totisque contremiscens tenellis artibus, hæret perculsus ipso in vestigio, nec caudam caputve movere misellus audet. Aut lupus fauce improbâ rixas movens, illumque lacerandi occasionem aucupans: heus, inquit, audacule, non cessabis mihi aquam turbulentam bibenti facere lutulentis pedibus tuis? meis, tu ô bone lupe, audaculum appellas, qui præ timore, tuique reverentia vix pedibus consisto? Non absistes, inquam, reponit latro, turbare aquam mihi? Cui agnus: qui possum, quæso, facere quod quereris lupe humanissime? vix heu! primoribus labellis rivum attigi, vix extrema libavi undam lingula Mentiris, impudens, turbasti latices, lutulentior ad me fluit aqua. Ah! quid ais, lupe nobilissime? Non ego certe sum, nec esse possum. Nonne vides à te decurrere liquorem ad meos haustus: Obmu-

Hypotyposis & Ethopœia.

Sermocinatio.

mutuit hic Lupus, ratione repulsis tam evidenti: sed mox ad alia se vertens, novum crimen comminiscitur. Non meministi, inquit, proterve, cùm ante sex menses maledicta in me ingereres è stabuli fenestra, minas intendens transeunti? Bona verba, Heros silvarum inclyte, non cohærent quæ dicis, verbo sit venia: Nam qui tres tantùm sum menses natus, qui potui ante sex menses tibi maledicere? Atqui perindè est, inquit immanis, mihi tu tuusve pater maledixerit; ille certè in me convicium jecit non semel: æquum est parentis pœnas innocuus luat natus. Quo dicto in illam insiliit, correptamque dentibus, crudelissimè devorat.

Quis enim labor innocentem structis calumniis insectari, opprimere, perdere? Quàm multi etiamnum hodie, Agnis imbellibus haud absimiles, cedunt in prædam hominibus lupis, spoliantur bonis, famâ exuuntur, & privantur, si minus vitâ, at vitæ commodis? **AFFABULATIO.**

DE CORVO ET VULPE.

Rudi Stylo.

Qui laudatores libenter audit, Fabellam hanc attentè audiat.

Corvus raptum de fenestra caseum comedebat celsâ residens arbore. Hunc cùm vidisset Vulpes, laudare cœpit pennarum nitorem, & decorem capitis, totiusque corporis elegantiam: unam, ait, desiderari vocem, quàm si haberet, nullam fore alitem ipsi comparandam. At ille demens, ut ostendat sibi nec deesse vocem, & canoram quidem, ac suavem: dum se ad

canendum comparat, caseum emittit rostro, quem celeriter dolosa Vulpes avidis arripuit dentibus.

Eadem Stylo comptiore.

Sedebat Corvus in excelso arboris ramo, caseum, quem rapuerat è fenestra proximæ villæ pari aviditate voluptateque comedens. c Hunc vidit vulpes, & invidit; & linguâ sibi lingens rostrum, jam caseum devorabat oculis. Spes tamen optato potiundi cibo affulget nulla, quamvis usque & usque arborem solicitè circumeat, versetque se in omnem partem. In una tandem spes omnes vafritie figit ac locat. Ad solitas se vertit technas, dejectoque humi tergo collum ac rostrum erigit & aures simul arrigit, obtutu in Corvum defixo. Advertit Corvus speculantem, & crocitans: Quid intueris, inquit, versipellis? Teipsum respondet Vulpes, te intueor, Corve mi elegantule: nam hercle tuarum me pennarum splendor in admirationem ita rapit, ut vix, ubi sim, satis sciam. Nihil equidem memini me vidisse pulchrius, nihilque venustius ore illo tuo, & capite nihil vidi augustius, per Apollinem juro, & per Æsculapium; (applaudit intereà sibi Corvus) proh! quantum decoris corpore & vultu geris! Ita me Dii ament, ut mihi videris ipsa formosior formositate. O, si quantum præcellis speciei dignitate aves cæteras, tantum præires voce: næ tu absolutis fores numeris omnibus, nec ulla esset volucris usque adeò temeraria, quæ venire in tuum prospectum auderet, nedum tecum palmâ contendere. Corvus, qui jam plus voluptatis commemora-

c *Ethopœia.*

moratione illâ laudum perciperet; quam suo caseo; agit primùm, ut decuit, Vulpi grates, se tamen non destitui voce asserit. Et dabo, inquit cantu clarum specimen; simulque cantilenam occinit, simulque caseum emittit. Hunc Vulpes comprehendens, fugit & fugiendo abligurit, illuso corvo turpiter, qui cantu in gemitum verso stoliditatem cœpit suam deplorare, atque damnare; ac serò nimis.

Sic capiuntur stolidi laudum venatores; sic inescantur inanis gloriæ vesani aucupes. Quid enim faciunt, dum præbentes adulantium vocibus patulas aures, indulgent arrogantiæ? Effundunt bona, rem familiarem dilapidant, existimationem amittunt, maximeque tum deluduntur, cum laudantur. AFFABULATIO.

DE BOMBYCE ET ARANEA.

Stylo floridiore.

c Irrepserat aliquando suaveolentem arbusculam Bombyx, eodemq; fortè Aranea scanderat; ibique tendens uterq; tabernaculum moliebatur quisq; suum, pari sedulitate incumbentes operi Cum laborem interrupturus Bombyx relaxandi animi gratiâ ab suo vellere crura tantisper alio, & curas abstrahit. Circumflectit ergò molle collum, & oculis aberrat, rami, in quo struebat nidum, singulas curiose perlustrans frondes. *f* At ecce tibi ô fœdum spectaculum! Aranea sese videndum objicit è regione texens telam. Miratur venenosæ impudentiam Bombyx, nec ultra valet continere stomachum, & bile turgens totus. *g* Quare te, inquit, insectorum teterrimum, quæ in has oras aura pestilens advexit,

c Descriptio.

f Ethopœias.

g Interrogatio.

vexit, ut florulentum hunc rorem marinum sordibus inficeres tuis? Audit incessentem Aranea, erigitq; tibias ingentes, jactansq; contemptim cerviculam: Desiste, inquit, desiste Bombyx optime, æmulam lacessere maledictis. Æmulam te dicere audes, ait Bombyx? ô temeritatem non ferendam, ô stultitiam incredibilem! Cui continuo Aranea: In te, vilis vermicule, in te cadunt convitia, quæ in me jacis: Nam quid te stultius, magisque temerarium, qui valentiorem irritas hostem? Vis, ut in arenam descendamus modo? Vis, cursu certemus: Vis, pugnemus aculeis & dentibus? Hic Bombyx: Noli vires jactare, scio te morsu ac veneno superiorem habere neminem, imò nec parem: hac in re tibi facile concedo palmam. Instat Aranea, mittamus sane rixas. Vis contendere mecum celeritate operis, artisque solertia? Vide, infelix, vide, qua pernicitate, quantâque machinatione ex utero fila depromam, stamina deducam, adnectam sub tegmina orbe circinato, indissolubilique modo implicem: En aspice, ut à centro meum percurro, pervolitoq; rete agilis; (hæc cum diceret, telam percurrebat.) Cerne, ut ab extremis in meditullium recurro puncto temporis, & è meditullio rursus in ditionis meæ fines remigro, orbemque circumeo totum, dum tu, ignave, iners, eodem hærens loco, nihil agis aliud lentâ illâ inflexione corporis, quam stupas ore evomis. At Bombyx, lætus huc sermonem flexisse Araneam, hinc adeò intelligeres; inquit, facilè, si valeres mente, quanto te sim præstantior, cujus, quem vocas vomitum, passim homines omnes ex-

exquirunt, amant, ambiunt. Meo vellere, si nescis, Consulum prætexta texitur, Regumque trabea, & sumptuosior Matronarum nobilium mundus. Hàc, quám tu per ludibrium stupam dicis, decorantur aulæ Principum, adornantur thalami, templa nitent, aræ relucent. Atque etiam hic tuam mihi telam jactas, quæ non nisi in sordidis visitur mendicorum manapalibus, humilibusque casis vilioris plebeculæ. Aude, impudens, aude pedes inferre in lautiores domos, aude obtrudere fœtissimum os tuum honorato in angulo: sed verecunda es, ambitiosa non es adeò; facis sapienter, tuam hac in parte laudo modestiam, & verecundiæ causam scio; times enim tibi ab ancillis & famulis. Verùm mittamus ista, nolo te pudore suffundi. Aut cursu præstas, h ô celeritatem admirabilem! ô laudem præclaram! Curris, recurris, præcurris, circumcurris diu noctuque; quem ad finem? ut incurrentem in tua retia capias muscam. Fila deducis; producis, explicas, implicas, circinas, quem ad finem? Culicem ut implices, papilionem illaqueés, formicam ut irretias unam. At ego nobiles ac speciosas irretire soleo virgines, Reginas induo in meos casses, his retibus illaqueo primores urbium; neque verò violentas metuo manus, sed postquam satis gloriæ & naturæ vixi, spontaneam occumbo mortem, folliculusque meus illustre mihi mausolæum est. Plura parabat dicere Bombyx in tam illustri versans argumento cum Aranea, in cujus pectore invidia, jam dudum itaque ex æquo certabant, in hostem cœpit irruere magno impe-

h *Ironia.*



tu, transfixura dente pectus aut effossura oculos. At prævertens Bombyx, in suum se castellum recepit opportune, ridens ab arce serica hostiles invidiæ conatus, & arrietationes irritas. Verùm enim vero dum hæc geruntur, illac transit ancilla hospitii proximi armata colu: jurgantium inaudit clamores, subsistit, advertit oculos, cernit Araneam Bombycis obsidentem propugnaculum; ô misera, exclamat, quid istic agis? væ tuo ventri, væ longis cruribus tuis. Verba excipit baculus impactus, Aranea corripit fugam; fugientem puellainsequitur, deprehendit tandem, deturbat, proterit, prætensasque confundit telas, & plurium dierum opus momento destruit; Bombycem verò laudat, mulcet, coronat viridanti fronte.

Sic destruentur, homo inconsultissime, molitiones illæ tuæ omnes, ac labores vani, quibus animum & corpus diu noctuque conficis, tametsi cum Aranea eviscceres uterum, & consumas cum vita omnem industriam: sic inquam, destruentur, si ut aranea muscas venarias, hoc est, si aucuparis existimationem hominum, volucrem levissimamque gloriolæ auram, & à caducis rebus voluptatem captes inanem, aut turpem quæstum. Irruet ex improviso inopinata mors, spesq; omnes, opesque operamque dissipabit, æternoque cruciatu torquebit, corpus, vexabit animum. At vos illustres animæ, quæ uni gloriæ divinæ dicatis vitam, & vitæ curas, nobiliaque facta molimini; vos alius felicior manet exitus. Claudetis nempè vitam Bombycis more, nominisq; vestri memoriam momento

mento laudum, quas vobis ipsi texuistis, laboribus moriemini; vobisque tumulus, corona fiet; & sudarium sepulchrale, purpura, & feretrum thronus; & mortis spolia, melioris vitæ trophæa. Hæ manus, tantorum effectrices operum, ut in hoc etiam sitis Bombyci similes, alas vertentur, quibus post mortem etiam astra superetis, impleturi cœlos ac terras famâ memoriæ, & factorum gloriâ. Nimirum non laboris finem spectat Deus.



PROGYMNASMA II.

DE NARRATIONE.

A FABULOSA ad *veram propriéq; dictam Narrationem devenimus: Ut qua, ut ex Aphthonii mente ordine differamus, triplici Capite nobis dicendum erit. 1. Quid sit, & quotuplex Narratio. 2. Qualis esse debeat. 3. Exempla quædam Narrationum afferemus.*

Quid, & quotuplex sit Narratio.

QUid est Narratio?

R. Est Expositio rei factæ, vel tanquam factæ.

Cur addis, *vel tanquam factæ?*

R. Quia Narrationes quædam, sunt rerum fictarum, ut mox dicemus, quæ nunquam factæ fuerunt, ita tamen ingeniose prudenterque confictæ sunt, ut verè factæ videantur.

Quotuplex est Narratio?

R. Triplex: Poetica, Historica, & Civilis, *De singulis pauca seorsim dicenda sunt.*

De Poëtica Narratione.

Quid est Narratio Poëtica?

R. Ea est, quæ res exponit, fictas quidem & nunquam factas, sed quæ fieri potuerunt: cujusmodi sunt Argumenta comœdiarum.

In quo differunt Narratio Poëtica, & Fabula?

R. In eo, quòd hujusmodi Narratio res explicat, quæ tametsi ficta, fieri tamen potuerunt, ut dicebam modo: at verò Fabula ea memorat, quæ neque facta unquam fuerunt, neque fieri ullo modo potuere.

Quod sunt Narrationis Poëticæ genera?

R. Tria: Activum, Enuntiativum, & Mistum.

Quod est Activum genus?

R. Illud est, in quo res ficta non verbis enarratur; sed quasi gereretur, personis & exactionibus exprimitur; uti fit in comœdiis: propterea que Græci hoc genus Narrationis Poeticæ δραμματικὸν vocant, id est *Activum*: δρᾶμα enim *Repræsentationem* sive *Actum Comœdiarum* significat, & nos Latini *Drama* dicimus. Appellatur etiam μιμητικὸν, hoc est, *Imitativum*, quia Personæ in theatris res illas quasi olim factas imitantur, & agendo spectandas exhibent.

Quod est Enuntiativum Narrationis Poëticæ genus.

R. Illud, in quo verbis duntaxat res à Poëta fictæ referuntur. Ipsum Græci ἐξηγητικὸν, sive

ἀπολογητικὸν, id *Enunciativum*, seu *Enarrativum* apellant.

Quod est Mistum, seu commune μικτὸν, vel κοινὸν dictum?

R. Illud, in quo partim sermone, partim actione Narratio Fabulosa describitur.

De Historica Narratione.

Q. id est Historica Narratio?

R. Ea est, quæ rei olim gestæ continet expositionem.

Cur illam addis particulam; *olim?*

R. Quia Historia propriè dicta, est rerum gestarum expositio, ab ætatis nostræ memoria remotarum. Unde à Cicerone ita definitur: *Historia est Testis temporum, Lux veritatis, Vita memoriæ, Magistra vitæ, Nuntia vetustatis.*

Quare dicitur, *Testis temporum?*

R. Quia Historia testatur, quid quoq tempore sit factum. Fidem certè nullam habituræ essent apud posteros priscarum res gestæ, nisi Historiæ testimonio & auctoritate confirmarentur.

Cur vocatur *Lux veritatis?*

R. Quia rerum gestarum Veritas temporum tenebris obscurata jaceret in oblivionis sepulchro, nisi lucem eis afferret Historia.

Quamobrem appellatur *Vita memoriæ?*

R. Propterea, quòd præteritarum rerum memoria moreretur simul cum corpore, & extingueretur cum vita, nisi illam Historia subtraheret edacitati temporis, & immortalitati consecraret.

Quorsum nuncupatur, *Magistra vitæ?*

R. Quoniam docet nos ea declinare, quæ turpiter ab aliis factâ; imitari contrà, quæ præclarè patrata sunt.

Quam ob causam cogniminatur, *Nuntia vetustatis?*

R. Idcircò, quia nuntios nobis affert earum rerum, quæ à primis retrò temporibus gestæ fuerunt.

De Civili Narratione.

Quid est Civilis Narratio?

R. Ea est, quâ in forensibus controversiis, causisque judicialibus Oratores utuntur.

Quo præcipuè in genere Orationis adhibetur hujusmodi Narratio?

R. In judiciali, nisi fortè constaret de re gesta inter Accusatorem seu Actorem, & Patronum seu Defensorem: tunc enim Narratione non esset opus.

In his Civilibus causis narranturne res ab Oratore eo planè modò, quo gestæ sunt?

R. Nequaquam, sed pro sua prudentia aliquando nonnulla recitet, alia immutat, alia invertit, alia exaggerat, prout causæ necessitas postulat.

QUALIS DEBEAT esse Narratio.

Qualis esse debeat Narratio, ut sit perfecta?

R. Perfecta erit, si prædita fuerit quatuor his virtutibus, quas supra recensui; & iis ornamentis tum verborum, tum sententiarum, de quibus a ibidem disseruimus.

a Progymnas. 1. pag. 1.

Recense illas, quæso hîc iterum?

R. Ecce, prima Narrationis virtus est, ut sit aperta

aperta lucidaque, sive, quod idem est, ut perspicua sit & clara. Secunda, Brevis esse debet, ut scilicet nihil inane, nihil inutile ac redundans habeat. Tertia, probabilis sit oportet, ut nihil nimirum afferatur, quod naturæ ac rationi adversetur. Quarta, Suavitatem habeat necesse est, id est, sermonis festitivitatem, colloquia, varios animi motus.

Quid interest inter Narrationem Rhetoricæ ornamentis splendidam, & eam, quæ nullum sequitur Orationis florem?

R. Tantum profectò inter utramque interest, quantum inter puellam nobilem & elegantissimam pretiosâ fulgentem stolâ, & deformem rusticam, vili ac plebejo indutam habitu.

Quo artificio texenda est Narratio, ut, quemadmodum ais, pretiosa fulgeat?

R. Quatuor illis, quas nunc retuli virtutibus exornanda est. Verùm multò melius respondebo tibi per Exempla, quæ modò proferam, in quibus ceu in speculo quodam inspicies, qui differant ornatæ Narrationes ab incultis; politæ comptæque ab invenustis; & oratoriæ ab historicis.

Quid Historici, num æquè ornatè narrant ac Oratores?

R. Minimè, sed munus satis implere suum sibi videntur, si nitidè & apertè narrent: Oratores verò Figurarum coloribus narrationes suas illuminant, pulchreque distinguunt, variisque, ubi opus est, animorum motibus incitant, ac veluti spirantes ac vivas reddunt. Sed, ut dixi, planiùs facient Exempla, quod quæris.

EXEMPLA NARRATIONUM.

INcipiamus à Narratione Poëtica, cujus exemplum illud ipsum refero, quod ab Ovidio desumptum Aphthonii Scholiastes attulit; non ipsa Poëtæ carmina, quod ille fecit huc transscribens: sed quod longè utilius fore nostris Candidatis arbitror, Oratione solutâ fabulosam illam Narrationem ita depingens.

NARRATIO POETICA,

Pyramus & Thisbe.

PYramus & Thisbe apud Babylonios, formâ, ætate, moribus ac conditione pares, amare pariter inter se cœperunt, ab ipsis penè incunabulis. Amorem peperit ædium vicinitas (erant enim contiguæ) consuetudo puerilis aluit, rara in utroque forma perfecit. Crescit tamen cum annis amor; & jam ætatem attigêre nubilem, inirentque nuptias, proh! quàm lubenter! ni parentes abnuerent, ob simultates veteres, quas jam pridem exercebant. Itaque ne quid moliantur liberi contra, quam parentibus placet, colloquio, mutuoque conspectu ipsis interdicitur. Quid aget Pyramus? Quò se vertet Thisbe? Paries erat *domui communis utrique;* & in pariete tenuis rima, domesticis hactenus ignota. Sed

Quid non sentit amor!
Jam primi, vidistis, Amantes;
Et vocis fecistis iter, tutæq; per illud
Murmure blanditiæ minimo transire solebant.

Trans-

Transibant & suspiria; sed transire nequibant oscula, quæ vale dum sibi dicebant, figebant parieti.

Parti quisq; suæ non pervenientia contrà.
O qualem fatallis illa parietis labes in amborum pectore labem fecit! At ferre non potest magnus amor eruptionem tam angustam. Amplior est, quam ut rimâ tam arctâ commeet. Ergo statuunt proximâ nocte libertatem, qua potiri non valent domi, quærere foris, & in nemus mœnibus proximum perfugere. Constituitur locus, umbra Mori proceræ arboris, fontem opacantis. Pacta placent. Adventat nox, Thisbe elusis custodibus egreditur prima, & ad nemus advolat; (alas namque addebat amor) cùm ecce tibi leæna à boum cæde recens venit.

Depositura sitim vicini fontis in unda.
Exterrita Thisbe fugit in antrum quoddam, & fugienti retrò velum capitis excidit; quod inventum leæna à fonte redux, ore, ut erat, cruento, laniat. Sub hæc Pyramus adest, cernit, vestigia feræ altè impressa sabulo; moxque Thisbes amictum lacerum, & cruore tinctum. Ilicet suam vitam extinctam ratus, & discerptam belluæ dentibus, amore in furorem verso, tendit amens animi ad condictam arborem, ibiq; non inventa Thisbe incumbit in ensem, & vitam profundit cum sanguine. Thisbe intereà collegerat à pavore animum, & ad Morum properabat jamque propè aberat, cùm

- - *Tremebunda vidit pulsare cruentum*
Membra solum.

Hæret illa primò horrore perculsa, pedemque refert stupenti similis.

Sed postquam remorata suos cognovit amores.
In amplexum morientis ruit, immiscet lachrymas cruor, & Amantem amplexata,

Pyrame, clamavit, quis te mihi casus ademit?
Pyrame, responde, tua te charissima Thisbe
Nominat; exaudi, vultusq; attole jacentes.
Ad nomen Thisbes, oculos in morte gravatos
Pyramus erexit, visaq; recondidit illa.

Hic Thisbe dolore exanimis, laniare genas, pectus tundere, capillos vellere, uberrimoque fletu rigare frigentis genas, nullumque facere lugendi finem, quoad velamen cernit suum in dextra Pyrami laceratum cruentumque. Tum verò mortis causam facilè agnoscens, quidquid supererat virium, collegit; avulsumque ferrum, quod adhuc hærebat in amantis pectore, altè defigit in suum, & collapsa supra jacentis corpus, osculum libando fortuitum ac frigidum, extremum in ejus ore atque sinu spiritum exhalavit. At arbor, mirum dictu! utriusque tepefacta sanguine, mortem sensit & luxit. Et quæ erubuerat fuso Pyrami sanguine, morus quæ priùs alba fuerat; dolore rubefacta, geminato funere, atrata visa est, funebrem traxêre ac nigrum *mora colorem.*

NARRATIONES HISTORICÆ.

In puerorum gratiam literarum Gymnasia celebrantium (nam eorum præcipuè manibus teritur hic liber) narrabo, quod paucis abhinc annis contigit puerulo cuipiam Grammaticis tum studenti.

PUER

PUER AMISSUM
Præceptorem deflens.

Is Puer annum jam posuerat in Grammaticæ classe infima, Præceptoris usus operâ, ætate juvenis, eâque formæ dignitate, quæ auctoritatem amoremq; ex æquo pareret. Sed anno vertente, (quæ vicissitudo rerum humanarum est) cùm amotus ille fuisset à docendi munere, successor ei designatus est senex quidam macilentus, flaccidus, pallidus, olorinum in modum canus. Itaque exactis feriis, recurrentibusq; Lucalibus, quo tempore intermissum redintegratur studiorum curriculum, Quintanus ille pusio (nam è Sextano, ut vulgò loquuntur, Quintanus evaserat) fatalis hujus mutationis ignarus, expectabat unà cum sociis, sperabatque reversurum suum illum suavissimum Præceptorem. Jamque hora aderat, quâ horâ Magistri suam quisque provinciam sibi destinatam inire solent, *m* cum ecce tibi, ô rem visu lachrymabilem, relatu peracerbam! Senex derepente comparet in scholæ limine, tremuloque incessu in medium puerorum agmen non tam procedit, quàm perrepit. Exhorruere omnes illicò, hæsereque aliquandiu stupentibus similes. Ubi vero sese tantisper à consternatione metuque collegerunt, respectare se mutuò, *n* nutu oculisque loqui, quærere à se taciti, quid hoc hominis sit, quæ larva Magistri? Quid multa? scandit suggestum senex, de more præfatur nescio quid, raucidulo gutture, stridulâque voce. Facto demum loquendi fine manum in peram inserit, diuque scrutatus (pueris

m Hypotyposis.

n Subaudi (cœperunt.

(pueris interim expectatione suspensis, quid educturus esset) educit tandem specularia, nasoque imponit; quo inexpectato tristique spectaculo perculsi graviter, & tantum non exanimati pusiones illi, conceptum animo dolorem tenere ultrà nequivêre; sed palam mussitare, c minaciter jactare cerviculam, vultum alii avertere ad parietem, alii solum ferire indignanter, omnes eum testari luctum mœroremque animi, ut aula ipsa, ad scholarum usque finem crebro gemitu singultibusque personaret. Sic afflictis levamini utcunque fuit, abeundi signum ære campano datum: quod simul audiêre, illicò effundunt se universi ad januam, fugiuntq; suam quisque domum. n In iis noster ille Puerulus, de quo dicebamus, in suam simul ac pervenit trepidus, flebiliter matrem inclamat; utque erat educatus delicatissimè, & blanditiarum molliter appetens, in obviæ parentis amplexum ruit, pendetq; à collo, & sinum implet lachrymis. At illa mirans, attonitaque, o Quid est, mi Ocelle, inquit, mi Pupule, quid lachrymaris? Ecquit accidit mali? Num quis te sodalium percussit, Anime mi? At ille suspiriis verba confundens: nequaquam, inquit, mater, nihil horum est Tum illa: Quid igitur, mi Passercule, meum ô Corculum sic te maceras? sic te mœrore conficis? Heu! subjicit Puer, occidimur omnes, mater, Magistrum amisimus nostrum, illum, inquam, formâ eximium, plenum succi, plenum vigoris, plenum amabilitatis ac venerum, Præceptorem amisimus; illum, suaviorem sacchraro, amœniorem rosâ, Zephyro suaviorem nobis eripuerunt latrones trucu-

c Supple cœperunt.

n Ethopœia.

o Colloquia.

truculenti, ejusque loco suffecerunt hominem grandævum, exsuccum, edentulum, retorridum, oculis utentem ad legendum vitreis, indesinenterque tussientem ac excreantem. Hæc dum dicebat, cadebant ab oculis guttæ decumanæ, & comam faciemque violabat unguibus. At mater subridens simul & collacrymans, dolere se, ait filii amantissimi dolorem; oculos ac genas abstergit sudariolo, mœstum solatur repetitis osculis, verbisque delinificis, benè sperare jubet; brevi reversurum juniorem illum Magistrum, abiturum procul molestum hunc senem. Hîc respirare Puerulus; illa verò ut primum in me incidit, rem totam enarravit mihi non sine risu.

Advertisti, credo, in Narratione hac suavitatem illam, de qua loquebamur: num multiplices habet animorum motus, videlicet mœrorem ex insperato incommodo, indignationem, dolorem, misericordiam matris in filium, spem melioris exitûs, habet item colloquia personarum, &c. At illud faciliùs adhuc advertes in sequentibus.

EBRIUS IN FERETRO.

Matrona prudens & honesta maritum habuit in Belgio cùm multis vitiis dedecoratum, tum verò temulentia insignem. p Quid non egit mulier cordata, vecordem ut virum ad sanitatem revocaret? quas non intendit machinas? quam industriam non adhibuit? quem denique non lapidem movit? sed nimirum corroborata erat longo usu insana perpotandi cupiditas, altioresq; egerat in ejus animo radices turpissima

p *Interrogatio.*

con-

consuetudo, quàm ut evelli ratione ullâ aut pudore posset. Convolabat quotidie simul ac evigilarat, in popinas vinolentus; in cœno assiduè suo sese volutabat sordidus, sordesque suas adventante nocte domum convehebat. Quoties marsupio non sufficiente gulæ, cauponâ abit expalliatus & exgaleritus, (verbo peregrino sit venia) atque etiam penè exossatus pugnis, probrisq; probè obsitus! Quoties inter redeundum (si hoc est redire, passu labi & relabi quolibet) offensantem altero quoque passu, & in tabernas ac parietes impingentem, prosecuta est caterva puerorum sibilis, conviciis, luto! Sed enim acceptas foris injurias, intus ulcisci solitus, ut primùm attingebat limen ædium, horrendum illico vociferari, adessent famuli, adesset conjux. Illi contrà latebras aucupari, delitescere, trepidare, si quem occupâsset incautum, medium arreptum sternebat in terram, & qua pugno, qua fuste, qua re quavis alia pulsabat diris modis miserum. *q* Quid aget materfamilias? quo se vertet? flebit? obsecrabit? irascetur? minabitur? involabit in barbam ebrii? Horum nihil omisit; verùm frustrà fuère illa omnia. Quid ergò faciet? Accipite. Audax comminiscitur factum. Lecto jacebat ille vino obrutus, oppressus sopore, quem nullus tonitrui fragor excutiat. Occasionem arripiens mulier accedit ad virum, ac manum utramque primùm, tum pedes stringit fune valido, sudario posteà obnubit caput, totumque circumvolvit corpus sepulchrali linteo; tum deindè stertentem, ancillâ succollante parato collocat in feretro, & hinc & indè tædas ferales adstituras accendit. Ilicet

q *Dubitatio.*

mortuum conclamat conjugem, lacrymæ ut ferè fit, jussæ fluunt ubertim, & sinum rigant. Tam capillos vellens, ac vocem tollens, flebilem in modum, mi marite, inquit, heu! mi marite, sic me orbam, afflictam, perditam æternum deseris? Cur, heu! vitales auras morte tam citâ linquis? Confluit intereà omnis vicina, ægram solantur, nec desunt, qui bonas preces pro defuncto fundant, proni in genua. r At ecce; ô prodigium! ô rem inauditam! dum hi lugent, illi plangunt, miserantur alii, excitatus incondito clamore mortuus, ronchum ingentem imo emittit pectore; tum motat caput, tibiasq; vinctas agitat. Hic omnes stupere, trepidare, totis artubus tremere, mussare, redisse in corpus animam; palam asseverare defunctum revixisse. Hic ebriosus sternutare semel atque iterum, vinariamq; clarâ voce poscere lagenam. Uxor, quæ vix teneret risum inter lacrymas, vivum lugens, quem vellet mortuum, vero dolore verso in victum gaudium, ad feretrum, accedens, ô mi vir inclamat quàm maximâ voce potest! Audit ille, recluditq; oculos, perq; linteum lucem videns malignam, brachia & pedes gravi nodo revinctos sentit. Quid cogitâsse cogitatis vivum cadaver, plorantes, gementes, ululantes audiens, funebremq; apparatum intuens per rimas linteas? penè mortuum è vivo fecit horror stupori mixtus: trepidat se tantillum movere, tacitusq; audit lugentem conjugem. Siccine inquiebat versipellis, æternis ignibus addictus es, marite optime? O si vel ante mortem expiâsses animum tot tamq; insanis compotationibus inquinatum! Hæc immotus audit

r *Hypotyposis.*

audit miser tandemq; susurro semimortuo succlamat uxor, fingit illa terreri, & ô marite mi, reclamat vivis? Vivo inquit, redux è lethi faucibus. Redux ab orco, ô mi anime, & vitæ redditus, qui modò mortuissimus fuisti, purum cadaver mox humo dandum? Bona uxor, reponit, expedi, ah! quæso, vincla expedi. Vix illa extricârat fasciis brachia, & sudario caput, cùm ille ad astra tendens manus, vovet altâ voce solemne votum per omnem vitam vinum se nullum, ne primoribus quidem labris libaturum esse; vas nullum vinarium, ne primoribus quidem tacturum digitis (ridebat interim in sinu conjux) ut stetit voto, siccam inposterum vitam ad veram usque mortem exigens.

Euphrasia virgo piâ fraude vitam perdit, ne perdat pudicitiam.

Adeste quotquot castimoniæ laude gloriamini, Virgines, adeste omnes ad planctum aut ad plausum potiùs; huc voces ad præconia; huc animos ad admirationis afferte. Dignum oculis, dignum virtute vestrâ & admiratione spectaculum vobis objicio. Cernite hujus cubiculi pavimentum cruore natans, & abscissum à suo corpore puellæ caput formosissimæ. Quid in militem adstantem oculos torquetis irâ ardentes quasi facinoris auctorem? Quid sanguine stillantem intuemini, quem manu tenet gladium? Impure latro, inquitis, castissimæ Virgini eripere non potuisti pudicitiam, vitam abstulisti! Explere nequisti libidinem, explêsti sanguine crudelitatem! Vim inferre pudori
non

non valuisti, violentas intulisti manus illibato corpori Aberratis, Virgines, aberratis; violentas manus non intulit; volens puella vitam perdidit, caput amisit. At hujus militis nonne ferro truncatum est? Ita est, sed quod ipsa impulit Virgo. Impulit? Quo autem consilio impulisset? Ut scilicet cupiditati turpissimi adolescentis illuderet: cum enim in angustiis deprehentia effugere aliâ ratione vim non posset, & succumbendum necessariò ei esset sceleratæ libidini, occumbendum sibi potius esse dixit. Ergò mirabilem unguenti cujusdam vim militi exponit, quo haberetur omne ferrum! si fidem dicto nolit addere, addat facto', simulque cervicem oblinit, offertque feriendam in experimentum, Persuasus juvenis, illius caput ferro percutit, & obtruncat. Quid aitis jam, delicatæ Virgines siletis? obstupescitis? hæret vobis lingua admiratione tantæ virtutis? Et mihi pariter calamus hæret. *Sermocinatio.*

FORMOSA DEFORMITAS duarum Virginum.

Euphemia & Margaretha, Virgines erant oris decore clara, ac pudicitiæ laude multò præclarissimæ. Cùm viderent autem perniciem passim afferre animis eximiam illam, quâ fulgebant, corporis elegantiam, neque prodiri in publicum posse sine alieno damno; instinctu divino nares cultello sibi præciderunt.

Ita fermè Rhetoricæ artis imperiti loquerentur ac scriberent; At verò qui illius non omninò ignarus est, varias Orationis gemmas huic Narrationi illigabit, hoc ferè modo.

Hæ duæ Virgines, quibus Euphemiæ & Margarethæ nomen erat, sorores necne fuerint cognatione sanguinis, haud quidem scio; at meritorum similitudine germanas extitisse certo scio. In eadem agebant domo, ætate penè virtute plane pares, decore pares ac pudore, *c* ut columbæ non sit columba similior, aut rosa rosæ, ut alterius decus ac formam referebat altera. *t* Margaretam dixisses Euphemiæ speculum, & Margaretæ Euphemiam; aut potius geminum corpus uno eodemque agi & animari spiritu, ita semper una erant, incedebant, visebantur, seu domi manerent, seu prodire in publicum cogeret necessitas, aut honesti ratio postularet? non ignaræ utique, puellam in publico apparere aut sæpius, aut solam, nequaquam *u* omen esse pudici nominis. Ergo quoties extra ædium fines posuerunt pedem, tum verò *x* pudoris odorem, quod unum erat utriusque votum, quocunq; irent, spargebant suavissimum, simulq; quod exhorrebant morte pejus, *y* ignem in plerorumque animis haud satis pudicum accendebant pudicæ (quod mirere) illibatæque nives oris elegantissimi, & corporis majestas planè mirabilis ac divina. *z* Id adeò probabant non obscuris indiciis plurimorum suspiria, quoties obviam se darent, alto emissa pectore; Id lacrymæ ab oculis cadentes intuentium; id admirationes non tacitæ, & acclamationes non fictæ clarè loquebantur. Quid? quod eò etiam prorupit non semel nonnullorum temeritas & amentia, ut amatorias stulti literas mittere in earum domum non erubuerint.

c *Similitudo.*
t *Hyperbole.*
u *Paranomasia.*
x *Metaphora.*
y *Antitheses.*
z *Repetitio.*

Ad impudentiam procorum erubuêre Virgines;

nes; ac prima Euphemia ad germanam versa: a Vides, soror, quo res sit loco? ut serpit malùm indies opinione latius? audis ut amantium insanis præconiis vicinia circumsonat, ut nec jam nobis efferre pedem tecto liceat sine proprio dedecore, vel scelere alieno? b Et spectamus ignavæ incendium, quod excitavimus; atque etiam ministramus pabulum flammis, quas vel ipso sanguine restinguere, aut corporibus opprimere jamdiu debuimus. Quin, si me amas, cauto medemur malo quod creavimus; & me sequeris præeuntem. Sequar verò, & libenti quidem animo, ait Margaretha, & vel in certam ruas mortem, habebis me ubique comitem, nec ullus me casus à tuo latere divellet, soror, jube modò. Precibus, inquit illa, efflagitemus divinam opem, in genua procumbamus ambæ. Ambæ procumbunt, orant, supplicant c quo sensu pietatis, Superi! quo fervore animi! quis explicet? d Surgit deinde Euphemia impatiens moræ, consurgit Margaretha: secretiùs illa conclave subiit; hæc subsequitur, occlusisque foribus considerat quid illa moliatur: molitur enim magni nescio quid & inusitati: Atque ecce thecam è scrinio jam deprompsit, speculumque inprimis præclarum ac splendidum: non hos, heu! in usus emptum pridem à parentibus, relictumque hactenus in cistellæ fundo. Illud nunc Euphemia appendit loco idoneo; tum è theca cultellum extrahit minaci fulgore rutilantem. Spectat Margaretha stupenti similis, quid illud sibi velit speculum, quò spectet ille mucro; silet tamen pallida, & tremens cum Euphemia speculo objicit sese, tantum ab de-

a *Colloquium.*
b *Allegoria.*
c *Exclamatio.*
d *Hypotyposis.*

core vultûs doloris hauriens, quantum alia voluptatis. Tùm ingemiſcens, & pulchritudini irata ſuæ:

e Apoſtrophe. *f Hypotyposis.* e Itane verò, inquit, pudorem tu mihi, aliis etiam afflabis venenum, Forma peſtilens; nec erubeſcis tot flagitiis anſam dare? ſaxo puriore minio tota modò rubeas. Hæc dicens, f prehenſas nares (videt, & exhorreſcit Margaretha, & ego pariter horreſco referens) nares, inquam, ſibi uno ictu exſecat, ac defluentis aſpectu ſanguinis, vehementiùs in ſemetipſam exardeſcens, genas, mentum, labia dirum in modum acie violat, acumine deinde diſpungit frontem. *g Exclamatio.* g O ſpectaculum luctuoſumne dicam, an mirabile! *h Allegoria.* h Ac jam à zelo illo pudoris ac modeſtiæ purpureus imber depluit in ſinum argenteum, & roſæ liliis miſcentur.

i Apoſtrophe. i Quid agis intereà tu Margaretha? Et quando colliges à ſtupore animum. Diutiùsne crudelem manum ſævire pateris in vultum, innocentem ſtuporem diſcute, inhibe furentem dextram, cultrum eripe ſacrilegum. Diſcuſſit, inhibuit; eripere tamen immite ferrum nondum valuit, reluctatur enim Euphemia. Cui illa: Quid ultrà tendis, inquit germana? Totum jam funditùs corrupiſti formæ decus, horrorem jam, mihi crede, non amorem paries. Cedo jam cultrum, meam ut viciſſim ad exemplum tui faciem refingam. Novum hoc mihi calamiſtri genus trade, inquam, obſecro, quo me tui ad inſtar comam, poliamque. Verbis adhibet vim, & tandem extorquet gladiolum cruore rubentem; ac geſtiens nares ſimiliter præcidit fœdiſſimo vulnere, & fron-

frontem confusus turpat punctiunculis, & genas sulcat deinceps, exaratque lineas celeri ductu; *l* & quasi molli in ebore miniatos insculpit characteres. *m* O lineas! ô characteres! ô cruorem! ô purpuram! *n* ô fœditatem splendidam! ô vulnera præclara! ô deformitatem pulcherrimam!

o Qua putatis celeritate, è superis delapsos regionibus Angelos, ad speciosum convolavisse spectaculum? Quâ solicitudine ac religione, depluentes in terram, certatim collegisse pyropos *p*, unionesque roseos? Qua sedulitate, ex iis texuisse serta, corollas ac monilia, queis purpuratarum colla sinusque Virginum decorè ambirent, ambitiosè decorarent? Agnoscunt *p* sanè ornamenta divina Virgines, & à vulneribus mirantur fluere delitias, & à fœditate clariùs efflorescere formæ nitorem; sibique mutuos inter amplexus osculaque plaudunt, & lachrymas confundunt lachrymis quas exprimit voluptas, & cruorem miscent cruori, quem dolor elicit. O quam mihi jam, Euphemia, solito videris elegantior! clamat Margaretha. Quam tu etiam, reponit illa, videris mihi venustior, quàm anteà? ut blandè rutilant genæ! ut pulchrè frons resplendet; ut jucundè labia irradiant!

Quid multis? sic comptæ, sic ornatè, quò displicuêre magis mortalium oculis, hoc immortali cœlestique Sponso amabilius arrisere.

l Allegoria.
m Exclamationes.
n Antitheta.
o Repetitione.
Junctæ Interrogatio.
p Metaphora.

EADEM NARRATIO
alio modo texta.

q Hypotyposis. q Quid cerno? Deus immortalis! Quod horrendi spectaculi genus percellit oculos? Duas intueor præstanti pulchritudine virgines, alteram sibi labra genasque fœde lacerantem; alteram præcisis jam naribus, lacerata fronte, sine specie, sine decore, atque adeò sine facie, genibus affusam, elatis cœlum manibus oculisque, rigantem pretioso cruore pavimentum. *r Apostrophe.* r Quis vos habet furor, præclarissimæ virgines? quæ insania stimulat? aut si quis sanctior instinctus est, amabo, dicite: Quid ita formam illam deformatis eximiam? Cur in hunc modum turpatis truncatisque vultum? Quæ ratio ad hoc inusitatum facinus vos incitat? Audite, quid respondeant; audite, quid hiantia illa ora vulnerum loquantur, quæ verba cum sanguine profundant. *s Prosopopœia, & crebra Antitheta.* s Oris dehonestamus elegantiam, inquiunt, ne pudoris honestas violetur; corpoream perdimus formam, ne deformis reddatur animus; has corrumpimus amorum illecebras, ne alii nos depereundo & amando malè amentes pereant; puras genarum nives inquinamus, ne impuro igne intuentium corda exardeant; splendorem obscuramus, ne ab illo excutiant alieni oculi. *t Exclamatio.* t O consilium immortali laude dignum! ô facinus eximium, admirabile, singulare omnium literis & prædicatione celebrandum! Pergite porrò virgines illustrissimæ pergite conspurcare speciei nitorem, quo pudor speciosius effulgeat; confundere pergite venustatem vultus, venustior ut existat forma virtutis. Pergunt illæ, quoad tur-

turpes sibi videantur insigniter, sicque alienas sordes eluunt suo sanguine; & hoc quasi unguento. Veneris curant vulnera, telaque retundunt, extinguuntque nefarias faces: neque enim eas quispiam posthac amavit ut pulchras, sed ut castas coluit, ut sanctas suspexit.

NARRATIO CIVILIS.

FLAGITIOSÆ NUPTIÆ.

Narrationem hanc consultò in locum hunc reservavi ultimum, quòd cùm absolutissima sit Amplificationis idea, virtutesque ad narrandum requisitæ omnes in ea præclarissimè eluceant, fastidium à superiorum lectione conceptum levatura sit.


Argumentum est hujusmodi. Cluentia, Cluentii & Sassiæ filia post patris mortem Melino nupserat, adolescenti nobili. At quantò post Sassia generi sui amore capta, filiam compulit ad discedendum à marito: quo divortio facto nupsit Melino Sassia Flagitium hoc Tullius eloquenter exaggerans, Narrationem auspicatur à primis Melini & Cluentiæ nuptiis de iis sic agens. Orat. pro Cluentio, n. 22.

Cùm essent hæ nuptiæ plenæ dignitatis, plenæ concordiæ, repentè est exorta mulieris importunæ nefaria libido, non solùm dedecore, verùm etiam scelere conjuncta. Nam Sassia, mater hujus Aviti, *a* (mater enim à me *a Avitus* nominis causâ, tametsi in hunc hostili odio & *ipse est* crudelitate est, mater, inquam, appellabitur, *Cluentius.*

neque unquam illa ita de suo scelere & immanitate audiet, ut naturæ nomen amittat. Quò enim est ipsum nomen amantius intelligentiusque maternum, hoc illius matris, quæ multos jam annos, & hunc cùm maximè filium interfectum cupit, singulare scelus majore odio dignum esse ducetis.) Ea igitur mater Aviti, Melini istius adolescentis, generi sui, contrà quàm fas erat, amore capta: Primò, neque idipsum diu quoquomodo poterat, in illa cupiditate continebatur: deinde ita flagrare cœpit amentiâ, sic inflammata ferri libidine, ut eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non hominum fama, non filii dolor, non filiæ mœror à cupiditate revocaret. Animum adolescentis, nondum consilio ac ratione confirmatum, pellexit iis omnibus rebus, quibus illa ætas capi ac deliniri potest: filia, quæ non solùm illo communi dolore muliebri in ejusmodi viri injuriis angeretur, sed nefarium matris pellicatum ferre non posset, de quo ne queri quidem sine scelere se posse arbitraretur, cæteros sui tanti mali ignaros esse cupiebat, in hujus amantissimi sui fratris manibus & gremio mœrore & lacrymis consenescebat. Ecce autem subitum divortium, quod solatium omnium malorum videbatur. Discedit à Melino Cluentia, ut in tantis injuriis, non invita, ut à viro non libenter. Tum verè illa egregia ac præclara mater palàm exultare lætitiâ, ac triumphare gaudio cœpit, victrix filiæ, non libidinis. Itaque diutiùs suspicionibus obscuris lædi famam suam noluit: lectum illum genialem, quem biennio antè filiæ suæ nubenti straverat, in eadem domo sibi ornari

Cluentia frater, quem Cicero Oratione defendit.

nari & fterni, expulsâ atque exturbatâ filiâ, jubet. Nubit genero socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus, funeftis omnibus omnium. O mulieris scelus incredibile, & præter hanc unam in omni vita inauditum! O libidinem effrænatam & indomitam! O audaciam singularem? non timuisse, si minus vim Deorum, hominumque famam; at illam ipsam noctem, faces illas nuptiales? non limen cubiculi? non cubile filiæ? non parietes denique ipsos, superiorum testes nuptiarum? Perfregit, ac proftravit omnia cupiditate ac furore, vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.



PROGYMNASMA III.

DE CHRIA.

Quid frontem, Lector, caperas? Mendosus non est ille Titulus, Chria, *dici debet, non* Chreia, *ut vulgus imperitorum tam Gallicè, quam Latinè loquitur. Etenim Græca vox* χρεία *scribitur, uti vides, per* ει; *quæ diphthongus Latinitate donata non dissolvitur, sed exprimitur ut* i *longum. Sicut igitur non dicis* Mageia & Alexandreia; *sed* Magia & Alexandria, *quòd scilicet scribantur per* ει, *ita nec Chreiam dicere debes, sed Chriam. Id te volui præmonitum, ut ne offenderes vel in idipsum rei nomen, de qua tam multa nobis disputanda sunt.*

Quid sit Chria, & quotuplex?

Quid est Chria?

R. Est commemoratio, seu Explicatio facti alicujus, vel dicti, vel utriusque simul, certis capitibus comprehensa.

Quare hoc genus Amplificationis Chria dicitur?

R. Quia vocabulum hoc χρεία *usum & necessitatem* significat; undè à nonnullis *a Usu* appellatur. Quod igitur hæc amplificandi forma sit ad quodpiam seu dictum, seu factum ornatè & eleganter explicandum utilissima, hinc factum puto, ut *Usu*, seu *Chria* nominata sit.

a *Prisciano.*

Quotuplex est Chria?

R. Triplex. Alia est *Activa*, alia *Verbalis*, alia *Mixta*. Latinis dicendum esset: Alia in Actione consistit, alia in Verbis posita est; alia ex duabus illis coalescit.

Quid est Chria *Activa*.

R. Illa est, quæ Actionem seu factum quodpiam exponit & exornat.

Da Exemplum.

R. Dabo geminum. 1. Lacedæmonii suis ut liberis ebrietatis odium horroremque ingenerarent, adducere illos soliti erant in conspectum servorum, qui vino mentem obruissent; nimirum ut fœdo illo spectaculo deterrerentur ab hoc vitio. 2. Tarquinius Superbus, septimus Romanorum Rex, Legato, quem ipsi filius miserat, sciscitatum, quidnam se facere vellet in urbe Gabiis, in qua omnia ipse unus posset; nihil respondit, sed velut deliberandus in hortum ædium transit, sequente Nuncio & respon-

sponsum expectante, ibique inambulans tacitus, summâ papaverum capita calculo decussit. Ex quo filius intellexit, primores urbis interimendos esse, quod brevi præstitit. Hujusmodi Actiones, Activæ Chriæ argumenta esse possunt.

Quid est Chria *Verbalis?*

R. Illa est, quæ verba sententiose ab aliquo prolata explicat.

Da exemplum.

R. En aliquot. 1. Difficilius est imperata facere, quàm imperare facienda. 2. Pro focis interdum pugnatur acrius, quam pro Aris. 3. Propè se consequuntur, proponi formam, & exponi pudicitiam. 4. A summo declinantibus facilis est per prærupta ad infima quæque casus. 5. Non est in ejusdem manu ignem injicere, & injecto spatium modumque statuere. 6. Sparsa in commune gratia ab omnibus accipitur, à nemine redditur. *Famian. Strad. de bell. Belg.*

Quid est Chria *Mixta?*

R. Ea est, quæ factum quodpiam sermone conjunctum complectitur.

Da Exemplum.

R. Duplex affero. 1. Diogenes cum puerum vidisset petulanter & immodestè se gerentem, ejus pædagogum fuste percussit, adjiciens verberibus verba hæc: *Siccine puerum hunc tuæ curæ commissum instruis?* 2. Scilurus Scytha, octoginta filios moriturus cùm advocasset, jaculorum fascem singulis frangendum porrexit; sed frustrà: quis enim tot jacula simul collecta frangeret? Ipse verò tela singula seorsim eximens, nullo labore fregit, factoque monitum *Plutarch. in Apoph.*

præclarum addens: *Quamdiu*, inquit, *vos conjunget mutuus amor, arctoq; bienevolentiæ nexu vivetis copulati, tamdiu infract invictiq; eritis: At si qua dissensio vos segregabit ac distrahet, vincemini facilè.*

Chriæ Partes.

Quæ sunt illæ partes, seu capita, ex quibus Chria componitur?

R. Octo ista: *Encomium, Paraphrasis, Causa, Contrarium, Simile, Exemplum, Testimonium veterum, Epilogus.*

Seu mavis, vulgari modo loquar: Tractanda Chria est, à

Laudativo,	*Simili,*
Paraphrastico,	*Exemplo,*
Causa,	*Testimonio veterum,*
Contrario,	*Brevi Epilogo.*

Quid sibi vult *à Laudativo?*

R. Inchoandam esse Chriam ab illius laude, qui vel dictum protulit, vel edidit factum illud, quod Chriæ materiam præbet.

Quid significat illud *à Paraphrastico?*

R. Idem, ac si diceres *ab Expositione* facti, seu dicti, quod per Chriam suscepimus amplificandum. *Paraphrasis* enim nihil aliud est Latinè, quam liberior Interpretatio, & dilucidior Explicatio dicti cujuspiam.

Quid sibi vult *à Causa?*

R. Afferendum esse causam aliquam argumenti, quod pertractamus, v. g. in hac sententia *Pecuniæ obediunt omnia*, quærendum esse cur omnia obediant pecuniæ tanquam Dominæ: Et hæc præ ceteris occurret causa, quòd pecuniæ usus ad omnia sit ferè necessarius.

Quid

Quid illud eft *à Contrario?*

R. Significat, ex contrariarum rerum conflictu in confirmandum effe, quod probandum nobis eft, Exempli causâ: Quemadmodum pecuniæ obediunt omnia, id eft, ficut opulenti in cæteros imperium exercent, videnturque adepti licentiam omnium rerum; *E contrario*, Egeni jacent, contemnuntur aliorum voluntatibus coguntur obfequi.

Quid à Simili?

R. Illuftrandam effe docet propofitam fententiam fimilitudine quapiam. Ut: Quemadmodum Regi famulantur fubditi, & ab illius nutu cuncti pendent, ita pecuniæ obediunt omnia. Vel: Sicut qui claves habet portarum urbis & arcis, in cives dominatur, nemoque poteft ejus imperio fe fubducere fic qui pecunia abundat, eft qua cæterorum dominus.

Quid *ab Exemplo?*

R. Monet exemplum adducendum effe ad ftabiliendum quod intendimus. Ut fi dicam ad confirmationem allatæ fententiæ, Cæfarem pecuniarum largitionibus viam fibi muniffe ad totius orbis imperium.

Quid *à Teftimonio veterum?*

R. Oftendit, Scriptoris cujusdam veteris auctoritate confirmandam effe Chriæ fententiam v. g. Dicam idem fenfiffe Virgilium, cùm pecuniæ fummam potentiam admiratus, exclamavit in hæc verba:

- - - *Quid non mortalia pectora cogis,*
Auri facra fames?

Quid denique fibi vult, *à brevi Epilogo?*

R. Indicat, quæcunq; dicta funt, brevi aptà-

que verborum comprehensione concludenda esse.

Quod est difficillimum Chriæ caput?

R. Illud mihi videtur esse, quod secundo loco ponitur, quodque à *Paraphrastico* nominamus: ubi autem ab illo discesseris, Encomium, seu quod *à Laudativo* dicimus, non levis est laboris & negotii. Quocirca de utroque separatim nunc agendum est; adjiciemus postremò pauca de reliquis.

De primo Chriæ Capite.

A Laudativo.

Quam ob causam Chriam auspicamur à Laude Auctoris, sententiæ vel actionis amplificandæ?

R. Quia quò major est eloquentia, aut agentis auctoritas, eò majoris sunt ponderis ejus dicta, seu facta. Ut ergò Sententia aut Actio explicanda, non fidem solùm apud Auditores; sed quandam quasi venerationem sibi conciliet, præmittenda est laus auctoris.

Qua ratione laudandus est auctor?

R. Duplex hujus rei cautio est. *Prima*, ut laudes sint veræ; nam laudem, qua quis caret, ipsi tribuere, non est laudare, sed illudere. Licebit tamen, quod ait Cicero, hoc in genere largiri nonnunquam plusculum etiam, quàm concedit veritas; & adhibere Figuram, quam vocamus Hyperbolim, sive Auxesin, sed modestam. *Secunda cautio:* Ut propriæ sint laudes, eique convenientes, cui adscribuntur: Sic Poëta non est laudandus à robore virium, sed ab ingenio; nec Imperator à suavitate vocis, sed à fortitudine ac scientia militari.

Quas-

Quasdam mihi hoc loco ideas exordiendæ Chriæ quæso trade.

R. Faciam, eoque libentius, quòd me non lateat, nullam fermè rem esse in hoc genere, quæ tyronum animos molestius afficiat, quàm ista Chriarum Exordia. Cum enim in iis dicti vel facti cujuspiam laudandus sit Auctor, ut nunc monebamus, ubi tritum illud ac puerile: *Meritò laudandus est Isocrates*, præcinuerint, continuò hæret illis aqua nihilque occurrit quod adjiciant. Cui ego incommodo ut occurram, eorumque hac in parte molestiam utcunque levem, variaque Exordiorum Exempla subjicio è variis petita Rhetoricæ Locis ac Figuris, ad quorum imitationem similia ipsi condiscant, aut etiam meliora effingere.

EXORDIENDÆ CHRIÆ Modi varii.

His Exordiis Transitiones annectam idoneas, quibus primæ huic parti, quæ ab Encomio *dicitur altera Chriæ pars, quæ vocatur* à Paraphrastica, *aptè committatur.*

In Ciceronis laudem.

A Definitionibus Conglobatis.

I. Encomium. Ciceronem, quem meritò appellare possumus supremum fori Regem, Oratorum Consulem maximum, Triumphatorem animorum invictissimum, splendidissimumque Curiæ Solem, Rhetoricæ decus & ornamentum, Alumnum aut parentem totius eloquentiæ. Latinæque facundiæ fontem dicere solitum accepimus

a Lib. 5. Epist. 21. primus, a *præter culpam & peccatum hominum accidere nihil posse, quod sit horribile atque pertimescendum.* Quo quid præclarius? quid ab homine sapientissimo dici potuit?

à Paraphrastico. Expendamus, amabo, verba singula divinæ sententiæ. Itane verò, Marce Tulli, nihil pertimescendum esse ais, præter culpam? Quid? non est pertimescenda ipsa bonorum jactura? ipsa mors? &c.

In Virgilii laudem.

A Partium enumeratione.

II. Encomium. Vide Cerdam 1. tom. Virg. O Poëtarum Coryphæe, Virgili, quàm ego te lego lubens, ac laudo! Quis enim tam invido aut agresti ingenio est, qui si tuam una cum scriptis tuis evolvat vitam, virtutes in te non miretur maximas? Pudorem non prædicet admirabilem, qui virgineum tibi fecit nomen, dum *Parthenius* appellatus es? Humanitatem non extollat, quia omnium tibi coævorum devinciebas animos? Modestiam non exosculetur, quæ te compellebat in latebras, quoties digito à prætereuntibus monstrareris? Pietatem non veneretur, cui tot laudes tribuisti, quam moribus castissimis consecrasti? Prudentiam non afferat, quam Augustus ipse suspexit, cùm te consuluit, consiliumque danti paruit: Hanc equidem præ cæteris virtutum cum ubique suspicio tuis in poëmatis, tum verò perspicuè, cum asseruisti: *Non aliam salutis spem iis affulgere, qui victi fuerint quàm si nihil omninò sperent;* hoc uno carmine mysterium illud comprehendens & explicans:

Una salus victis, nullam sperare salutem.

Enu-

Enucleemus hoc mysterium; cujus sensum prorsus dicas carere sensu, si parum tibi perspecta fuerit Poëtæ mens. Quid enim verò? inquies: Ut saluti suæ consulat, qui ab hoste devictus est, speranda nulla est salus? Ita planè, nulla speranda est: Cùm enim nullum sibi superesse viderit salutis consequendæ locum, quid non aget? quas strages non edet, ut se expediat? &c.

In laudem Aristotelis.

A Notatione nominis.

Non sine divino consilio factum putem, quòd Principi Philosophorum, *Aristotelis* fuerit impositum nomen. Quid enim ἄριστος, nisi *optimum* sonat? Quid τέλος, nisi *summum*, nisi *extremum*, *perfectum*, *absolutumq;*, significat? Fuit nimirum id nominis absolutissimæ laudis quasi prænnncium, quâ vir ille summus sic excelluit, ut in ipsius mente Sapientia videretur fixisse sedem; aut certè dono quodam providentiæ crederetur esse progenitus, in cujus animo Artes omnes, optimæ atque liberales Disciplinæ vires suas ad certamen usque experirentur, ac ostentarent. Adeò infinitâ eruditione conspicuus, omniumq; præclarissimarum rerum intelligentiâ instructissimus, supremum attigit doctrinæ verticem, statutamq; humanæ menti metam ingenii celeritate longè multumque superâsse visus est. Talis ac tantus vir, audite, quid aliquando in commendationem litterarum responderit: Rogatus enim, *quo differrent Docti ab indoctis*; *quo*, inquit, *Viventes à Mortuis.* III. Encomium.

 O di-

à Paraphrastico. O dignum Aristotele responsum! ô mortalium sapientissimo digna vox! Hoc tu vivere putas, qui omnis eruditionis expertes in summa optimarum artium ignoratione versantur? Hos, inquam, vivere tu putas, quia sentiunt, quia loquuntur, quia cæterorum more usurâ lucis fruuntur. Erras. Hæc vita non est, &c.

In Senecæ laudem.

A Genere & Forma.

I V. *Encomium.* Magnam quidem egregiamque laudem sibi sapientissimus Romanorum Seneca peperit, eximiamque existimationem adeptus est, cùm plurimis præclarè factis, tum verò æquali vitæ moderatione, quam non minus in adversis, ac in secundis rebus adhibuit; majori tamen luce gloriæ nomen illustravit suum clarissimis ingenii monumentis, quæ transmisit ad posteros tot Figurarum luminibus renidentia, tot abundantia sonantibus verbis, tam gravibus ornata sensis, ut quamvis cæteræ animi laudes abfuissent, hæc una tanti viri famam ad sempiternam temporis memoriam propagatura facile fuisset. Illum adeo non loqui diceres, sed oracula fundere; non scribere, sed leges ferre; nec tam in verba characteres fingere, quam figurare verba in sententias; At quàm argutas! Superi! quam exquisitas! quàm reconditas! Unam de omnibus vultis explanemus? Accipite, quàm scite perversam hominum in carpendis aliorum factis consuetudinem carpat ipse, atque reprehen-

prehendat: *Aliena vitia*, inquit, *in oculis habemus, nostra à tergo sunt.*

Planè ita res habet, gerimus, quod ajebat alius ille manticam super humerum, in illius anticam partem aliena peccata; in posticam propria immittimus, ut nostra hæc nunquam inspiciamus, illa contrà semper obversentur oculis, &c. *à Paraphrastico.*

In Cæsaris laudem.

A Comparatione & Contrario.

Etsi non satis judicatu proclive plerique putent, plusne linguâ Cæsar valuerit, quàm factis; commentariis quàm vi oris; dicendi quàm bellandi arte præstantior: in ea ego tamen opinione sum, ut eximem illum militare decus obscurâsse scribendi gloriâ, victoriasque vicissim suas dicendi laude; ingeniique pertinaciaté non modò assecutum esse magnitudinem animi, bellicamque fortitudinem ac felicitatem; verùm etiam longè multùmque superâsse. Præterquam quod enim eximias laudes bello partas; innumerabilesque triumphos, Commentariorum quos edidit divino beneficio, edacitati temporis subduxit, æternitatique commendavit. Quis neget egregia, quæ armatus gessit, facinora, populorum dedecorasse infinitâ clade? palmas quas messuit, miserorum rigasse sanguine, captarum direptione urbium ac provinciarum suam amplificasse dignitatem, aliena damna stragesque publicas quasi per gradus supremum conscendisse gloriæ thronum & V. *Encomium.*

orbem subegisse universum? At verò Ingenii victoriæ, quas retulit, Eloquentiæ triumphi quos egit, Eruditionis trophæa quæ consecravit, non modo nemini perniciem, sed summam etiam utilitatem, posteris futuris ætatibus admirationem, ipsique Cæsari immortalem nominis famam, illibatumque decus peperêre. Æstimate quæ de illo dixi, dicique possunt, unius hujus consideratione sententiæ, & ex ungue, quod ajunt, leonem cognoscite: *Nihil*, inquit, *Imperator faciat lubentius quàm supplicibus ignoscere.*

à Paraphrastico. Audite Duces, Legati, Tribuni militum, Imperatores, audite Cæsarem, Imperatorem omnium, Ducem ac Regem, militaris officii jura describentem; ex eo discite quid vobis sit libentius in bello faciendum, si palmas, si victorias, si coronas ambitis. *Nihil*, inquit, &c.

In Q. Curtii laudem.

A Simili.

VI. *Encomium.* Terenti mihi, ac sæpenumerò legenti Q. Curtii Commentarios, deambulare videor in horto quodam ornatissimo inter pictas areolarum amœnitates, pervenustis distinctas flosculis, quorum odoribus invitari me undecunque sentio, jucundissimèq; compelli, ut illum legam potiùs, ut istum aliumque priùs decerpam; cùmque mihi se carpendos singuli certatim offerant, nullus occurrit tamen, quem posthabeam, quem cæteris anteferam; ita proprio colorum decore alii aliis præfulgent, singuli singulos vincunt venustate formæ, præcipuâque

puâque odorum fragrantiâ. Haud absimili ratione Historiam dum lego Curtii, voluptate quasi laborat animus, mirâ sententiarum varietate blandè pellectus, quibus pulcherrime collucet tota, venustissimeque distinguitur. Una est tamen præ cunctis arridens, quam modò paulò curiosius, ceu florem eximium placet olfacere, attentiusque contemplari. Proh! quam suavem exhalabit odorem, ubi explicata fuerint verborum folia, quibus efformatur! *Nibil*, inquit, *tam altum natura constituit, quo virtus non possit eniti.*

Quid enim tam sublime arduumque esse aut fingi potest, quo virtute instructus homo aspirare non possit, atque pertingere? Quæ difficultates objicientur, quas non perrumpat? qui opponentur obices, quos non dejiciat? quæ impedimentorum moles, quas non evertat? &c. *à Paraphrastico.*

In laudem Severini Boëtii.

Ab Effectis.

Qualis, quantusque fuerit, quàm eximiè cumulatus omni genere laudum, quàm illustri conspicuus meritorum famâ Severinus Boetius, quâ valuerit apud Reges gratiâ, apud omnes auctoritate; quam excellenti fuerit in Deum fide, quâ pietate præcelluerit, quantâ publicam rem administrârit sapientiâ; quantâ linguarum omnium cognitione floruerit, quàm admirabili eruditione ornatus, quàm reconditâ singularique literaturâ perpolitus, quæ volumina scripserit, quos in lucem libros ediderit, quæ virtutum monumenta reliquerit, VII. *Encomium.*

quas pertulerit ærumnas innocens, quos carceres, quæ vincula, quos cruciatus, quàm crudelem acerbamque mortem pro Catholicæ Religionis defensione tolerarit, quam denique tot factis, tot studiis, tot laboribus immensam gloriæ mercedem collegerit, si oratione recensere mihi esset animus, haud aliud profectò mihi faciendum putarem, ac malè feriatus ille, qui Solem ipsum illustrare malignâ candelæ luce moliretur. Dejiciamus ergò vultum, ut ne perstringatur animus tam inusitato laudum splendore, & venerationis velo luminibus obducto, unum duntaxat admiremur ex illo laudum Sole radium. Ipsius facta taceamus, dicta volvamus animo; prætereamus quæ laudatè gessit; expendamus quæ scripsit præclarè, hancque præcipuè dignam seculorum omnium admiratione sententiam: *Infeliciores sunt*, inquit, *qui faciunt, quàm qui patiuntur injuriam.*

à Paraphrastico. Quis hoc credat: qui alios convicio violant, injuriis afficiunt, omni contumeliarum genere divexant, iis ipsis esse miseriores, quos miseriis obruunt? &c.

In laudem Famiani Stradæ.

Per Apostrophen.

VIII. *Encomium. a Interrogatio & Similiter desluens.* O te omnium literarum commendatione cohonestandum, Famiane Strada! ô te singulari laudum prædicatione, & Oratorum omnium voce præconiisq; celebrandum! *a* Quod enim non meretur honoris præmium inusitata dicendi facultas, quâ eminuisti? Quam laudis mercedem non sibi jure vendicat exquisita illa Rhe-

Rhetoricæ artis intelligentia, qua enituisti? Quem gloriæ fructum tuo non jam peperit nomini, parietque indies semper majorem absolutissima illa historiæ conscribendæ peritia, qua excelluisti? Sanè quod verbis scripta tua distincta sunt, tot mihi videntur illuminata gemmulis; & quot sententiis conspersa, tot arridere flosculis, totque splendentibus stellulis jucundissimè radiare. *b* Illarum tamen gemmularum velut adamantem pretiosissimum, illorumque florum tanquam rosam elegantissimam, harumq; stellarum veluti solem sententiam istam reliquis aliis nemo non anteponat, quam sic expressisti: *Belli Duces nihil magis timere debent, quàm ne timere videantur.* *b Distributio.*

Auditisne, copiarum Doctores? Præfecti exercituum intelligitis quid metuendum in bello sit? Nihil, inquitis, fortissimo Duci metuendum est. Imò unum est, quod maximè reformidare debeatis, ut ne videlicet quicquam reformidare videamini, &c. *à Paraphrastico.*

In laudem S. Hieronymi.

Per Congeriem Sententiarum.

Eximiam quidem admiranda ingenii vis ac celeritas, qua celeberrimum Ecclesiæ Doctorem Hieronymum floruisse constat, laudem ac venerationem meretur: summam illius eruditionem, cumulatamq; linguarum omnium notitiam, omnium ingenuarum artium cognitionem perfectissimam, qua præcelluit, omnibus encomiorum ornamentis nemo dignè satis illustret. Nulla mihi tamen ex innumeris, quem illum

illum commendavêre, animi dotibus, sublimior videtur aut major, quàm inusitata illa Sapientiæ virtus, cùm in omni ejus vita clarè renidens, tum præcipuè in sententiarum majestate, quibus ea, quæ nobis radidit, doctrinæ monumenta pereruditè illustravit, incredibili splendore præfulgens. Quæ ne quis magnificentius à me dicta, quàm veriùs forsitan existimet, placet ex iis unam proferre in medium, omnibusq; demirandam proponere; *Sola*, inquit, *libertas est, non servire peccatis.*

à Paraphrastico. Quid igitur, Doctorum maxime? Qui sui juris est, & pro arbitrio cuncta gerit, is non est liber? Non est liber. Qui nihil coactus, nihil necessitate compulsus, sed sponte agit omnia; eum non dices liberum? &c. Non dicam liberum, &c.

In laudem S. Ambrosii.

Per Interrogationem & Auxesin.

X. *Encomium.* Quæ lingua usque adeo soluta & eloquens? quæ tam diserta volubilisque dicendi facultas? quod Orationis genus tam expolitum perfectumque vel minimam laudum particulam aut verbis exequatur, aut enumerando recenseat, quas Ambrosius (ò ambrosiâ dulcius nomen: ò nectare suavius ingenium!) illustri sanctimoniæ famâ, ingeniique magnitudine sibi comparavit? Deficiunt mihi certè verba, calamusque torpet, stupentique similis animus hæret admiratione suspensus, quoties eximia ipsius, quæ transmisit ad posteros, eruditionis ornamenta pervolvens sententiarum, quas cum viveret,

plena

pleno profudit ore, consignavitque deindè literis, varietatem atque majestatem attentâ cogitatione perpendo. Attamen omnium illa mihi semper est visa longè præclarissima, & ad morum informationem imprimis utilis ac pernecessaria, quam his verborum coloribus adumbravit: *Luxuria seminarium & origo est vitiorum omnium.*

Si quis ergò omnia profligare vitia cupit, indicat uni luxuriæ bellum; immortales capitali huic vitio inimicitias denunciet, &c. *à Paraphrastico.*

In laudem S. Bernardi.

Per Apostrophen Allegoricam.

Huc adeste ingeniosæ librorum Apiculæ; huc convolate eruditi mellis Artifices studiosissimi, qui curiositatis ac diligentiæ subnixi pennis florulentos scientiarum hortos circumvolitantes, singulas descriptorum voluminum areolas perlustratis animo, atque odoramini; huc adeste. Ad amœnissimos Scriptoris planè mellei (Bernardus is est, benè nostis) vos hodie pulvillos invito, innumeris perspersos suaveolentibus herbulis, floribusque pulcherrimis suavissimè picturatos. En flosculum vobis hunc unum inspiciendum atque olfaciendum offero, ut de cætera divini hujus horti magnificentia capiatis specimen. At quem flosculum offero? Sententia hæc est, quâ nihil arbitror vel subtilius, aut sapientius dici potuisse: *Omnia illi desunt, qui nihil sibi deesse putat.* XI. *Encomium.*

Nihil sibi deesse putat homo opulentus, omnibus fortunæ muneribus affluens, desuntne illi *à Paraphrastico.*

illi omnia? Prorsus omnia. Nihil desiderat, cui ad voluntatem cuncta fluunt, omniane illi desunt? Ita desunt, &c.

In laudem S. Augustini.

Per eandem Figuram.

XII. *Encomium.* Stellæ, cæteraque minora sidera delitescite; Sol, Dux vester & Imperator exoritur; abscedite Scriptores Ethnici, profanæ faces, tenebricosæ lampades, viles nitedulæ, vestris vos sublustribus umbris involvite: Et vos lucidissima doctrinæ purioris astra, Doctores illustrissimi, decedite quoque tantisper honoris gratia; Augustinus adest, ingeniorum Sol, orbis Christiani clarissimum lumen ac decus: En, jam prodit splendore virtutem ac sententiarum, Ecclesiæ maximum sidus, radiis errorum caliginem discutit, vitiorum tenebras pellit, hæresiumque dissipat nubes, & mundum erudita luce collustrat universum, perpetuumque, quod mirêre, diem efficit, suumque post occasum in suis, etiam nunc, totus refulget scriptorum parheliis, in quibus suam expressit ipse imaginem, nulla temporis aut oblivionis caligine obscurandam. O splendidam, quam aureis characteribus depictam in iis video sententiam! Quid ais, Augustine? Quid radio descriptum unico nobis legendum objicis? *Mali serviunt bonis*, inquis.

à Paraphrastico. Bonis malos servire dicis? Quin potiùs malis bonos servire asseris? Sic enim comparatum videmus à rerum ortu, ut vitio virtus oppressa serviat. Vera tamen sunt quæ pronun-

nuntias. Serviunt bonis mali, quibus in rebus, &c.

Habes hic duodenos Chriæ exordiendæ modos, totidemque encomia, quorum nonnulla si fortè cuipiam prolixiora videbuntur, ad suum judicium meam quoque sententiam adscribat, etsi consultò, hoc etiam in genere; in gratiam Candidatorum luxuriare placuit, habent enim collectas unum in locum multiplices laudum formulas, quarum varios in usus non rarò indigent. Ut autem dicam hac in re quod sentio, hujusmodi Chriarum Exordia eò aptiora mihi videntur ad dictionem reliquam, quò paucioribus sunt comprehensa verbis. Quid enim opus est sic excurrere in laudem Auctoris, cùm non de illo habendus sit sermo? Idcircò obiter tantum perstringere illius laudes mallem iis ferè similibusq; formulis.

Breviora Chriarum Exordia.

I.

Quæ splendidior unquam floridiorque sententia ab hominum sapientissimorum ore dimanavit? Quæ cogitatio subtilior concinnioribus expressa vocibus? Quis animi sensus argutior, literis mandandus illustrioribus? Quod acute dictum insignius, elegantiori explicatum verborum contextu, quàm quod Romanorum omnium, imò etiam omnium gentium eloquentissimus Cicero paucis hisce voculis est complexus: *Improbo bene esse non potest.*

II. Po-

II.

Potuitne egentissimus, simulque locupletissimus ille mortalium omnium, ille rerum humanarum contemptor, calcator ille fastus & arrogantiæ, ridiculus ille admirabilisque Philosophus ac derisor Diogenes; potuitne, inquam, quicquam profari verius, vel ingeniosius, quam cum interroganti cuipiam, quodnam sibi videretur sustinere terrâ gravius onus: *Indoctum hominem*, respondit.

III.

Quam sapienter clarissimum Hispanici Parnassi lumen & ornamentum Seneca, ingenii subtilitate nulli secundus, & sententiarum gravitate inferior nemini, tragici majestate carminis omnibus facile superior, divinum ac mirabile hoc effatum pronuntiavit:

Qui non vetat peccare, cùm possit, jubet.

IV.

Nihil veritati convenientius, aut ad legentium profectum utilius exarare potuisti. Properti suavissime Poëtarum, Umbriæ, quæ te tulit, illustre sydus; Italiæ, quæ ingenii tui comitatem mirata est, insigne decus. Dico iterum nihil immortali mandare chartæ potuisti ad morum institutionem perfectiùs, quàm hunc versum:

Imperat, haud servit possessa pecunia cuiq;.

Audite Pueri & Juvenes, qui turpissimas odistis; cane pejus & angue voluptates, audite quid vobis accinat Ovidius Poëtarum ille Dux & Coryphæus, qui ingenii laude singulari sempiternæ memoriæ nomen commendavit suum, omnium scriptis & prædicationibus exornandum: *Est*

venus

venus in vino, inquit. Venerem aversamini? vinum respuite.

VI.

Quid arbitraris, purissimæ Latinitatis summe Princeps Comicorum excellentissime, disertorum elegantissime Terenti, qui comitate morum, amœnitate dictionis, ac sententiarum cupediis capis oculos, animosque retines, miraque voluptate reficis? Quid arbitraris? *Id arbitror*, inquit, *apprimè in vita utile esse, ne quid nimis.*

VII.

Quoties Sallustii, Historicorum omnium, meo quidem judicio, facile Principis, dignos æternâ luce commentarios evolvo manibus, oculis perlustro, mente animoque considero, continere me non possum, quin admirabundus exclamem: O virum omnium literarum laude celebrandum! ô sempiterna dignum commendatione ingenium! quam prudenter singula digessit, quàm eruditè discussit omnia, quàm graviter cætera, tum verò hanc sententiam protulit: *Majorum gloria posteris quasi lumen est, neque bona eorum, neq; mala in occulto patitur.*

VIII.

Non sine causa magnus ille sapientissimusque Declamator, Rhetorumque Magister Quintilianus eximio ingenii splendore eam gloriæ mercedem consecutus est, ut omnem invidiam superasse videatur: Quis enim illo in laudando comtior? Quis in vituperando acrior? Quis in edisserendo subtilior? Quis ornatior in verbis? Quis argutior in sententia? Mihi certè acutior nunquam visus est ac expressior,

tu, compoſitione ſuperâſti? *Doleo.* Quid doles? Quòd votis fortuna tuis parùm obſecundet? quòd morbus te aliquis, aut ægritudo mentis invaſerit? *Doleo.* Quid eſt, quòd doleas? (ſuſpenſio ſit prolixior fieri poſſet.) *Doleo quod antelucanâ opificum induſtriâ ſæpe victus ſim.* O contentionem admirabilem! Dolet Orator ille præſtantiſſimus, Adoleſcentes, quod major ſit, quam noſtra, opificum diligentia, &c.

XII.

Nemo læditur, niſi à ſeipſo. Quis hoc dixit? Quis? Orator ille ſanctus, qui unus omnia diffuſa per omnes Oratores ornamenta complexus. Quis id aſſeruit? Antiſtes ille ſacer, nullo decorandus convenientiori nomine, quam ſi ex omnium ſæculorum, ingeniorumque virtutibus collecta perfectio nominetur. Quis hoc affirmavit? Eloquentiſſimus ille Præſul, in quo omnes Rhetorum colores, omnes ingeniorum divitiæ, omnes elegantiarum deliciæ ad certamen usq; luxuriant. Quis id protulit? Os illud magnum, ſapiens, beatum, nectare & ambroſiâ diffluens; proprium dicam nomen, ipſum Os Aureum, vel ut clarius, etſi Græcè loquar, ipſe Chryſoſtomus hoc dixit, & benè longâ Oratione comprobavit.

De ſecundo Chriæ Capite.

A Paraphraſtico.

Hæc pars eſt tanquam Chriæ baſis & fundamentum, cui innituntur, & ad quam referuntur cæteræ ſeptem. Idcircò in ea con-

formanda exornandaq; accuratiori ſtudio deſudandum; hanc fundere Periodi, hanc Orationis pigmenta diſtinguere, hanc Figurarum gemmæ illuminare debent: nihil deniq; non agendum, ut ſuis numeris expleta perfectaque ſit.

Inde fit, ut hæc una pars plus fermè negotii exhibeat Rhetoricæ Candidatis, quàm reliquæ omnes; quòd profectò difficillima videatur, ac re ipſa ſit. Quocirca enitendum nunc mihi eſt, ut ſi non tolli omnino poterit difficultas illa, minuatur quidem certè quantum conſequi potero.

Artificium explicandæ Sententiæ.

Præmittenda nonnulla ſunt, quò faciliùs intelligantur quæ ſequentur.

1. Sententia vel eſt ſimplex, vel compoſita. Simplex eſt, quæ ſenſum unicum habet. Ut, *Omnia vincit amor.* Compoſita, quæ duplicem habet ſenſum. Ut: *Audaces fortuna juvat timidosq; repellit.* Quod de Simplici dicam, idem intelligendum de Compoſita; nihil enim inter utramque intereſt, niſi quod in Simplici unus tantùm, in Compoſita duplex ſenſus eſt explicandus.

2. In qualibet Sententia duo ſunt expendenda: Primum, id de quo enuntiatur aliquid, (quod Dialectici *Subjectum* vocant) Alterum, id quod enuntiatur, (*Prædicatum*, ſeu Attributum dicitur à Dialecticis.) v. g. Cùm dico, *Omnia vincit amor*, quod illud eſt, de quo enuntiatur aliquid? *Amor.* Quid autem enuntiatur & prædicatur de Amore? quod ſcilicet omnia vincat.

3. Omnis

3. Omnis Sententia duobus ad minimum constat Membris, ac sæpè pluribus. Ut explicetur autem & dilatetur, quid est faciendum? Idem prorsus, quod Progymnasmate primo faciendum esse præcepi, cùm docerem Modum dilatandæ Periodi, *pag. 36.* Partes singulæ cujusque Membri exponendæ sunt, illius præsertim Membri, quod videbitur esse præcipuum, quodque in plures partes distribui commodiùs potest. Exemplis fient perspicua quæ dicimus, vulgarem si Sententiam sumamus explicandam.

OMNIA VINCIT AMOR.

Hujus Sententiæ tria verba sunt totidemque membra: *Amor vincit omnia.* Unaquæque vox est quoddam quasi totum ex multis partibus compositum: hæ partes convolutæ ac complicatæ, permistæque sunt, latentque sub trium illarum vocum involucris. Evolve atque explica singulas, & incipe, si vis, ab ista, quæ cæterarum tanquam basis est quædam.

Amor.

Habetne partes vox hæc, *Amor*, quas explices? Nulla quidem habet veras; neque enim res est corporea; habet tamen quasi partes: Definitiones nimirum varias, quæ ei convenire possunt, & ex quibus coalescit tanquam ex partibus. Quærendum igitur est, quid sit Amor, & ab ejus effectibus hæ tibi Definitiones occurrent.

Amor, rapax illa cordis illecebra, invictus ille Tyrannus animi, ille motuum Concitator, & intestinarum perturbationum incentor, fatalis illa fax humanæ mentis, insidiosa

illa Siren, suavis ille Terror, blandusque Carnifex, &c.

Vincit.

Quid est, *vincit?* hoc est, pellicit, irretit, implicat, ferit, vulnerat, affligit, prosternit, arma eripit, spolia detrahit, catenas injicit, tradit in servitutem, carceri mancipat, dominatum exercet, ad suum nutum & arbitrium torquet, versat, inflectit, sui juris efficit. Quid?

Omnia.

Omnia; hoc est, hominem ipsum totum, corpus, animum, sensus omnes, omnes facultates animi, mentem, memoriam, voluntatem. Nam simul ac hominem devicit amor, quid facit? Corpus totum sibi devincit, oculos dirigit in rem amatam, aures advertit ad illius laudes & jussa; indit pedibus celeritatem, ut ferantur quo imperat; manibus addit solertiam, ut famulentur; ori venustatem, ut placeat, cor succendit, ut amet, mentem occupat, ut de illa nunquam non cogitet; tota ardeat.

Omnia vincit, id est, omnes omnium ætatum viros ac fœminas, puellas, adolescentes, senes decrepitos: omnium conditionum tam plebejos, quàm patricios; tam subditos, quam Principes; pauperes æque ac locupletes, milites ac duces, captivos & liberos, togatos & sagatos, urbanos & agrestes, robustos & imbelles, eruditos, & imperitos. Singulæ jam recense. Viros amor effœminat, fœminis virile robur ingenerat, puellis ingenium, adolescentibus ardorem, senibus robur, vigorem decrepitis: plebejos ere-

evehit, patritios deprimit, inopes ditat, divites expoliat, milites exarmat, duces ducit per triumphum, captivos in libertatem, liberos in servitutem asserit, fores frangit, inermes roborat, potentiamque Regibus ereptam impendit subditis.

Omnia vincit: hoc est, fortunæ ac naturæ dona & dotes animi: divitias, honorem nobilitatem, pulchritudinem, robur, sanitatem, Artes omnes, disciplinas, scientias, virtutes omnes, sapientiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam pietatem sibi subjicit, suo imperio obnoxias reddit.

Omnia vincit: nempe difficultates, quæ ipsi opponi possunt; obices, claustra, montes, arces, carceres, vincula effringit, perrumpit, tollit, terrores, ærumnas, molestias, ægritudines, mortem ipsam, mala omnia vincit.

Omnia: nimirum omni in loco, rure ac domi, intùs & foris, terrâ & mari, in sylvis & in urbibus, in privato & publico, in sacris ædibus & profanis, in tuguriis & palatiis, occultis in locis & in patentibus, munitis & apertis; ubique denique vincit Amor.

Omnia: omni videlicet tempore, omni ætate, tempestate, de die & de nocte, mane & vespere, quacunque die, horâ qualibet, quovis momento.

Omnia: scilicet omni modo vincit Amor: armatus & inermis, & dolo, & apertâ vi, irrepens & irruens, ex improviso & ex destinato, sincerè se gerens ac simulatè, fallaciis, blanditiis, precibus ac minis, laudibus & conviciis

objurgando & obsecrando, muneribus ac vulneribus, aspectu, voce, silentio, gestu, risu, lacrymis, oculis, osculis, acerbitate ac suavitate, odio & benevolentia, fugiendo & insectando.

Vides hanc unam vocem, *Omnia*, explicatam, quantam rerum segetem præbeat non ad unam certe Chriam, sed ad implendum volumen integrum. Ponamus jam alia Exempla diversi generis, ne existimes hoc solummodò dilatari posse, non sensis fœta, ut illud, sed multò jejuniora.

AUDACES FORTUNA JUVAT.

Ternæ illæ voces similiter exponendæ sunt, haud dissimili ratione.

Audaces.

Qui sunt Audaces? Ii sunt, qui periculis non terrentur, qui discrimini objiciunt caput, qui nec vulnera, nec mortem exhorrent, quos nullus timor dejicit, nullus adversæ fortunæ casus remoratur. Qui nunquam pallent, nunquam formidant, nunquam trepidant, nec diffidunt, neque desperant. Qui intrepido vultu hostem aspiciunt, ejusque minas rident, ejusque tela contemnunt, eique nunquam terga vertunt, sed in illum potiùs imperterriti irruunt. Qui generoso incitati laudis impetu illuc rapiuntur, ubi discrimen gravius, ubi periculum præsentius. Qui stimulati præclarâ gloriæ cupiditate, si committendum prælium est, primi se in confertos hostium cuneos immittunt; si vi expugnanda munitio, scalas admovent primi, mœnia scandunt, in hosti-

hostica transiliunt castra. Qui læsi, non recedunt loco; deserti, non respiciunt Fugam; prostrati, non concidunt animo. Tales.

Fortuna.

Dea illa, tametsi cæca, volucris, inconstans, anceps, dubia semper, ac varia.

Juvat.

Hoc est, periculis tutos, armis invictos, & malis infractos tuetur, servat, defendit, protegit, roborat, animat, urget, in hostem incitat, obices amovet, labores levat, discrimina tollit, clades repellit, eis iter ad victoriam sternit, & arcus triumphales erigit, laureasque texit coronas, & immortalis gloriæ triumphos adornat.

Unum adhuc sumamus Exemplum.

DONEC ERIS FELIX, multos numerabis amicos.

Sententia hæc duobus tantum constant membris. 1. *Dum felix eris.* 2. *Multos amicos numerabis.* Sic autem utrumque diffundam; quærendo, quid sit esse *felicem?* deinde quid sit, *numerare multos amicos.*

Donec eris felix.

Esse felicem, est. 1. Fortunâ uti prosperâ. 2. Opes amplas possidere. 3. Honores ac dignitates obtinere. Hoc igitur modo illud expones per Synonymorum congeriem.

Quamdiu fortuna respondebit optatis tuis votisque suffragabitur, & voluntatibus obsecundabit, tibique fluent ad arbitrium omnia,

nutu tuo cuncta pendebunt. Quamdiu florentissimus erit rerum tuarum status, nullum tibi infortunium accidet, felicitate tibi præferri nemo poterit, iis vel ornamentis vel præsidiis affiues quibus majora esse nulla possunt, nihilque eorum desiderabis, quæ ad benè beateque vivendum requiruntur.

Quamdiu affiues divitiis, maximæ tibi facultates erunt, omni copiarum genere abundabis, omnibus fortunæ muneribus egregiè ornatus eris, & ab re familiari paratissimus. Quamdiu lauta in domo habitabis splendide sumptuosa tibi erit supellex; lucebunt pretiosis aulæis cubicula, abacus radiabit argento, mensa exquisito semper ciborum apparatu instructa fuerit, & arcas aure refertas possidebis.

Quamdiu gloriâ circumflues, nominis tui memoria celebrabitur, auctoritate valebis, florebis gratiâ, eximiis fulgebis honorum titulis: Quamdiu summum obtinebis atque altissimum civitatis gradum, eaque geres, quæ in Republica putantur amplissima; Tamdiu.

Multos numerabis amicos.

Hoc est, innumeros invenies, qui se tibi addictos obstrictosque profiteantur, qui singulare suum polliceantur studium in omni genere officii, quod ad gloriam, & ad rem tuam spectet; qui palam prædicentes, nullum pro te laborem, nullum se onus recusaturos, qui quæcunque tibi grata esse viderint, omni curâ ac diligentiâ complectantur. Occurrent tibi frequentes, cum descendes in publicum, deducent te, stipabunt latus, honorificis te verbis excipient, salutabunt, comi-

comiter amplectentur, venerabuntur, laudibus efferent; à te stabunt, tuas partes suscipient, ad tuas rationes se adjungent, sua omnia studia tuam ad dignitatem conferent, omnem industriam tibi dicabunt, se ubique strenuos praebebunt tui defensores, &c.

Jamne intelligis quàm facilè dilatari possit quævis sententia? quod enim in his tribus Exemplis à me factum est, idem tibi faciendum erit in cæteris: Non quod Locutiones illæ variæ ac synonymæ coacervandæ sint eo, quo feci, modo; id enim esset puerile ac nugatorium: sed temperanter & cum delectu usurpandæ, prudenterque disponendæ erunt. Multa verò congessi idcirco unum in locum synonyma, ut adverteres quanta sit ubertas materiæ, quanta locutionum varietas & abundantia, è quibus cum componenda Chria est, aut quævis alia Amplificatio, resecanda sunt inutilia, & adhibendus Figurarum ornatus, ut Exemplis mox ostendemus: ad quæ priusquam descendamus, præmittamus quædam non inutilia.

TRANSITIONES.

Ad connectendas Chriæ partes.

Subjungo jam communes quasdam Transitionum formulas, quibus singula Chriæ capita copulantur inter se. Scio quod alibi monuimus, Transitiones hujusmodi vix sub Artis præcepta cadere, sed ab ipso, quod tractatur, argumento deduci naturaliter, non tamen sine dicentis aut scribentis solertia. Ne quid tamen hac etiam in re desideret: nonnulla attexam, quæ

omni fermè argumento convenire possint. Sumamus hanc Sententiam, exempli causa : ARDUA EST AD VIRTUTEM VIA.

TRANSITIONES.

A Paraphrastico ad Causam.

Quod si hujusce rei causam ex me quæras, dicam, arduam idcircò ac difficilem esse viam virtutis, quod, &c.

Rogas, undenam hæc difficultas oriatur? An nescis, non aliam assignari causam posse, quàm quod, &c.

Sciscitaris ex me causam hujus difficultatis? Accipe. Ideò mihi videtur illa difficilis, quod, &c.

Nec mirum est, virtutis iter plenum esse laboris ac molestiæ. Nam, &c.

Sed quid miramur quod via ad virtutem ducens tam incommoda, adeò impedita sit. Etenim, &c.

Atque hæc hujus difficultatis mihi videtur esse ratio, quod cùm naturâ proclives simus ad vitia, &c.

A Causa ad Contrarium.

Facilis contrà lubricaque ad vitium via est.

At verò via, quâ ferimur ad vitia, ita commoda est, ut duce nequaquam sit opus.

Contra verò, quid faciliùs, quàm labi ad vitia? Quam jucundum & amœnum est vitiorum iter!

Nullum è contrario expeditius & facilius iter, ... quod ad vitia non ducit, sed præcipitat hominem, ;

Sed

Sed ut abrupta, plenaque laboris ad virtutem via est; ita planissima plenaque voluptatis est quâ rapimur ad vitium.

At, ô miserrimam conditionem nostram! quantum molestiarum experimur, cùm ad virtutem tendimus, tantum percipimus jucunditatis, ruentes ad vitia.

Atque utinam æquè saltem incommoda esset ad vitium, atque ad virtutem est via! Verùm nihil simile, nihil habere commune possunt virtus & vitium, cum labore ad illam, cum voluptate ad hoc tendimus.

A Contrario ad Simile.

Quemadmodum enim ascensus difficilis esse solet, tantoque difficilior, quanto infirmiores sunt vires ascendentis, & asperior collis est: Ita, &c.

Non secus autem ac .... Haud aliter verò quàm molestissima res est scientiarum rudimenta perdiscere: Sic, &c.

Et verò, quod in arte architectonica usu venit, ut magnus sit in ædificando labor, in destruendo nullus: Similiter, &c.

Vide quantâ curâ, quantâ contentione imago pingitur, quæ momento lacerari delerique potest: Idem accidit, &c.

Sic non sine ingenti labore ac periculo adamantem è rupibus inaccessis, aurum è terræ visceribus, uniones è fundo maris ejiciuntur.

A Simili, ad Exemplum.

Testes sunt Heroes illi omnes, qui vitam in ærumnis consumpsere, ut virtutem adipiscerentur.

illi omnia? Prorsus omnia. Nihil desiderat, cui ad voluntatem cuncta fluunt, omniane illi desunt? Ita desunt, &c.

In laudem S. Augustini.

Per eandem Figuram.

XII. *Encomium.* Stellæ, cæteraque minora sidera delitescite; Sol, Dux vester & Imperator exoritur; abscedite Scriptores Ethnici, profanæ faces, tenebricosæ lampades, viles nitedulæ, vestris vos sublustribus umbris involvite: Et vos lucidissima doctrinæ purioris astra, Doctores illustrissimi, decedite quoque tantisper honoris gratia; Augustinus adest, ingeniorum Sol, orbis Christiani clarissimum lumen ac decus: En, jam prodit splendore virtutem ac sententiarum, Ecclesiæ maximum sidus, radiis errorum caliginem discutit, vitiorum tenebras pellit, hæresiumque dissipat nubes, & mundum erudita luce collustrat universum, perpetuumque, quod mirêre, diem efficit, suumque post occasum in suis, etiam nunc, totus refulget scriptorum parheliis, in quibus suam expressit ipse imaginem, nulla temporis aut oblivionis caligine obscurandam. O splendidam, quam aureis characteribus depictam in iis video sententiam! Quid ais, Augustine? Quid radio descriptum unico nobis legendum objicis? *Mali serviunt boni*, inquis.

à Paraphrastico. Bonis malos servire dicis? Quin potius malis bonos servire asseris? Sic enim comparatum videmus à rerum ortu, ut vitio virtus oppressa serviat. Vera tamen sunt quæ pro-

nuntias. Serviunt bonis mali, quibus in rebus, &c.

Habes hic duodenos Chriæ exordiendæ modos, totidemque encomia, quorum nonnulla si fortè cuipiam prolixiora videbuntur, ad suum judicium meam quoque sententiam adscribat, etsi consultò, hoc etiam in genere; in gratiam Candidatorum luxuriare placuit, habent enim collectas unum in locum multiplices laudum formulas, quarum varios in usus non rarò indigent. Ut autem dicam hac in re quod sentio, hujusmodi Chriarum Exordia eò aptiora mihi videntur ad dictionem reliquam, quò paucioribus sunt comprehensa verbis. Quid enim opus est sic excurrere in laudem Authoris, cùm non de illo habendus sit sermo? Idcircò obiter tantum perstringere illius laudes mallem iis ferè similibusq; formulis.

Breviora Chriarum Exordia.

I.

Quæ splendidior unquam floridiorque sententia ab hominum sapientissimorum ore dimanavit? Quæ cogitatio subtilior concinnioribus expressa vocibus? Quis animi sensus argutior, literis mandandus illustrioribus? Quod acute dictum insignius, elegantiori explicatum verborum contextu, quàm quod Romanorum omnium, imò etiam omnium gentium eloquentissimus Cicero paucis hisce voculis est complexus: *Improbo bene esse non potest.*

II.

Potuitne egentissimus, simulque locupletissimus ille mortalium omnium, ille rerum humanarum contemptor, calcator ille fastus & arrogantiæ, ridiculus ille admirabilisque Philosophus ac derisor Diogenes; potuitne, inquam, quicquam profari verius, vel ingeniosius, quam cum interroganti cuipiam, quodnam sibi videretur sustinere terrâ gravius onus: *Indoctum hominem*, respondit.

III.

Quam sapienter clarissimum Hispanici Parnassi lumen & ornamentum Seneca, ingenii subtilitate nulli secundus, & sententiarum gravitate inferior nemini, tragici majestate carminis omnibus facile superior, divinum ac mirabile hoc effatum pronuntiavit:

Qui non vetat peccare, cùm possit, jubet.

IV.

Nihil veritati convenientius, aut ad legentium profectum utilius exarare potuisti. Properti suavissime Poëtarum, Umbriæ, quæ te tulit, illustre sydus; Italiæ, quæ ingenii tui comitatem mirata est, insigne decus. Dico iterum nihil immortali mandare chartæ potuisti ad morum institutionem perfectiùs, quàm hunc versum:

Imperat, haud servit possessa pecunia cuiq;.

Audite Pueri & Juvenes, qui turpissimas odistis cane pejus & angue voluptates, audite quid vobis accinat Ovidius Poëtarum ille Dux & Coryphæus, qui ingenii laude singulari sempiternæ memoriæ nomen commendavit suum, omnium scriptis & prædicationibus exornandum: *Est*

venus

venus in vino, inquit. Venerem aversamini? vinum respuite.

VI.

Quid arbitraris, purissimæ Latinitatis summe Princeps Comicorum excellentissime, disertorum elegantissime Terenti, qui comitate morum, amœnitate dictionis, ac sententiarum cupediis capis oculos, animosque retines, miraque voluptate reficis? Quid arbitraris? *Id arbitror*, inquit, *apprimè in vita utile esse, ne quid nimis*.

VII.

Quoties Salustii, Historicorum omnium, meo quidem judicio, facile Principis, dignos æternâ luce commentarios evolvo manibus, oculis perlustro, mente animoque considero; continere me non possum, quin admirabundus exclamem: O virum omnium literarum laude celebrandum! ô sempiterna dignum commendatione ingenium! quam prudenter singula digessit, quàm eruditè discussit omnia, quàm graviter cætera, tum verò hanc sententiam protulit: *Majorum gloria posteris quasi lumen est, neque bona eorum, neq; mala in occulto patitur*.

VIII.

Non sine causa magnus ille sapientissimusque Declamator, Rhetorumque Magister Quintilianus eximio ingenii splendore eam gloriæ mercedem consecutus est, ut omnem invidiam superasse videatur: Quis enim illo in laudando comtior? Quis in vituperando acrior? Quis in edisserendo subtilior? Quis ornatior in verbis? Quis argutior in sententia? Mihi certè acutior nunquam visus est ac expressior,

 quam

tu, compoſitione ſuperâſti? *Doleo.* Quid doles? Quòd votis fortuna tuis parùm obſequundet? quòd morbus te aliquis, aut ægritudo mentis invaſerit? *Doleo.* Quid eſt, quòd doleas? (ſuſpenſio ſit prolixior fieri poſſet.) *Doleo quod antelucanâ opificum induſtriâ ſæpe victus ſim.* O contentionem admirabilem! Dolet Orator ille præſtantiſſimus, Adoleſcentes, quod major ſit, quam noſtra, opificum diligentia, &c.

XII.

Nemo læditur, niſi à ſeipſo. Quis hoc dixit? Quis? Orator ille ſanctus, qui unus omnia diffuſa per omnes Oratores ornamenta complexus. Quis id aſſeruit? Antiſtes ille ſacer, nullo decorandus convenientiori nomine, quam ſi ex omnium ſæculorum, ingeniorumque virtutibus collecta perfectio nominetur. Quis hoc affirmavit? Eloquentiſſimus ille Præſul, in quo omnes Rhetorum colores, omnes ingeniorum divitiæ, omnes elegantiarum delitiæ ad certamen usq; luxuriant. Quis id protulit? Os illud magnum, ſapiens, beatum, nectare & ambroſiâ diffluens; proprium dicam nomen, ipſum Os Aureum, vel ut clarius, etſi Græcè loquar, ipſe Chryſoſtomus hoc dixit, & benè longâ Oratione comprobavit.

De ſecundo Chriæ Capite.

A Paraphraſtico.

Hæc pars eſt tanquam Chriæ baſis & fundamentum, cui innituntur, & ad quam referuntur cæteræ ſeptem. Idcircò in ea con-

formanda exornandaq; accuratiori ſtudio deſudandum; hanc fundere Periodi, hanc Orationis pigmenta diſtinguere, hanc Figurarum gemmæ illuminare debent: nihil deniq; non agendum, ut ſuis numeris expleta perfectaque ſit.

Inde fit, ut hæc una pars plus fermè negotii exhibeat Rhetoricæ Candidatis, quàm reliquæ omnes; quòd profectò difficillima videatur, ac re ipſa ſit. Quocirca enitendum nunc mihi eſt, ut ſi non tolli omnino poterit difficultas illa, minuatur quidem certè quantum conſequi potero.

Artificium explicandæ Sententiæ.

Præmittenda nonnulla ſunt, quò faciliùs intelligantur quæ ſequentur.

1. Sententia vel eſt ſimplex, vel compoſita. Simplex eſt, quæ ſenſum unicum habet. Ut, *Omnia vincit amor*. Compoſita, quæ duplicem habet ſenſum. Ut: *Audaces fortuna juvat, timidosq; repellit*. Quod de Simplici dicam, idem intelligendum de Compoſita; nihil enim inter utramque intereſt, niſi quod in Simplici unus tantùm, in Compoſita duplex ſenſus eſt explicandus.

2. In qualibet Sententia duo ſunt expendenda: Primum, id de quo enuntiatur aliquid, (quod Dialectici *Subjectum* vocant) Alterum, id quod enuntiatur, (*Prædicatum*, ſeu Attributum dicitur à Dialecticis.) v. g. Cùm dico. *Omnia vincit amor*, quod illud eſt, de quo enuntiatur aliquid? *Amor*. Quid autem enuntiatur & prædicatur de Amore? quod ſcilicet *omnia vincat*.

3. Omnis

3. Omnis Sententia duobus ad minimum constat Membris, ac sæpè pluribus. Ut explicetur autem & dilatetur, quid est faciendum? Idem prorsus, quod Progymnasmate primo faciendum esse præcepi, cùm docerem Modum dilatandæ Periodi, *pag. 36*. Partes singulæ cujusque Membri exponendæ sunt, illius præsertim Membri, quod videbitur esse præcipuum, quodque in plures partes distribui commodiùs potest. Exemplis fient perspicua quæ dicimus, vulgatam si Sententiam sumamus explicandam.

Omnia vincit Amor.

Hujus Sententiæ tria verba sunt totidemque membra: *Amor vincit omnia*. Unaquæque vox est quoddam quasi totum ex multis partibus compositum: hæ partes convolutæ ac implicatæ, permistæque sunt, latentque sub illarum vocum involucris. Evolve atque explica singulas, & incipe, si vis, ab ista, quæ cæterum tanquam basis est quædam.

Amor.

Habetne partes vox hæc, *Amor*, quas explices? Nulla quidem habet veras; neque enim est corporea; habet tamen quasi partes: definitiones nimirum varias, quæ ei conveniunt possunt, & ex quibus coalescit tanquam ex partibus. Quærendum igitur est, quid sit Amor, ex ejus effectibus hæ tibi Definitiones occurrent.

Amor, rapax illa cordis illecebra, invictus Tyrannus animi, ille motuum Concitator, & intestinarum perturbationum incensor, fatalis illa fax humanæ mentis, insidiosa

illa Siren, suavis ille Terror, blandusque Carnifex, &c.

Vincit.

Quid est, *vincit?* hoc est, pellicit, irretit, implicat, ferit, vulnerat, affligit, prosternit, arma eripit, spolia detrahit, catenas injicit, tradit in servitutem, carceri mancipat, dominatum exercet, ad suum nutum & arbitrium torquet, versat, inflectit, sui juris efficit. Quid?

Omnia.

Omnia; hoc est, hominem ipsum totum, corpus, animum, sensus omnes, omnes facultates animi, mentem, memoriam, voluntatem. Nam simul ac hominem devicit amor, quid facit? Corpus totum sibi devincit, oculos dirigit in rem amatam, aures advertit ad illius laudes & jussa; indit pedibus celeritatem, ut ferantur quo imperat; manibus addit solertiam, ut famulentur; ori venustatem, ut placeat, cor succendit, ut amet, mentem occupat, ut de illa nunquam non cogitet; tota ardeat.

Omnia vincit, id est, omnes omnium ætatum viros ac fœminas, puellas, adolescentes, senes decrepitos: omnium conditionum tam plebejos, quàm patricios; tam subditos, quam Principes; pauperes æque ac locupletes, milites ac duces, captivos & liberos, togatos & sagatos, urbanos & agrestes, robustos & imbelles, eruditos, & imperitos. Singulæ jam recense. Viros amor effœminat, fœminis virile robur ingenerat, puellis ingenium, adolescentibus ardorem, senibus robur, vigorem decrepitis: plebejos ere-

evehit, patritios deprimit, inopes ditat, divites expoliat, milites exarmat, duces ducit per triumphum, captivos in libertatem, liberos in servitutem asserit, fores frangit, inermes roborat, potentiamque Regibus ereptam impendit subditis.

Omnia vincit: hoc est, fortunæ ac naturæ dona & dotes animi: divitias, honorem nobilitatem, pulchritudinem, robur, sanitatem, Artes omnes, disciplinas, scientias, virtutes omnes, sapientiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam pietatem sibi subjicit, suo imperio obnoxias reddit.

Omnia vincit: nempe difficultates, quæ ipsi opponi possunt; obices, elaustra, montes, arces, carceres, vincula effringit, perrumpit, tollit, terrores, ærumnas, molestias, ægritudines, mortem ipsam, mala omnia vincit.

Omnia: nimirum omni in loco, rure ac domi, intùs & foris, terrâ & mari, in sylvis & in urbibus, in privato & publico, in sacris ædibus & profanis, in tuguriis & palatiis, occultis in locis & in patentibus, munitis & apertis; ubique denique vincit Amor.

Omnia: omni videlicet tempore, omni ætate, tempestate, de die & de nocte, mane & vespere, quacunque die, horâ qualibet, quovis momento.

Omnia: scilicet omni modo vincit Amor: armatus & inermis, & dolo, & apertâ vi, irrepens & irruens, ex improviso & ex destinato, sincerè se gerens ac simulatè, fallaciis, blanditiis, precibus ac minis, laudibus & conviciis

objurgando & obsecrando, muneribus ac vulneribus, aspectu, voce, silentio, gestu, risu, lacrymis, oculis, osculis, acerbitate ac suavitate, odio & benevolentia, fugiendo & insectando.

Vides hanc unam vocem, *Omnia*, explicatam, quantam rerum segetem præbeat non ad unam certe Chriam, sed ad implendum volumen integrum. Ponamus jam alia Exempla diversi generis, ne existimes hoc solummodò dilatari posse, non sensis fœta, ut illud, sed multò jejuniora.

AUDACES FORTUNA JUVAT.

Ternæ illæ voces similiter exponendæ sunt, haud dissimili ratione.

Audaces.

Qui sunt Audaces? Ii sunt, qui periculis non terrentur, qui discrimini objiciunt caput, qui nec vulnera, nec mortem exhorrent, quos nullus timor dejicit, nullus adversæ fortunæ casus remoratur. Qui nunquam pallent, nunquam formidant, nunquam trepidant, nec diffidunt, neque desperant. Qui intrepido vultu hostem aspiciunt, ejusque minas rident, ejusque tela contemnunt, eique nunquam terga vertunt, sed in illum potiùs imperterriti irruunt. Qui generoso incitati laudis impetu illuc rapiuntur, ubi discrimen gravius, ubi periculum præsentius. Qui stimulati præclarâ gloriæ cupiditate, si committendum prælium est, primi se in confertos hostium cuneos immittunt; si vi expugnanda munitio, scalas admovent primi, mœnia scandunt, in hosti-

hostica transiliunt castra. Qui læsi, non recedunt loco; deserti, non respiciunt fugam; prostrati, non concidunt animo. Tales.

Fortuna.

Dea illa, tametsi cæca, volucris, inconstans, anceps, dubia semper, ac varia.

Juvat.

Hoc est, periculis tutos, armis invictos, & malis infractos tuetur, servat, defendit, protegit, roborat, animat, urget, in hostem incitat, obices amovet, labores levat, discrimina tollit, clades repellit, eis iter ad victoriam sternit, & arcus triumphales erigit, laureasque texit coronas, & immortalis gloriæ triumphos adornat.

Unum adhuc sumamus Exemplum.

DONEC ERIS FELIX, multos numerabis amicos.

Sententia hæc duobus tantum constant membris. 1. *Dum felix eris.* 2. *Multos amicos numerabis.* Sic autem utrumque diffundam; quærendo, quid sit esse *felicem?* deinde quid sit, *numerare multos amicos.*

Donec eris felix.

Esse felicem, est. 1. Fortunâ uti prosperâ. 2. Opes amplas possidere. 3. Honores ac dignitates obtinere. Hoc igitur modo illud expones per Synonymorum congeriem.

Quamdiu fortuna respondebit optatis tuis votisque suffragabitur, & voluntatibus obsecundabit, tibique fluent ad arbitrium omnia, &

nutu tuo cuncta pendebunt. Quamdiu florentissimus erit rerum tuarum status, nullum tibi infortunium accidet, felicitate tibi præferri nemo poterit, iis vel ornamentis vel præsidiis afflues quibus majora esse nulla possunt, nihilque eorum desiderabis, quæ ad benè beateque vivendum requiruntur.

Quamdiu afflues divitiis, maximæ tibi facultates erunt, omni copiarum genere abundabis, omnibus fortunæ muneribus egregiè ornatus eris, & ab re familiari paratissimus. Quamdiu lauta in domo habitabis splendide sumptuosa tibi erit supellex; lucebunt pretiosis aulæis cubicula, abacus radiabit argento, mensa exquisito semper ciborum apparatu instructa fuerit, & arcas aure refertas possidebis.

Quamdiu gloriâ circumflues, nominis tui memoria celebrabitur, auctoritate valebis, florebis gratiâ, eximiis fulgebis honorum titulis: Quamdiu summum obtinebis atque altissimum civitatis gradum, eaque geres, quæ in Republica putantur amplissima; Tamdiu.

Multos numerabis amicos.

Hoc est, innumeros invenies, qui se tibi addictos obstrictosque profiteantur, qui singulare suum polliceantur studium in omni genere officii, quod ad gloriam, & ad rem tuam spectet; qui palam prædicentes, nullum pro te laborem, nullum se onus recusaturos, qui quæcunque tibi grata esse viderint, omni curâ ac diligentiâ complectantur. Occurrent tibi frequentes, cum descendes in publicum, deducent te, stipabunt latus, honorificis te verbis excipient, salutabunt,

comi-

comiter amplectentur, venerabuntur, laudibus efferent; à te stabunt, tuas partes suscipient, ad tuas rationes se adjungent, sua omnia studia tuam ad dignitatem conferent, omnem industriam tibi dicabunt, se ubique strenuos præbebunt tui defensores, &c.

Janne intelligis quàm facilè dilatari possit quævis sententia? quod enim in his tribus Exemplis à me factum est, idem tibi faciendum erit in cæteris: Non quod Locutiones illæ variæ ac synonymæ coacervandæ sint eo, quo feci, modo; id enim esset puerile ac nugatorium: sed temperanter & cum delectu usurpandæ, prudenterque disponendæ erunt. Multa verò congessi idcirco unum in locum synonyma, ut adverteres quanta sit ubertas materiæ, quanta locutionum varietas & abundantia, è quibus cum componenda Chria est, aut quævis alia Amplificatio, resecanda sunt inutilia, & adhibendus Figurarum ornatus, ut Exemplis mox ostendemus: ad quæ priusquam descendamus, præmittamus quædam non inutilia.

TRANSITIONES.

Ad connectendas Chriæ partes.

Subjungo jam communes quasdam Transitionum formulas, quibus singula Chriæ capita copulantur inter se. Scio quod alibi monuimus, Transitiones hujusmodi vix sub Artis præcepta cadere, sed ab ipso, quod tractatur, argumento deduci naturaliter, non tamen sine dicentis aut scribentis solertia. Ne quid tamen hac etiam in re desideres: nonnulla attexam, quæ

omni fermè argumento convenire possint. Sumamus hanc Sententiam, exempli causa: ARDUA EST AD VIRTUTEM VIA.

TRANSITIONES.

A Paraphrastico ad Causam.

Quod si hujusce rei causam ex me quæras, dicam, arduam idcirco ac difficilem esse viam virtutis, quod, &c.

Rogas, undenam hæc difficultas oriatur? An nescis, non aliam assignari causam posse, quàm quod, &c.

Sciscitaris ex me causam hujus difficultatis? Accipe. Ideò mihi videtur illa difficilis, quod, &c.

Nec mirum est, virtutis iter plenum esse laboris ac molestiæ. Nam, &c.

Sed quid miramur quod via ad virtutem ducens tam incommoda, adeò impedita sit. Etenim, &c.

Atque hæc hujus difficultatis mihi videtur esse ratio, quod cùm naturâ proclives simus ad vitia, &c.

A Causa ad Contrarium.

Facilis contrà lubricaque ad vitium via est.

At verò via, quâ ferimur ad vitia, ita commoda est, ut duce nequaquam sit opus.

Contra verò, quid faciliùs, quàm labi ad vitia? Quam jucundum & amœnum est vitiorum iter!

Nullum è contrario expeditius & facilius iter, quam quod ad vitia non ducit, sed præcipitat hominem.

Sed

Sed ut abrupta, plenaque laboris ad virtutem via est; ita planissima plenaque voluptatis est quâ rapimur ad vitium.

At, ô miserrimam conditionem nostram! quantum molestiarum experimur, cùm ad virtutem tendimus, tantum percipimus jucunditatis, ruentes ad vitia.

Atque utinam æquè saltem incommoda esset ad vitium, atque ad virtutem est via! Verùm nihil simile, nihil habere commune possunt virtus & vitium, cum labore ad illam, cum voluptate ad hoc tendimus.

A Contrario ad Simile.

Quemadmodum enim ascensus difficilis esse solet, tantoque difficilior, quanto infirmiores sunt vires ascendentis, & asperior collis est: Ita, &c.

Non secus autem ac .... Haud aliter verò quàm molestissima res est scientiarum rudimenta perdiscere: Sic, &c.

Et verò, quod in arte architectonica usu venit, ut magnus sit in ædificando labor, in destruendo nullus: Similiter, &c.

Vide quantâ curâ, quantâ contentione imago pingitur, quæ momento lacerari delerique potest: Idem accidit, &c.

Sic non sine ingenti labore ac periculo adamantem è rupibus inaccessis, aurum è terræ visceribus, uniones è fundo maris ejiciuntur.

A Simili, ad Exemplum.

Testes sunt Heroes illi omnes, qui vitam in ærumnis consumpsere, ut virtutem adipiscerentur.

Teſtes appello illos omnes, qui ſanguinis pretio theſaurum illum compararunt.

Teſtes eſtis, vos appello, illuſtres viri, fœminæque; te appello, Alexi, te Carolomanne, qui ut virtutem, &c.

Experti ſunt laborem virtutis Magnus ille Athanaſius, Chryſoſtomus, Baſilius, aliique innumeri, qui, &c.

Senſiſtis hunc laborem, Doctores inclyti, invictiſſimi Martyres, celeberrimæ Virgines, dum, &c.

Quid exemplis opus ad id ſtabilendum quod diximus? Quis enim neſcit intolerabiles ærumnas pertuliſſe, qui virtutis iter ſecuti ſunt?

Ab Exemplo ad Teſtimonium.

Nec verò aliud ſignificare voluit ipſe Chriſtus, cùm diceret anguſtam eſſe vitæ portam.

Idem ſentiebat ille qui dicere ſolebat: Deos nobis omnia laboribus vendere.

Quid aliud innuere Pythagoras voluit, virtutem dicens cum labore ſemper eſſe conjunctam?

Audite, quid in eandem ſententiam Horatius ſcripſerit: Nil ſine magno vitæ labore dedit mortalibus.

Hoc ipſum declarare voluiſti, Sophocles, cùm aſſereres, ſine labore nihil homini bene unquam ſuccedere.

Sed quid plura diſputo? Audiamus quàm præclare Cicero eandem hanc ſententiam ſuo teſtimonio comprobavit.

Epilogorum Formulæ.

Quæ cùm ita ſint, quis jam eat inficias, arduam

duam esse ad virtutem viam; rem esse plenam negotii, &c.

Quæ cùm ita se habeant, neminem esse puto adeo stupidum, aut à ratione tam malè paratum, qui virtutis studium, &c.

Itaque fateamur necesse est, nihil à Scriptore illo verius dici potuisse, quàm cum asseruit arduam esse, &c.

Et erit deinde; qui in dubium revocare audeat, quod tot rationibus stabilitum est? videlicet arduam, &c.

Imponamus Orationi clausulam, assensumque præbeamus manifesto huic oraculo, virtutis studio difficilius nihil esse, &c.

Sed tempus est, ut institutæ Orationis expediamus exitum, iisdemq; verbis quibus initium dicendi sumpsimus; finem dicendi faciamus.

Hæ porro Conclusionum, seu Epilogorum Formulæ vulgares sunt, & communes argumentis quibuslibet; at concinniores erunt & aptiores, quæ ab ipsa Chriæ materia seu ab ipsis, quod agunt, causæ visceribus ducentur, ut variis Exemplis patebit paulò inferius.

Exempla Chriarum.

Tria Chriarum genera esse diximus: Aliæ in verbis, quæ *Verbales*; Aliæ in actione aliqua, quæ *Activa*; Aliæ partim in verbis, partim in actione sitæ sunt, quæ *Mixtæ* vulgo dicuntur. Exemplum afferamus singularum, earumque primæ præsertim ac secundæ) ita singula persequamur capita, ut quæ simpliciter primùm, ac rudi stylo delineata fuerint, eadem paulo ornatiore pertractemus. Sic nimirum

rum facilius animadverso inter utrumque scribendi modum discrimine, advertes faciliùs quid imitandum sit, & quid evitandum.

CHRIA VERBALIS.

In hæc Salomonis verba:

Stultorum infinitus est numerus.

ab Encomio. Multa quidem sapienter dixit Salomon, sed nihil sapientiùs unquam protulit, quam cum pronuntiavit, Stultorum infinitum esse numerum.

Ita fermè Grammaticus; idipsum autem Rhetor sic eloquetur:

SAPIENTER quidem illustrissimus ille Rex, qui ob eximiam ac divinam, quâ mortales universos præcelluit, laudem sapientiæ, clarissimum Sapientis nomen adeptus est, & quasi proprium sibi quodammodo totum vindicavit; sapienter, inquam, Salomon dixit, scripsitque plurima æternis laudem prædicationibus extollenda: At nihil, meâ quidem opinione, sapientius unquam, nihil magis consentaneum rationi, ac veritati congruum prolocutus est, quàm cum stoliditatem hominum stultitiamque secum ipse reputans, divino incitatus Spiritu, afflatusque cœlesti Numine: *Stultorum numerum infinitum esse* pronuntiavit.

à Paraphrastico. *Expende, quæso, quantum duo illa encomia inter se discrepent.*

ITA est, omnes fermè homines desipiunt; & nullus est locus, in quo stultos non invenire liceat,

ceat. Verè quippè insani sunt, ac dementes, qui vitium virtuti præferunt, & terram cœlo, Deumque rebus creatis anteponunt: Atqui infiniti sunt, qui hoc stultitiæ genere laborant, Ergò stultorum infinitus est numerus.

Nuda est hæc expositio; sic autem ornamentis Rhetoricæ vestienda & comenda est.

Ita est; *a* mortalium plerique cerebro laborant, eòq; graviori tenentur morbo dementiæ, quò sibi quisque præ cæteris videtur esse mente saniori. *b* Quò enim ibis, oro te, ubi non offendas insanos. Quem penetrabis orbis angulum, in quo non versentur amentes? Quæ illa regio adeo felix, & salubri cœli temperie, in qua desipientes non invenias? *c* Urbes percurre, stolidis redundant; fora circumspice, fatuorum conventu fervent; perlustra vicos; pervade compita, scatent confertissimâ turbâ delirantium: obi domos, subi tabernas, aulas, cubicula, conclavia; *d* Deus immortalis! quàm ingentem stultorum ac stultarum numerum ibi deprehendes! quot intùs & foris, domi ac rure, in villis & in oppidis, in publico & in privato stolidos stolidasque cernes! quàm innumerabilem omnis ætatis & conditionis malè capitatorum multitudinem ubique reperies! Nempè eorum partem maximam, quos singulari studio vides suis studere commodis, captare delitias vitæ, rerum suarum diligentem gerere curam, susceptaque negotia cautissimis consiliis ad optatum finem perducere; illos, inquam, *e* quos vulgus hominum prudentes laudat, extollit ut providos, miratur ut acres & ingeniosos, ut sagaces sapientissimosque deprædicat: hos

a *Allegoria.*
b *Interrogatio.*
c *Distributio & Enumeratio locorum omnium.*
d *Expositio, seu Commemoratio.*
e *Similiter cadens.*

Rex

Rex ille Sapientium longè imprudentissimos, inconsideratissimos, expertes sensus & judicii, ac prorsus insanos stultissimosque appellandos esse jure contendit. Quid? non appellabuntur insani, qui honestati turpitudinem, libidinem moderationi, virtuti vitium, gloriæ dedecus, cœlo terram, caduca inaniaque bona veris ac sempiternis anteponunt? Quis non anteponit. Non desipere dicam, qui neglectis cœlestibus, liquidissimisque beatæ vitæ gaudiis obscœnas voluptates, quibus nulla capitalior pestis est, votis omnibus consectantur & expetunt? Quis non consectatur & experit? Non stultos vocem, qui momentaneâ delectatione æternos sibi creant cruciatus? qui proculcatâ ratione vitam addicentes intemperantiæ, volutantur in turpissimo cœno vitiorum? qui curas omnes ad id referunt, ut gloriolæ fumos aucupentur, ut vanitati serviant, ut obsequantur avaritiæ, ut luxuriæ sese mancipent, improbissimisque cupiditatibus obsecundent? Quis hoc vivendi genus non sectatur? Quis in hoc dementiæ mari non navigat? Quis ad illos insaniæ scopulos non impingit? Quis in his stultitiæ syrtibus miserandum non facit judicii mentisque naufragium?

Videsne discrimen utriusq; Paraphrasis?

CAUSA hujus stultitiæ tam latè patens est, quia plerique non rationem sequuntur ducem, sed cupiditates, quibus abripiuntur ad insanam illam vivendi rationem.

Hanc causam sic expone.

NIMIRUM, Navigationis suæ ducem paucissimi sequuntur rationem, quæ cùm deberet

in puppi ſedere, clavumque moderari, & vitæ curſum regere, exturbata per ſummum ſcelus & contumeliam, in ſentina vitiorum demerſa jacet, in ejusque locum effrænata cupiditas irruit, tractat gubernaculum, remos affectionum agitat, expandit vela vitiis, & furentibus animi perturbationibus, fluctibusque incontinentiæ veſanos exponit; donec exhauſti intemperantiæ voragine, aut abrepti æſtu reciprocante inſanarum libidinum, ad unum omnes in ima tartara devolvuntur.

CONTRA, Sapientium numerus oppidò exiguus eſt.

Hanc lineam ita dilatabis.

APPARENT interea tot inter inſanientes naufragos rari Sapientes, nantes in vaſtiſſimo proceloſæ hujus vitæ Oceano. Unus Ulyſſes numeratur, & unus Orpheus, qui Sirenum ferali cantu non pelliciantur in fraudem; qui Circæis illecebris non dejiciantur de ſtatu mentis; qui ſcyllas & charybdes furentium cupiditatum incolumes prætervehantur, & felicitatis teneant portum. Hos enumerare perfacilè cuivis eſt, cum perpauci ſint; at ſtultorum quis inire numerum valeat?

SICUT inutiles lapilli & plantæ nullius pretii ſunt innumerabiles; ita infiniti ſunt ſtulti.

Ornatiùs ſequentia præcedentibus hoc modo connectes.

CITIUS equidem fluctuum flumina, quos ciere tempeſtas ſolet; aut arborum folia, quæ frigus hyemale decutit; aut lapillos, quos in littoribus alluunt undæ, quàm fatuos, quàm deliros, quàm adverſos à ratione dinumerem,

merem. Ita enim à natura malignè comparatum videmus, ut præclara quæque perrara sint vilissima passim occurrant. Sic saxis ignobilibus, silicibus loca omnia cernis obsita: sic inhorrescunt vepribus, infelicibusque plantis opprimuntur agri: sic noxiarum aut inutilium bestiolarum incredibilis vis est, malaque sunt innumera, & innumerabiles mali: adeoque infinitus stultorum numerus.

Ab Exemplo. EXEMPLUM dabit Noëmius, qui inter infinitos amentes solus sapiens inventus est.

Hoc Exemplum sic explica, & sequens Caput cum superiore ita conjunge.

AT, non nunc primum infiniti esse cœpêre malesani? à rerum incunabilis eorum numerus crevit in immensum; & ita crevit, ut ex innumeris hominibus, orbe jam penè toto dissipatis, variosque terrarum tractus incolentibus, unus duntaxat inventus fuerit Noëmius, qui divino suffragio sapientis laudem adeptus sit, quique extorrem terris Sapientiam exceperit in navim fatalem illam, divino jussu à se fabricatam, & à communi illa eluvione, rerumq; omnium naufragio salvam incolumemque servârit.

à Testimonio veterum.

DAVID Rex & Propheta, Salomonis filii sententiam suâ confirmavit, cùm dixit: a Ne unum quidem inventum esse qui saperet.

a *Deus de cœlo prospexit, ut videat si est intelligens, &c. non est usque ad unum.* Psalm. 13.

Hoc testimonium sic adhibebis elegantius.

ID videras; Regum sanctissime, Salomonis sapientissimi multò sapientior parens. Hauserat ille à te disciplinam illam cœlestem, divinamq; Philosophiam; audierat te profectò, cùm perspectâ mirâ paucitate sapientiam, ad incredibilem delirantium numerum cogitationem conver-

vertens, divino mentis instinctu concitatus exclamares attonitus ac stupens. Ne unum quidem ex hominibus omnibus à rerum omnium inspectore Deo esse deprehensum qui saperet, qui rectam virtutis viam sequeretur, qui vitam ageret homine dignam. *Omnes declinaverunt*, inquiebas, *non est intelligens, non est usque ad unum.*

Igitur sapienter dixit Salomon: Stultorum infinitum esse numerum. *à brevi Epilogo.*

Sed paulò concinniùs sic perorabis.

Quae si vera sunt, ut verissima esse nemo sanus eat inficias, an non sapientissimè Salomonem asseruisse fatendum est, Stultorum hominum tantam esse ubiq; gentium multitudinem, ut eos enumerare nemo possit.

CHRIA ACTIVA.

S. Franciscus factis concionatus, non verbis, urbem totam obit cum socio.

Singularum hujus Chriae partium proponam artificium, quo illud faciliùs imitêre. Exordiamur ab Encomio, quod hâc unâ lineâ circumscribi potest: Silete omnes, Franciscus se ad concionandum comparat. *Vis ab linea paginam implere? ternae illius partes diffundendae sunt. Prima,* Silete omnes, *ab enumeratione partium, eos compellando, quibus imperari potest silentium. Secunda,* Franciscus; *explicando quis ille sit, per varias Definitiones & Effectus. Tertia,* Se comparat ad concionandum; *exponendo ab adjunctis,*

ctis, quid sit se comparare. Vide jam tres ipsas partes, hic quo dixit modo amplificatas in hoc Exordio, quod idcirco trifariam divido adjectis his notis 1. 2. 3.

ab Encomio. 1. SILETE feri Reges. Oratores favete linguis, obmutescite Rhetores, deprimite vocem Declamantes, tu quoque Eloquentia, triumphatrix animorum blandissima conticesce. Novus ecce surgit Orator ad dicendum, cui non Curia Romana parem, non similem Lugdunense vidit Athenæum. Convenite populi, huc remotissimæ nationes accurrite, confluite ad audiendum ex omni regione gentes universæ. 2. FRANCISCUS, ille religiosæ paupertatis assertor inclytus, generosus ille contemptor opum, & inopiæ cultor opulentus, ille verus & infractus Atlas, qui humeros collabenti orbi Christiano supposuit, qui novo & inusitato genere pugnæ bellum indixit voluptati; qui tela in se vertens, secumque ipse pugnans, conjuratas averni copias convertit in fugam, spoliansque se rebus omnibus, spoliavit virtutis hostem, & abjiciens caduca vanitatis arma, immortalem de mundo victoriam reportavit. 3. FRANCISCUS ille Orator extemporaneus è Duce factus invictissimo, concionaturus prodit è cellula, descendit in templum, scandit suggestum, Orationem auspicatur. Erigite aures, adeste animis omnes, & attendite.

Sequitur Paraphrasis, seu potius Explicatio actionis illius, quæ hujus Chriæ argumentum est, quamque tribus his verbis complector: Franciscus urbem

urbem obit. *Porrò hæc actio ab Adjunctis & Consequentibus amplificanda est. Adjuncta sunt Francisci per urbem incedentis silentium ac modestia. Consequentia vero, civium concursus ad illum videndum, ipsiusque virtutis admiratio ac veneratio, variis testata signis; ut ex his licebit advertere, quæ Encomio superiori sic attexo.*

Imò vero, intendite potiùs oculos, & aspicite. Usus aurium nullus in hac concione futurus est, *a* quippe quæ silentio fieri debet, non voce; factis, non verbis; exemplo, non sermone; votis & orationibus, non rationibus & argumentis. Quid expectatis? *b* Non ascendit Franciscus pulpitum, sed descendit in publicum; non sacram subit ædem, sed totam obit urbem; neque manus movet ad gestum, sed immotas ante pectus modestissimèque tenet compositas, non circumducit oculos, sed dimissos habet ac fixos humi, non pedibus supplodit, sed tacito æquabilique motu ingrediens, oppidi plateas & vicos incessu pleno dignitatis obambulat. Nihilo tamen minus, ô rem inauditam & incredibilem! etsi divinus hic Orator verbum faciat nullum, neminemque vel alloquatur, vel aspiciat, susceptamque insistat viam, silens ac sine strepitu quasi eloquio tonaret, ejusque voce personarent ædificia omnia; effundunt se foras omnium ætatum & conditionum viri fœminæque; *c* prosiliunt è tabernis opifices, ex officinis institores, magistratus è curia è foro judices, è tectis matronæ, ipsique etiam è lectis ægroti, turmatimque ad audiendum (iterum hic erro)

à Paraphrastico.

a Antitheta.

b Similiter cadens.

c Distributio partium.

erro) ad videndum, inquam, Franciscum con-
volant, *d* modestiam suspiciunt incedentis,
submissionem ad cœlos evehunt, squallorem
habitûs laudibus exornant, patientiam demirantur, vitæ sanctimoniam sine fine prædicant.
Nec vero verbis solùm testantur conceptam
animo reverentiam? *e* Hi submisso corpore
venerationis ergò honorem habent transeunti, procumbunt alii ad ejus pedes, & impressa
solo lambunt vestigia. Illi contingunt manu
trepida vestis detritæ fimbriam, ac furtim frustula præcidunt. Feriunt alii palmis pectus: alii
oculos manusque ad sidera protendunt lachrymantes hi gaudio, illi dolore, commiseratione
nonnulli. Sed quid hæc sigillatiùs commemoro? Ad studium accenduntur omnes veræ
laudis ac gloriæ torpentes situ ac delitiis, ad salutarem Dei metum, æternæque vitæ cogitationem excitantur aspectu Francisci, speique
pleni bona faciunt, sibique gratulantes applaudunt Sancti, & abeunti valedicunt, & valedicentes exclamant? O virum excellentem!
ô incomparabilem! ô cœlo lapsum Oratorem! *f* qui sic tacendo loquitur, qui sine voce ita docet, qui sine vi nos ita movet, qui sine minis
ita terret, sic flectit sine precibus, ita sine stimulis excitat, sine impetu sic suæ spectatores
virtutis in cœlum rapit. Intereà totum peregit urbis circulum vir sanctus, suamque se
refert in cellam, jamque limen attigerat,
cùm ad illum conversus comes, Quò te, mi
Pater agis? inquis; ubi illa Concio, quam te
in egressu habiturum esse dixeras? Cui ille,
Concionem, inquit peregrinus frater, atque
ex

d Distributio virtutum.

e Distributio effectuum.

f Antithesis.

ex animi sententia; non voce quidem peroravimus, sed exemplo.

Causa jam subjicienda utilissimæ hujus ac præstantissimæ Concionis, quòd scilicet Exempla efficaciora sint ad persuadendum, quàm verba. *Hæc autem Causa per Expolitionem ad Congeriem sententiarum idem fermè significationem dilatari ita potest.*

O Concionem præclarissimam! ô tacitam, *à Causa.* simulq; eloquentissimam Orationem! Perorasti, Francisce, Perorasti sanè feliciter, uberrimumq; ex Oratione illa tua fructum collegisti: persuasisti quod intenderas; g tantoque faciliùs, *g Expolitio, seu Commoratio, seu Congeries sententiarum.* quantò ad persuadendum disertior manus quàm lingua est, & ad expugnandos animos tesum potentius; machinaque multò validior exempla sunt; quam præcepta; his videlicet illustratur humana mens, illis incenditur; hæc indicant, illa etiam incitant; hæc vocant, illa trahunt; hæc delicatas, armatas illa preces adhibent; hæc deniq; suadent illa persuadent. Quòd enim sæpissime contingat, ut multi sint qui ad honestatem vitæ impelli nequeant; vel inde fit, quòd virtutis viam difficiliorem putent, ac nimis arduam; vel, quòd eximiam illius speciem non satis habeant perspectam. Vis, ô qui Oratoriam profiteris artem, vis geminum illud amovere impedimentum? vis arduam illam complanare viam facillimamque reddere ac triviam? Præi exemplo; sponte sequentur alii; factis hortare prius quàm præceptionibus, convinces mentes omnium? cœlestem virtutis formam ne verbis depinge tantùm, vix enim auribus animus credit; sed eam moribus exprime, &

velut sub aspectum pone, statimque spectantium oculos animosque rapies in amorem & admirationem divinæ pulchritudinis, suavissimaque illius possidendæ flammâ corda succendes.

A contrario nunc ostendendum, verbis non æquè inflecti homines ac exemplis; Invehendo in Oratores illos, qui cum non faciant, quæ dicunt, delectant quidem aliquando, at nunquam movent. De cæteris capitibus nihil erit, quod interjiciam.

à Contrario. At vos Oratores vanissimi, qui profluente verborum volubilitate, inanique circumductione sententiarum affectatis artificiosæ Orationis delitias; qui eloquenti lenocinio, & illecebro à loquacitate titillatis aures imperitas, aliudque nihil aucupamini, præter auram popularem, & famæ rumusculos. Amabo dicite, qui motus animorum, quæ conversiones, quæ immutationes voluntatum, quæ præclara facinora, quæ virtutum miracula præclaras illas, quas habuistis, Conciones, solent subsequi? Meditatas Orationes, ad amussim exactas, & ad unguem politas affertis domo: Inscenditis deinde pulpita, pronunciatis, inculcatis, vocem intenditis, obtunditis clamoribus aures, ingenti vociferatione templa completis. At quo fructu operæ? vobis enim exardescentibus Auditor friget; vobis perstrepentibus oscitat; intonantibus obdormiscit, ac tum demum movetur, cùm postquam peroraſtis, abit, & solutâ concione domum discedit. Quid ita, quia Orationi vestræ mores non consentiunt; quia quod sermone statuitis actione revellitis; quia quod suadetis argumento, prævaricante vita refutatis.

Nempe

Nempè non opimatur terra tonitruis, sed *à Simili.* aquis; non fulguribus lætificantur arva, sed imbribus; non sonanti grandine sitientes rigantur agri, sed leniter stillante pluviâ: sic non verborum strepitu, non fulguribus ingenii sonantibusq; sententiis provocant animi ad fundendas virtutum fruges; sed factis egregiis, sed exemplis. Vides quo milites ardore irruant hostem, quo furore irrumpant in obsessam urbem perversa mœnia. Censes tympanorum sonitu, clangoribusq; buccinarum illos incendi ad pugnandum? hallucinaris: Putas hostium convitiis, commilitonum clamoribus, præfectorum cohortationibus inflammari, erras. Ipse est, ipse unus Imperator est, qui sublimis in equo, exertum tenens manu gladium præit agmina, & manuum magis agitatione, quam linguæ hortatur ut sequantur; quis enim Ducem non sequeretur præeuntem?

Ita est: Quis te non sequeretur præeuntem *ab Exemplo.* Francisce, maxime Dux Gandiæ, sanctissime Borgia, cujus, hæc cum exaro, felicem in cœlos ingressum anniversariâ gratulatione concelebramus? Quis te non [illegible]? Quis illustri adeò solicitatus exemplo sanctimoniæ, [illegible] gia tua non premeret? Quis non imitaretur vitæ genus? Quis non incitaretur æmulatione *Ribadeneira* tantæ virtutis. Concionabatur aliquando vir *in ejus* ille sanctus extra urbem in planitie patentissi- *vita.* ma ob incredibilem hominum turbam è circumjectis oppidis confluentium; cumque nec audiri posset à remotioribus, imò nec intelligi quidem à proximis, quòd regionis linguam non calleret, fluebant tamen ab oculis om-

nium magno cum pietatis sensu lachrymæ; nonnullique interrogati, quid lachrymarentur, quoniam quæ dicerentur, non intelligerent: Flemus, inquiebant, quia sanctum Ducem concionantem intuemur: Flebant eadem sine dubio, de causa Friburgenses, cùm Petrum Canisium, clarissimum illud Germaniæ decus ac propugnaculum, senio jam laboribusque confectum, vix ut commovere se loco posset, obsecrabant tamen ut iniret pulpitum; aut si minus valeret ipse conscendere, pateretur saltem se in suggestum evehi: patiebatur vir humanissimus, & obluctari non ausus, inferebatur in exedram: simulque ac ex edito loco se conspiciendum præbuerat, (nam voce viribusque deficiebat ad dicendum) commoti omnes gravissimi hominis sententia & auctoritate, summæ virtutis exemplo, lachrymis ac suspiriis, laudibus & acclamationibus muto Oratori suo plaudebant.

à Testimonio veterum & Epilogo. Serm. de jejun.

Adeò verum est quod suprà dicebamus, Leonis sanctissimi, maximeque Pontifici[illegible] confirmatum oraculo: *Validiora esse* [illegible]quientis, *exempla quam verba* [illegible] *opere doceri, quam voce.* [illegible] nihil à S. Francisco fieri potuit [illegible]tius, & ad persuadendum accommodatius, quàm cùm exemplo modestiæ, reliquarumque virtutum concionaturus, urbem tacitus adjuncto sibi comite circuivit.

CHRIA MIXTA.

Diogenes accensâ lucernâ frequentissimo foro hominem quærit.

Quid cum lucerna illa tua quæris, Diogenes, lepidissime bipedum? Quid investigas Dolialis Philosophe, sapientissime Nugator, illustrissime Morio? Quid indagas, Mendicorum nobilissime, cum accepta illa lucerna ipsa meridiei luce, medio in foro frequentissimæ civitatis? Age responde Tenebrio clarissime, quid investigas? Audite quid respondeat joculare caput: HOMINEM QUÆRO, inquit. Hominem quæris? Tu tot inter homines inquiris hominem? Amplissimo in foro, innumerabili hominum ultrò citroque commeantium multitudine celeberrima hominem conquiris? Quid? oculisne an mente orbatus es? Quos intueris, umbrasne reris esse, non homines? Quos incursas, humerosque propellis obvios, non homines credis? Qui te salutant, teque percunctantur, quid quæras, nos non homines esse putas? *ab Encomio.*

Non putat, ita est profectò, eos non homines esse putat, in quos incurrit; idcircò clarissimo meridie Forum, vicos, domosque lustrat accensa face, interque homines quærit ab hominibus hominem; non cujusmodi obvios se nobis ubique dant; non quales quotidie cernimus, vanos, vecordes, improvidos, inconsultos, vitiis deditos; sed prudentem, sed cordatum, sed temperantem; addictumque virtutis studio quærit ac sapientem. Quid enim *à Paraphrastice.*

autumas, tu qui Philosophi hujus ridiculi consilium explodis, & responsum rides? Quem amabo, hominem esse judicas? Quem hoc illustri nomine dignum arbitraris? Eumne, qui felicitatem turpissimis in rebus sitam existimans, nihil sibi expetendum putat, nisi quod corporeos sensus inani & obscœnâ delectatione permulcet? Qui nihil cogitans de honestate vitæ & officio rationis eò fertur amens, quo voluptas illicit, quo libido rapit, quo cupiditas incitat? Eum tu hominem appelles, qui curas omnes suas ac cognitiones refert atque consumit in coacervandis per fas & nefas opibus, auroque cumulandis arcis, ac proferendis latifundiorum limitibus? Hominem nominare audeas, qui in id unum incumbit, ut omnes umbras falsæ gloriæ insectetur, ut luxu defluat, otio torpeat, epulis indulgeat, gulæ abdominique serviat, in omni voluptatum genere sese volutet & immergat? Egregiam verò speciem dignitatemque Hominis, quem summus omnium Opifex Deus proposuit terrarum orbi, cujus imperio subjecit omnia, cujus causa universam condidit mundi molem? Ille, ille Homo dicendus est, qui magnitudine consilii, tolerantiâ rerum humanarum, virtutibusque omnibus ut mœnibus septus spernit voluptates, refrænat libidines, coercet avaritiam, improbissimis dominis, dedecori ac turpitudini non paret. Ille homo est, quem effrænatus non impellit amor, non abducit odium, non extollit audacia, iracundia non accendit, lætitia non effert, voluptas & timor non frangit; qui nec molestia tabescit, nec mærore

Quis nam sit Homo.

Exclamatio ironica.

con-

conficitur, nec futili gestiens alacritate deliquescit. Hic ille homo est, quem Diogenes olim quæritabat, quemque ut facilius inveniret, lucernam accenderat.

Hujus enim generis homo non est cuivis obvius; eo more qui vivat perrarus est; accendenda idcircò tibi est judicii lampas, mentis, non corporis solum aperienda lumina, cum ut discernas ab aliis: Externam quippe oris humani speciem omnes præ se ferunt, at cupiditatis immoderatæ plusquam Circæo poculo, in varias mutati belluas: Vulpium induunt alii fraudulentam indolem, luporum alii voracitatem imitantur. Alii equorum libidinem, tygrium rabiem, tumorem leonis, serpentium virus, asellorum stoliditatem ac desidiam, levitatemque volucrum, pisciumque stupiditatem ferinis moribus adæquant, ac sæpè vincunt. *à Causa.*

Tales si tu homines indagas, lucernam haud opus erit accendere, nec obire fora compitaque necesse erit: ubique tibi obviam contrà venient; hujusmodi sine labore invenies infinitos vel occlusis luminibus. At si verum inquiris hominem, si optas reperire sapientem, sume lucernam, accende lampadem, teque Diogeni comitem adjunge, omnesque perlustra plateas, percurre vicos omnes & domos, rimare viarum flexus angiportus & aditus. *à Contrario.*

Mulieris instar amissam quæritantis gemmam, quam habet unicam: Quos enim illa non everrit domûs angulos? quas non accendit faces? quos non perscrutatur recessus; neque enim contenta meridiano lumine, ipso in *à Simili.*

Sole lucernam admovet, lapillumq; unum innumerabiles inter lapillos, unionemque unum omnibus investigat locis, incredibili diligentiâ, solicitudineque singulari.

ab Exemplo. *Soph. 1. 12.* Longa tamen, Tu majori diligentiâ Deus Optime, Maxime *scrutatus es* non civitatem unam tantum *Hierosolymam in lucernis*; sed quinque urbes illas, non flagitiis minùs famosas quàm claras incendio, quo deflagrarunt, unumque ut invenires in iis hominem, non laternam modò unam, non solarem tantùm adhibuisti lampadem, astrorumque omnium lucem; sed ipsos etiam inflammâsti cum urbibus universos incolas, & unum tandem quem quærebas Lothum tot inter horribiles hominum larvas vix hominem nactus, ab illorum turpissimo avulsum complexu abstraxisti.

à Testimonio veterum. *Eccl. 7. 19.* Laternam tu etiam, Regum sapientissime, eundem in finem, credo, succenderas, cùm perlustratis animo celeberrimis terræ plagis, oppidisque frequentissimis exclamasti denique: Millenis de viris unum tandem aliquando te reperisse; mulierem verò ne invenisse quidem unam ex omnibus.

Epilogus. Ite jam, & Laternarium irridete Diogenem, quod in confertissima hominum turba hominem quærat. Sanè laternâ illâ suâ, si minus, quòd investigabat, invenit, non mediocrem certè sapientiæ laudem reperit, maximamque sui judicii lucem Laternæ suæ luce patefecit.

CHRIA.

CHRIARUM ARGUMENTA.

FActurum me putavi rem æquè Præceptoribus gratam, ac Discipulis, si quædam hic Chriarum Argumenta subnecterem, materiamque rudem & impolitam subministrarem, in qua ipsi deindè Tyrones elaborarent per otium. Duodecim ergo delineo, quarum sex primæ Verbales; quatuor sequentes Mistæ erunt; duæque ultimæ Activæ.

I. CHRIA VERBALIS.

Fiet in hanc Sententiam.

Invia virtuti nulla est via.

Ovidius laudabitur ab ingenii magnitudine, cujus tamen miserando vicem, quod laude illa non sit usus ad virtutis studium, cujus summam potentiam admiratus, exclamat: *Invia virtuti nulla est via.* *ab Encomio.*

Sententiæ hujus sensus est: nihil esse adeò difficile, quod homo virtute præditus præstare non possit. Difficultates hic sigillatim recensendæ sunt, quæ Virtuti opponi possunt; cujusmodi sunt, labores, ærumnæ, jacturæ bonorum ac nominis, morbi, mors denique; & ostendendum, eas omnes difficultates, egregiè à Virtute vinci, adeoque feliciter, in quo labores graviores sunt, eò majorem colligat gloriæ segetem, & uberiorum materiam laudum. *à Paraphrastico.*

à Causa. Cur nulla est via tàm difficilis, quæ sit virtuti invia. Cur nullus labor est tantus, quem superare virtus non possit? Causa duplex esse potest. 1. Quia virtutis vires infinitæ sunt. 2. Quia cum virtus laboribus excitetur, acuatur, perficiatur, & splendescat, inde fit, ut, quod jam dicebam, quo majores se difficultates objiciunt, eò clarior virtus elucescat.

à Contrario. Contrarium est, quod vitium debile, ignavum, iners, infirmumque sit, & vel minimo labore homo virtute destitutus frangatur.

à Simili. Quemadmodum fulmini nihil occurrit, quod obsistat: ut Soli nullæ opponi nubes possunt, quas non dissipet: sicut torrens repagulis objectis intumescens obvia quæque proruit: sicut inclusus ignis erumpat necesse est, nullæque superimponi possunt tantæ moles, quas non evertat; ita virtus, &c.

ab Exemplo. Quam difficile Davidi fuit adhuc puerulo & inermi leones ursos manibus captos strangulare ac dilaniare in frustra? dilaniavit. Gigantem armatum singulari certamine vincere ac prosternere? vicit, prostravit, interfecit. Quam laboriosum Josepho fuit fratrum invidiam & crudelitatem, servitutem, calumniam, vincula ferre ac superare? tulit fortiter, feliciterque superavit. *Similis exemplorum inductio fieri loco poterit in eundem modum.*

à Testimonio veterum ab Ovidio Q. Curtius iisdem ferè verbis concinit: *Nihil esse*, inquiens, *tam arduum, quo virtus non possit eniti.*

Epilogo. Concludetur brevi Epilogo, quo nos ipsos excitabimus ad virtutis genus, cum nihil eâ sit potentius.

II. CHRIA

II. CHRIA VERBALIS.

Etiam ſine Magiſtro vitia diſcuntur.

Laudandus Seneca, quod inter Scriptores Ethnicos, Magiſtri virtutum nomen potiore jure vendicare ſibi poſſe videatur; maximè cum dixit: *Etiam ſine Magiſtro addiſci vitia.* *ab Encomio.*

Explicabitur illa ſententia, oſtendendo opus non eſſe ſcholas frequentare vitioſorum hominum, libros legere peſtilentes, præceptores audire improbos, ut diſcamus vitia, &c. *à Paraphraſtico.*

Cauſa, cur ſine labore ſtudioque vita diſcuntur, eſt naturæ noſtræ pravitas, & ingenita nobis ad malum propenſio. *à Cauſa.*

Vitio contraria virtus eſt ut hanc addiſcamus, quot magiſtrorum & librorum opera requiritur! quot præceptis, quot monitis, quot lectionibus egemus! quantum ſtudii & laboris ponendum eſt, ut vel primis ejus elementis multorum ſpatio annorum imbuamur! *à Contrario.*

Similitudo ab agricultura petetur: ut enim noxia gramina, inutileſque plantæ progerminent, nullâ cultoris induſtriâ opus; ſpontaneas profundit inculta tellus ſpinas & carduos, &c. ſic, ut Vitia, &c. *à Simili.*

Exemplo eſſe poſſunt Adoleſcentes illi omnes, qui cùm honeſta in familia, probis nati educatique ſint parentibus, vitam vitiis inquinatam agunt, vix enim ſingulare Exemplum huic argumento ſatis idoneum reperias. *ab Exemplo.*

Eandem Sententiam expreſſit his verbis S. Hieronymus: *Proclivis eſt*; inquit, *malorum* *à Teſt. Gen. Epiſt.*

imitatio: Expressius adhuc Deus ipse: *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.*

ab Epilogo. Ex his inferemus, sapienter dixisse Senecam, sine Magistro vitia addisci, sapientiusque nos facturos, si dediscamus ea, quæ jam per nos ipsi didicimus, & quæ fortè etiam alios docuimus, doctiores heu! quàm deceret, ad malum Magistri.

III. CHRIA VERBALIS.

Rara est concordia Formæ atque Pudicitiæ.

ab Encomio. Laudabitur à Facultate Poëticæ, qua eminuit Juvenalis, hujus auctor sententiæ.

à Paraphrastico. Ostendetur, vix inter corporis formam elegantem, & Pudicitiam benè convenire unquam posse; hoc est: rarò contingere, ut qui pulchritudine præstant, castitate ornati sint. Tribus constat membris hæc sententia. 1. *Forma*, quæ describenda est per varias definitiones, quas pag. 187. invenies conglobatas. 2. *Pudicitia*, quam similiter describere per definitiones poteris, appellando illam, Reginam virtutum, animi decus, &c. Consule, quæ pag. 140. de Castitate diximus, & quæ 186. in Virtutis laudem. 3. *Non concordant*, quod verbum per Congeriem Sententiarum licebit exponere. Quid est non concordare, non convenire, non consentire? Est sensu, verbis factisque discrepare, altercari assiduè, jurgari, exercere inimicitias perniciem sibi moliri mutuam, &c. Hæc omnia præstare solent Pulchritudo & Pudicitia.

Cur

Cur inter formam & pudorem vix unquam bene convenit? Cur rara est earum concordia? Cur ita dissident? Quia forma elegans videri vult; pudicitia latere amat: illa vana & superba est; hæc modesta, illa delitiis gaudet, voluptatibus pascitur; hæc contra pœnis laboribusque delectatur; illa expetitur, amatur, ambitur, oppugnatur; hæc nequaquam, &c. *à Causa.*

Contrà non est admodum difficile, ut cum deformitate pudor consentiat. *à Contrario.*

Pudor thesaurus est; servari vix potest in loco ornatissimo patenti ac splendido: pudicitia Regina est inter hostes delitescens; si fulgenti regioque decoretur habitu, non effugiet manus, non eludet oculos quærentium. Ut lateat, ut elabatur, oportet ut plebejo se cultu deformet. *à Simili.*

Viderunt, quàm verum esset, raram esse concordiam formæ atque pudicitiæ, qui violavere oris elegantiam, ne castitatem in discrimen adducerent; ut qui essent pudici formosi esse noluerunt. Id noverat Euphemia virgo, quæ cultello vultum fœdavit non uno vulnere: hoc Brigitta, hoc Andrigisyna virgines, quæ precibus formam perdidere, ut ne pudorem perderent: hoc Wilgefortis, quæ ob eandem caussam obtinuit à Deo, suas ut barba genas ac mentum deturparet. *ab Exemplo.*

Ovidius idem quod Juvenalis planè sensit, idemque planè dixit hoc carmine: *à Testimonio.*

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Epilogus commodè fieri poterit brevi cohortatione ad Adolescentes, sic fermè: Cum igitur tam rara sit formæ ac pudicitiæ concor- *ab Epilogo.*

 dia.

dia: date operam, Adolescentes, ut qui estis formosa facie, mente sitis formosiores; qui non estis ore venusto, sitis venustiores animo: utrumque utrique consequimini, si pudicitiam colatis.

IV. CHRIA VERBALIS.

Facilis descensus Averni;

Virg. 6. Æneid. *Sed revocare gradum, superasq; evadere ad auras.*
Hoc opus, hic labor est.

ab Encomio. Perstringendæ breviter Virgilii laudes, quibus Poetarum Principis nomen merito adeptus est.

à Paraphrastico. Sententia hæc duabus contrariis constat partibus; prior solum hic explicanda est (nam posterior exponetur *à Contrario*) huncque habet sensum: Facile est ruere in omne genus vitiorum, criminibus addicere vitam, inquinare se flagitiis, contaminare corpus, animumque sceleribus, facile est.

à Contrario. Locus hic *à Contrario* ante Locum *à Causa* tractari in hac Chria debet, quod scilicet sententiæ propositæ pars posterior sit priori contraria: *Sed revocare gradum superasque, &c.* hoc est: At revocare se ad officium, emergere à vitiis, mutare vitam, recipere se ad bonam frugem id vero perdifficile est, maximique laboris opus.

à Causa. Causa cur sit facilè peccare, est 1. Ipsa humanæ mentis perversitas, & innata proclivitas ad malum. 2. Quia inest vitiis omnibus illecebra quædam voluptatis, quâ blande pellicimur ad pec-

peccandum. 3. Quia facillimum eſt deſcendere, ſeque agere præcipitem ex edito loco in infimum: At verò aſcendere, præſertim per abrupta & lubrica, *hoc opus, hic labor.*

Innumeræ adduci poſſunt ſimilitudines. Quemadmodum enim facile eſt demoliri ædificia, lacerare veſtem, vaſtare agros, injicere ignem tectis, bona dilapidare, exiſtimationem amittere, &c. Difficillimum contra, amiſſa recuperare, injecto igni ſpatium ac modum ſtatuere, &c. Ita facile eſt labi in peccatum, &c. *à Simili.*

Proclive fuit Davidi è ſolio virtutis ſemel deſcendere, aut potius præcipitare ſe in ſentinam turpitudinis; at quantum laboris ſubeundum illi fuit, ut emergeret? quot lachrymis eluendæ fuerunt contractæ ſordes? Pronum fuit Sophiæ Auguſtæ colum ac fuſum Narſeti mittere per ſummam contumeliam; at vix ducentorum annorum ſpatio retexi potuit tela imperio fatalis, quam Narſes neverat. *ab Exemplo.*

Hanc peccandi facilitatem, & Virgilianam illam ſententiam verbis aliis expreſſit Seneca: *Serpunt vitia*, inquit, *& contactu nocent & in proximum quemq; tranſiliunt.* At lues, quæ contactu, imo & afflatu contrahitur, quam difficile depellitur. *à Teſtimonio.*

Aptus erit Epilogus, inferre ex eis, quæ dicta ſunt, peccatum eſſe omni contentione fugiendum; cùm labi adeò ſit facile, reſurgere contra ita laborioſum. *ab Epilogo.*

V. CHRIA

V. CHRIA VERBALIS.

Principes nunquam soli peccant.

ab Encomio. Famianus Strada, qui hanc protulit sententiam, vir eloquentiæ laude clarus, religione vitæ clarior, Historicus nostrorum temporum eximius laudandus obiter.

à Paraphrastico. Perspicua hæc est sententia: *Principes nunquam soli peccant*, per suas partes sic e ponenda. 1. *Principes*, qui scilicet Rerumpubl. gubernacula moderantur, qui summa cum auctoritate præsunt, &c. 2. *Si quando peccant*, si quid admittant contra jus & naturæ leges, si quod flagitium, &c. 3. *Non sunt soli*; hoc est, multos sceleris socios habent, &c.

à Causa. Causa, cur non soli peccant Principes, est: Quia cum auctoritate summa polleant, maximaque potentia, assentatores habent innumeros, qui ut eorum gratiam sibi demereantur, obsequuntur nefariis illorum cupiditatibus, ipsorumque vitia moribus exprimunt. 2. Quia Principum facta leges videntur esse populorum; neque enim pœnas timere possunt, imò laudem se putant consequi, si suorum imitentur ac sequantur exempla Principum.

à Contrario. Contrarium prorsus usu venit, cùm Principes ex virtutis disciplina vitam traducunt. Illorum enim exempla in utramque partem valent maximè.

à Simili. Principum auctoritate tanquam fundamento innituntur Respublicæ; ruente fundamento totum necesse est ædificium corruat. Sclopi brevio-

viores minimam, bombardæ ingentes maximam edunt hominum stragem. Ducem in bello, & in mari Navarchorum peccata exitium non uni, sed infinitis afferunt.

Exemplis si opus esset, dicerem Neronis temulentiam ad imitationem tantum valuisse, ut Roma ex urbe in popinas abiisse videretur: Libidinem, Heliogabalo libidinante, sic crevisse, ut ne Philosophi quidem turpissimis voluptatibus intacti essent: Sævitiam, Commodo gladiatorem agente, in mores hominum ita manavisse, ut ipsæ fœminæ gladiatorio cultu, & verò etiam audaciâ in arenam procederent. *Ab Exemplo.*

Audi Claudianum inculcantem: *à Testimonio.*

Scilicet in vulgus manant exempla Regentum:

Utque Ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

Communi Chria hæc claudetur Epilogo. 2. Stilic. *ab Epilogo.*

VI. CHRIA VERBALIS.

Voluptas esca malorum est.

Plautus auctor hujus sententiæ laudabitur ob ingenium admirabile, præsertim in moribus hominum venuste describendis, vitiisque scitè carpendis stylo suo comico, quo tametsi conditione vilissimâ, nam versandæ molæ asinariæ addictum fuisse ferunt, immortale sibi fecit nomen apud posteros.

Explicabitur illa sententia similitudine ipsa, quam continet: ut enim hamo pisces, sic vo- *à Paraphrastico.*

lupta-

luptate inescantur & capiuntur homines, & ad omne vitiorum genus pertrahuntur. Quære à singulis, cur peccatis se polluant, cur sceleribus scelera cumulent? respondebunt, se voluptate allici. Dic impurè, dic temulente, cur tantis flagitiis maculatis animum? dubitas, quin se vel invitos pertrahi voluptate respondeant?

à Causa. Quæris causam, cur voluptate ad mala homines alliciantur? Quæro ego vicissim ex te causam, cur hamo pisces capiantur? quia, inquit, escam, non uncum ferreum vident pisces: Idem quoque respondeo; quia homines voluptatis, non doloris secuturi sensum minimè advertant. Non considerant, cùm peccant, innumera æternaque mala, quæ momentanea levissimaque Voluptas invehit.

à Contrario. Labor contrà, si minus esca bonorum dici potest, quòd nihil delectationis objiciat sensibus; origo certè dici debet bonorum omnium: nam ex labore vera virtutis, ex virtute æternus honor, ex honore immensum gaudium felicitasque sempiterna profluit.

à Simili. Quandam similitudinem habeat sententia ipsa suam, poterit tamen similitudinis subire vicem, quod de Syrenibus fabulantur Poetæ, quæ ad maris oram consistentes tanquam piscatrices, suavitate cantûs pellectos sopitosque nautas ac victores quasi pisces retibus irretiebant, ac devorabant.

ab Exemplo. Nonne Syren fraudulenta fuit, illa muliercula, quæ Samsonem omnium mortalium fortissimum blanditiis inescatum illexit in sinum, sopitumque vinxit, totundit, prodidit, perdidit.

Plauti

Plauti sensum totidem verbis assecutus est Cicero, idemque verbis aliis, alio loco elegantissime significat: *Imitatrix*, inquit, *est boni voluptas malorum mater omnium, cujus blanditiis corrumpuntur, quæ naturâ bona sunt.* Et alibi: *Multa nobis blandimenta natura ipsa genuit, quibus sopita virtus conniveret, &c.* *à Testimonio. De Senect. Lib. 2. de Leg. Pro M. Cœlio.*

Quoties igitur sensibus vestris, Adolescentes, aliqua se voluptas offeret, hamum considerate escâ rectum, &c. *ab Epiloga.*

I. CHRIA MIXTA.

Omnia mea mecum porto.

Laudabitur Bias à sapientia, qua sic excelluit, ut inter septem Græciæ Sapientes fuerit numeratus. Is cum patriam ejus Prienem cepisset hostis, cæterique ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent, admonitus à quodam, ut idem ipse faceret. Ego vero inquit, facio; nam *omnia mea mecum porto.* Quid sapientius dici potuit. *à Laudativo. Cic. Parad. 1.*

Demonstrandum est, quàm sapienter Bias responderit, quamque sit verum, nulla esse alia hominis bona præter virtutem, (hoc enim ipsum Bias intelligebat, cum diceret: *Omnia mea mecum porto.*) Id autem fiet, enumeratione bonorum omnium, quæ possidere homo potest; qualia sunt 1. Fortunæ bona, opes, honores, fama, nobilitas. 2. Bona corporis, sanitas, robur, pulchritudo. Hujusmodi bona omnia dici non debent bona hominis, sed sola virtus. Quid ita? mox subjicio causam. *à Paraphrastico.*

Causa

à Causa. Causa, cur sola virtus sit bonum hominis, est. 1. Quia sola virtus bonum hominem perfectumque efficit. 2. Quia virtutem qui possidet, thesaurum infinitum possidet, nullâque re aliâ eget. 3. Quia virtus ita nostrum est bonum, ut sicut dono dari non potuit, ita nec ulla vi eripi nobis queat. 4. Quia sola virtus reddere nos beatos potest, æternumque felices.

à Contrario. Contra verò naturæ ac fortunæ bona omnia adeò non bonos nos reddunt, ut sæpissimè pessimos ac sceleratos efficiant. 2. Boni nomen non merentur, quia probis sæpè denegantur, & tribuuntur improbis. 3. Quia sine laude, imò plerumque maximo cum dedecore possidentur. 4. Quia auferri nobis possunt, & in morte semper auferuntur. 5. Quia etsi affluamus iis bonis omnibus; si una caruerimus virtute, miserrimi in hac vita sumus, multoque miseriores in altera.

à Simili. Qui hujusmodi bonis gloriatur, idem facit ac cornix illa Æsopica, quæ pennis decora alienis circumspiciebat se tumens ac superba; ac spoliata ornatu non suo, sibilis ac rostris aliarum volucrum exposita est.

ab Exemplo. Job bonis orbatus omninò omnibus, dives tamen ac beatus erat, doloribus obrutus, & in fimo jacens; quia virtutem adhuc retinebat, quam dæmon eripere illi unà cum cæteris bonis non potuerat. Vidit certè, & suis aspexit oculis patientissimus ille virorum, unum hominis bonum virtutem esse, idemque quod Bias ille ejus inopiam mirantibus dicere potuit: adhuc *Omnia mea mecum porto.*

à Testimonio. Idcirco divine Seneca: *Unum hominis bonum,*

num, inquit, *Virtus est.* Et Plautus lepidissimum illud caput: *Omnia ei adsunt bona penes quem est Virtus.*

Epilogus de more fiet.

II. CHRIA MISTA.

Concordiâ parvæ res crescunt, Discordiâ maximæ dilabuntur.

Laudandus Micipsa Numidarum Rex à prudentia, cujus virtutis regium specimen ac documentum dedit filiis suis moriens, illos ad virtutem concordiamque his verbis adhortatus: Regnum vobis trado firmum, inquit, si boni eritis: sin mali, imbecillum; nam *Concordiâ parvæ res crescunt, Discordiâ maximæ dilabuntur.* *à Laudativo.* Apud Salust.

Hujus sententiæ duæ sunt partes inter se contrariæ, & seorsim deinceps explicandæ. Prima hæc est: Concordiâ, voluntatum consensione, conjunctione virium nihil esse tam parvum, quod non evadat amplissimum; nihil tam humile, quod non assurgat in immensum; nihil tam debile, tamque contemptum, quod, &c.

Altera sententiæ pars primæ illi opposita sensum hunc habet: Discordiâ, Dissensione, jurgiis, distractione voluntatum ac virium familias clarissimas extingui, Respublicas florentissimas interire, Imperia firmissima labefactari, penitusque concidere. *à Contrario.*

Causa in promptu est; quia quò virtus magis unita est, eò fortior est, faciliusque resistit fortu- *à Causa.*

fortunæ ac malevolorum injuriis. Cùm autem disjuncta est ac segregata, existit imbecillior, adeòque nullo fere labore frangitur.

à Simili. Quamdiu propugnaculi saxa firmiter inter se cohærent, tamdiu est inexpugnabile: at simul ac parietes facere labem incipiunt, &c. 2. Conjunctæ guttæ in rivos fluminaque coeunt, separatæ modico tempore siccantur. 3. Ut conglobati pulvisculi assurgunt in excelsos montes, dispersi verò cedunt ventorum ludibriis. 4. Ut lapis è Scyro insula, inquit Plinius (*Lib. 16. Cap. 16.*) fluctuat integer, comminutus autem subsidet; sic res discordiâ pessum eunt, Concordiâ sustinentur.

à Testimonio. Plut. in Apophi. Exemplum dabit insigne Romanum Imperium: quamdiu enim in illa Rep. concordia viguit, stetit illud, floruitque; at ubi discordia Pompeji & Cæsaris in factiones distractum est, brevi eversum est.

ab Epilogo. Idem cùm timeret familiæ suæ Scilurus ille Scythia, octoginta filiorum pater omnes accersens, paulò ante mortem fasciculum jaculorum singulis frangendum porrexit; at illi cùm id ne tentare quidem voluissent, quod viderent id esse supra vires omnium; sapiens pater singula educens ac rumpens, facilè fregit universa, addens, idem esse eventurum, nisi concordes conjunctique viverent.

Epilogus animorum conjunctionem suadebit.

III. CHRIA MISTA.

Amici, diem perdidi.

Titus Imperator; is, qui ob humanitatem plane divinam Amor & Delitiæ generis humani cognominatus est, si quem diem egisset non insignitum aliquo in homines beneficio, jacturam illius diei dolens, dicere solebat ad amicos conversus & ingemiscens, *Amici, diem perdidi.* Quo laudum genere non digna est tam amabilis indoles? *ab Encomio.*

Exponenda illa sententia; cujus hic verus ac legitimus sensus est, amissum illum à nobis diem, quantumvis magnâ negotiorum turbâ implicati fuerimus; quo die nullum contulerimus in homines beneficium. Quisquis es igitur, qui nemini benefaciendo dies, menses, atque etiam forte annos transigis, exclama, si sensum non amisisti: *Amici, diem perdidi.* Noli dicere te perdidisse diem, quòd non sis factus eo die ditior, &c. Non perdidisti, si bene de aliquo meruisti. *à Paraphrastico.*

Hujus rei causa est, quod nullus homini æquiparandus thesaurus est, cùm nihil sit homine pretiosius. Hominem lucrari, sibi devincire plus est, quam gazas omnes collegisse, &c. *à Causa.*

Ille contrà diem non perdidit, sed quàm optimè collocavit, qui collocavit apud aliquem beneficium, etsi bona forte amiserit, etsi honoris fecerit jacturam, &c. ne dicat, *diem perdidi*; illa enim dies immortalis erit, nulla obscurabitur nocte, &c. *à Contrario.*

à Simili. Ut Alexander jam inde à puero Magnus dedignabatur, cùm vulgò hominum Olympicum decurreret stadium, operam se perdidisse ratus, nisi palmam de Regibus tulisset cursu; sic quivis homo, nisi hominem beneficiis vicerit ac devinxerit, nihil magnum, nihil animo suo dignum se fecisse putet.

ab Exemplo. Ea tibi haud dubiè tum observabatur cogitatio, Cyre, cùm plus ex pecuniis in merentes effundendis quàm ex coacervandis caperet voluptatis. Ea res, Constantine & Carole Magne, faciebat, ut doctrinâ & pietate claros homines augeretis honoribus, beneficiis ornaretis.

à Testimonio. Nôrat Socrates, quàm quæstuosa sit negotiatio hujusmodi; qui cùm Æschines, pauper auditor, nihil se diceret habere, quod mercedis loco daret præter seipsum, & rogaret, ut hoc qualecunque munus dignaretur accipere; Tu verò, inquit ille, me præclaro, nisi te fortè parvo æstimas, munere affecisti.

ab Epilogo. Itaque demus operam, nullum ut sinamus abire diem, quem non ornemus illustri aliquo nostræ in alios benignitatis & beneficentiæ monumento.

IV. CHRIA MISTA.

Plaudite.

ab Encomio. Laudandus Cæsar Augustus Romanorum Imperatorum felicissimus ac sapientissimus, cujus morientis illa vox est, Circumstantibus enim lectum amicis: Ecquid videor, inquit, satis benè personam egisse meam? Cùm illis optimè

optimè, respondissent; Ergo, inquit Cæsar, *Plaudite:* quo dicto siparium obduxit, & expiravit.

Sensus illius vocis est: nemini mortalium plaudendum esse ante mortem; contra quam fit ab assentatoribus, qui officiorum tempora prævenientes vivos plausibus obtundunt, quos deinde mortuos onerant convitiis. *à Paraphrastico.*

Cur non nisi in morte, aut post mortem plaudendum? Quia vita hæc fabula est, in qua suam quisque personam sustinet, alii Regum, alii mancipiorum, &c. Ut quisque ex artis legibus, hoc est, ex rectæ rationis præscripto personam egerit suam, plausum referet: Contra, qui non pro dignitate munus suum obierit, talemque non se exhibuerit Actorem, qualem imposita sibi persona postulabat, æternum dedecus subibit; At nec isti vituperium & ignominiam, nec illi laudem ac plausum ferre debent, nisi in morte: Quia mors est vitæ absolutio; nihil autem nisi absolutum perfectumque laudem meretur. *à Causa.*

Inconsultissime agunt, qui plaudunt ante mortem; stultissime, qui nondum debitam laudis mercedem exigunt, captantque gloriam viventes adhuc, & applaudentes sibi ipsis, aliis etiam dicunt, *Plaudite.* *à Contrario.*

Nec enim in fabula plauditur, prius, quam ad Epilogum & Catastrophen perducta fuerit. Non imponitur corona victori, nisi post emensum stadium confectumque cursum. Non conceditur triumphus, nisi peracta pugna, &c. *à Simili.*

Quid agitis Romani? Quid Tiberio Augusti filio ac successori intempestivè plauditis? *ab Exemplo.*

Digna quidem plausu gerit, dicitque plurima. At expectate, nondum est plaudendi tempus: expectate, dum vitæ claudat scenam. Tamdiu vobis est expectandum; aliam ecce personam induit, exutâ omni humanitate; non agit jam Imperatorem, & patriæ Patrem, sed immanem Tyrannum, crudelissimumque Carnificem. Jamne plaudetis morienti? Audebitque Tiberius in morte dicere, ut Augustus: *Plaudite?*

à Testimonio. Quàm sapienter dictum! ô præclarum Poetæ carmen, aut potiùs oraculum:

Ovid. ——— *dicią; beatus*

Ante obitum nemo, supremaq; funera debet.

Sic laudabiliter vivamus, ut ante obitum haud ex vano dicere possimus: *Plaudite.*

Quatuor illis Mixtis duas adjungam Chrias Activas.

I. CHRIA ACTIVA.

Linguâ nihil pejus.

ab Encomio. Æsopus, pulcherrimum illud in turpissimo corpore ingenium, laudem meretur, quod jussus optimos quosque cibos apparare ad convivium, nulla nisi Linguarum fercula in mensam intulit: Jussus iterum ex pessimis quibusque cibis adornare epulum, Linguas iterum in missas multiplices ministravit.

à Paraphrastico. Breviter exponetur, quid sapiens ille Fabulator significare voluerit illo ciborum apparatu: Nihil aliud certè, nisi quod ut Linguâ nihil melius, cùm rectè loquitur, ità cùm malè, nihil pejus & perniciosius est.

Cur

Cur linguâ nihil pejus est? (nam nihil esse melius probabitur in sequente Chria) Quia infinita damna parit; quod enumeratione facilè ostendi poterit. *à Causa.*

Silentio contra nihil melius est: a nam multi fuerunt in admiratione propter silentium. Et; b *Stultus quoq; si tacuerit, sapiens reputabitur.* *à Contrario.* *a Dio Prusæus.*

Lingua, ensis est; quot strages, quot cædes edit? &c. Flamma est; quot incendia miscet? Jaculum est, eminus ferit, animumque ipsum perimit. Est serpens; virus ubique suum spargit, &c. *b Prov. 17. 28.*

Serpentis tartarei lingua, & primæ omnium Parentis lingua perniciem extremam crearunt humano generi. *à Simili. ab Exemplo.*

Quocirca dixit vir sapientissimus, c multos quidem interiisse gladio, at multo plures linguæ intemperantia periisse. Et S. Jacobus linguam omni ferâ sæviorem, nulla domari humanâ industriâ posse. *à Testimonio. c Eccl. 8. 22. c. 3.*

Linguam igitur coërceamus, si mala, quæ affert, extimescimus. *ab Epilogo.*

II. CHRIA ACTIVA.

Linguâ nihil melius.

Pittacus Mitylenus, unus de septem Græciæ Sapientibus laudabitur, quod rogatus partem victimæ proferre optimam pessimamque Linguam exsecuit, ac porrexit. Et Bias quoque, alter ex eodem numero Sapientum, rogatus *à Laudativo.*

ab Amasi Ægyptiorum Rege exploraturo ejus sapientiam, sibi ut ex ore, quam ad illum consulto miserat, partem optimam, pessimamque remitteret; unam remisit Bias linguam.

à Paraphrastico. Voluit uterque videlicet demonstrare, linguam corporis humani membrum esse utilissimum juxta ac perniciosissimum; prout quisque illâ rectè; an secus utitur.

à Causa. Cur lingua nihil in homine melius? (nam jam suprà probatum est, nihil esse pejus.) *Quia* innumera bona nobis affert, quod eorum Enumeratione declarandum erit. *Quid* enim lingua non efficit? Docet, hortatur, laudat, vituperat, jubet, &c.

à Contrario. Silentium contrà magna sæpe detrimenta parit; quæ recenseri hoc loco poterunt.

ab Exemplo. Virginis sanctissimæ, Christianorum omnium optimæ ac maximæ Parentis Lingua Verbum divinum in ejus castissimo sinu produxit, dum Angelo Dei legato assensum præbuit.

à Test. Non ergo sine causa dixit Salomon Rex: d *Vena vitæ, os justi.* Et: e *Lingua sapientum est sanitas.*

d Prov. 10. 11.
e 12. 18.

ab Epilogo. Vel bene loquendum, vel omnino tacendum esse docebit Epilogus ex hac communi sententia:

Aut dic aliquid melius silentio, aut sile.



PRO-



PROGYMNASMA IV.

De SENTENTIA.

NOn multum nobis facessset negotii Progymnasma hoc; propterea quòd omnia prorsus, quæ in superiori dicta sunt, ad istud referenda sint.

Quid Sententia sit, & quotuplex?

QUid est Sententia?

R. Est Oratio dictum quodpiam quod ad hortandum dehortandumve pertinet, breviter explicans.

Quomodo differt Sententia à Chria?

R. Nihil omninò differt; nisi quòd Chria non dictum modò, sed etiam factum aliquando commemorat Sententia verò dictum duntaxat explicat.

Quotuplex est Sententia?

R. Multiplex. Alia dicitur Exhortans, alia Dehortans, & alia Enuntians. Item alia Simplex, alia Composita. Rursus dividitur in Veram, Probabilem, & Superlatam.

Quid est Sententia Exhortans?

R. Ea est, quæ ad aliquid hortatur & incitat: Ut: à *Amicum dilige, qui te, non tua diligat.* a *Cato.*

Quid est Sententia Dehortans?

R. Illa: quæ ab aliquo malo nos avocat. Ut: b *In voluptatis regno non potest virtus consistere.* b *Cic. de*

Quid est Sententia enuntians?

R. Quæ rei cujuspiam naturam nobis aperit. Ut: c *Virga atque correptio tribuit sapientiam.*

c *Prov. 29. 15.*

Quid est Sententia Simplex?

R. Quæ unum simplicemque habet sensum. Ut: d *Soli boni sunt felices.*

d *Plot.*

Quid est Sententia Composita?

R. Quæ non unum tantum sensum continet. Ut: e *Fortuna fortes metuit, ignavos premit.*

e *Senec.*

Quid est Sententia Probabilis?

R. Quæ rem non quidem certissimam, sed probabilem ac verisimillimam enunciat. Ut: f *Major est mulieris quam viri malitia.*

f *Arist. 9. de hist. anim.*

Quid est Sententia Vera?

R. Quæ rem affirmat semper veram. Ut: g *Facile est vincere non repugnantem.* Et: *Male parta malè dilabuntur.*

g *Cic.*

Quid est Sententia Superlata?

R. Quæ rem videtur augere suprà veritatem. Ut: h *Ingrato homine terra nihil erat pejus.*

h *Auson. apud Lapſ. in Sen.*

Quibus capitibus tractatur Sententia?

R. Iisdem planè, quibus Chria; videlicet ab Encomio, Expositione, Causa, Contrario, Similitudine seu Parabola, Exemplo, Testimonio veterum, & Epilogo.

Sed jam Exemplum Sententiæ ab omnibus his Locis pertractatæ accipe.

Sententiæ Exemplum.

Adolescens juxta viam suam ambulans, etiam cùm senuerit non recedet ab ea. *Prov. 22.*

Adeste animis, Adolescentes, attentasque præbete aures Regum sapientissimo, Doctorumque omnium Regi, quem nihil eorum latuit, quæ sciri ab homine possunt, qui penitissimos naturæ recessus, artiumque arcana omnium, adytaque secretissima scientiarum ingenii pervasit acie, animoque complexus est; cujus in augustissima mente velut in sacrario visa est posuisse Sapientia domicilium; cujus ab ore sua ipse Deus fudit oracula, leges edixit, consilia explicuit, mysteria promulgavit. Audite quibus vos ille verbis avocet à vitiis, ad virtutem impellat, cohortetur ad vitæ decus, & ad omnem officii rationem pelliceat. *Ab Encomio.*

Adolescens, inquit, *juxta viam suam ambulans, etiam cùm senuerit non recedet ab ea.* Quasi vos ita commoneret, ac diceret:

Videte, Adolescentes lectissimi, quàm à primo ætatis exordio agendi rationem teneatis; quam ab ineunte pueritia ordiamini vitæ telam; quæ puris paratisque ad sationem mentibus semina mandetis; quibus colorum initiis puras animorum tabulas imbuatis; ad quas artes appellatis cogitationem; quod arripiatis vivendi genus; quam studiorum ineatis viam. Etenim, quam quisq; à teneris capessiverit vitæ ratio- *à Paraphrastice.*

rationem, eam ad exactum usque sensum retinebit, nec ullâ prorsus arte, nullave vi ab instituto cursu revocari se patietur. Considerate, inquam, etiam atque etiam, quò vestra inclinet indoles; quam in partem corrupta vitiis natura propendeat; quò vos abripiat fervor ætatis & æstus impotentis animi turpissimusque cupiditatum dominatus? si enim vitiorum lue semel infeceris animos, sordibusque fœdissimarum voluptatum violaveritis innocentiam mentis, manabit pestis ad ætatem usque postremam: contagione serpet malum exitiabile ad senectutem ultimam; nec ullam morbo pestilenti curationem dies afferet; sed ingravescentibus annis magis ac magis ingravescens æternum vobis pariet dolorem, nominique vestro labem inuret ignominiæ sempiternam.

à Contrario. Si contra à puero indixeritis voluptati bellum, si cohibueritis rationis fræno libidinem, nihilque vobis expetendum putaveritis, nisi quod sit cum laude & cum dignitate conjunctum, crescet accessu annorum honestatis amor: obfirmabitur mentis vigor robore virium; nec consenescet virtus senescente vitâ: sed quo languidior vis erit emarcescentis corporis, eò generosior efflorescet animus, maturosque tum maximè, suavissimosque fructus ætate jam maturâ profundet.

à Causa. Nempe usus & consuetudinis maxima vis est in omnem partem, ut quædam quasi necessitas inducatur, laudabiliter aut infeliciter conficiendi vitæ cursum, quem ab ipsis vitæ carceribus inchoavimus.

Flectitur nimirum eâdem felicitate tener animus,

mus, quâ molle corpus, dumque adhuc cereus à Simili.
est, quasvis figuras inducit. At si intercessu temporis, mollitiem amittat illam, ductilemq; indolem, & quasi lapidescere cœperit, indutam ad finem usque vitæ formam conservat. Cernite ut metalla cum fervore soluta fluunt, in quoslibet vultus conflantur; ubi vero refrixerint ut continuò immutabiliter obdurescunt. Aspicite ut arbores in quamcunque partem flectuntur facilè, tùm teneræ sunt; út contra induratæ annis nullâ dirigi industriâ queunt, sed abnormes ac tortuosæ perseverant. En ut globus, quem valide impactus torquet per planitiem malleus, à linea nunquam deflectit, donec impressa vis sensim elangueat, & impetus emoriatur. Videte ut per declivia montis saxum è cacumine avulsum ac ruens quò longiùs à summo provolvitur, eò violentiùs rapitur, nec usquam nisi in ima valle conquiescit. Sic, qui per hujus vitæ prærupta lubricaque prolabi cœperit in præcipitia vitiorum, consistere nullâ ratione valebit, donec in profundissimum miseriæ barathrum lamentabili casu devolvatur.

Testis est purpuratus ille carnifex, coronatum illud à fortuna monstrum, capitalissimus ille bonorum hostis, illa ex omni vitiorum genere coagulata bellua, portentum illud naturæ ex immanitate concretum, Herodes ille tyrannorum crudelissimus, testis est, qui assuetus à cunabulis innocentissimorum hominum fundere cruorem, non modò discessit à ferino more, confectus jam senio; sed in ipsa etiam morte, atque adeò, quantum in ipso fuit, eundem ultra fata retinuit. ab Exemplo.

Nec verò id mirum cuiquam videri debet: quod enim scriptum reliquit eximius Ecclesiæ Doctor Hieronymus: i *Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt*; & quod ajebat ille alius: l *Facile est teneros adhuc animos componere; difficulter reciduntur vitia quæ nobiscum creverunt.* Denique m *Ætas prima post tincturam voluptatis ægrè alium colorem bibit.* Illud enim Poetæ n tritum prætereo:

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

Imbuite igitur Adolescentes, recentes, animos suavissimo virtutum liquore, optimarumque artium pretiosis odoribus, illos ut diu æternumque servetis: Rectæ rationis inite viam, dum vobis est integrum: Sic enim susceptum insistentes iter nunquam deflectetis ab honesti calle; Et ad quam concitato cursu acris vegetaque contendit ætas, senectus fortunata metam continget.

a Testimonio.
i de Inst. Puer.
Epist. 7.
l Sen. 2. de irac. 2.
m Fac. Strad. de bell. Belg.
n Horat. l. 1. Ep. 2.
ab Epilogo



PROGYMNASMA IV.

DE THESI.

SI, *quæ Aphthonius habet de Thesi, pertractare vellem eâ, quâ Chriam diligentiâ, esset mihi hoc loco disserendum de ipsa Oratione quæ perfecti Oratoris opus est; Exemplum enim quod habet:* An ducenda sit uxor, *absolutæ Orationis argumentum est. Atqui non est nostri instituti*

tuli de Oratione hic agere; sed de præcipuis ejus partibus, ut ex singularum efformatione discant sensim Tyrones Orationem integram pertexere. Dicamus ergò hic de Thesi pauca & perspicua, & quod caput est, appositè ad eorum captum, in quorum gratiam hæc elucubramus. Ac quæramus primum.

Quid est Thesis?

R. Est rei alicujus investigandæ per Orationem Consideratio, vel Disquisitio, quam Cicero *Propositum & Consultationem* vocat.

Quotuplex est Thesis?

R. Duplex: Alia *Civilis*, cujus finis est Actio. Ut: An bellum sit gerendum. Alia *Speculativa*, cujus finis est sola cognitio. Ut: An sol sit major terra.

Quî differt Thesis ab Hypothesi?

R. Quòd Thesis sit propositio generalis seu infinita; Hypothesis verò sit particularis & finita, id est, circumscripta Adjuncto quodam vel personæ, vel loci vel temporis, &c. v. g. Quæstio hæc: *An pigri sint plectendi*, Thesis est, quia est universalis & infinita quæstio. At si quæratur: *An Petrus, qui piger est, plectendus sit.* Vel, *An sit mulctandus publico in loco.* Vel, *An hodie, an verò cras meritâ pœnâ sit afficiendus*; hujusmodi quæstiones omnes finitæ sunt & proprio nomine dicuntur Hypotheses.

Quis est usus Theseos, seu Propositionis infinitæ?

R. Maximus; quia Orationes, quæ latissimè vagantur, sunt ornatiores; Et quæ de universo genere dicuntur, valent ad judicium ferendum de singulis; & quæ de universo genere pro-

probantur, de parte etiam probandi necesse est, Exempli causa: Si sermonem sim habiturus de diligentiæ laudibus, excurram in laudem virtutis; si vituperaturus pigritiam, vitii generatim sumpti turpitudinem describam: quod enim de virtute dixero, id de diligentia; & quod de vitio, id de pigritia dici quoque poterit: quia pigritia est pars vitii; & diligentia pars seu species virtutis.

Itaque quoties tibi erit de re quapiam instituenda Oratio, optimum erit quæstionem illam particularem & finitam, quæ dicitur Hypothesis, traducere ad generalem & infinitam, quæ Thesis appellatur, ut demonstrabit hoc Exemplum.

Exemplum Thescos.

Gratior est puerorum institutio, quàm adolescentium.

Hypothesis est hæc propositio quia finita est, & ad certas personas contracta. Ut autem ejus probatio sit ornatior, illam revocabo ad hanc Thesin; Quia animantes omnes delectant cùm parvæ adhuc sunt, displicent autem cùm grandescunt. *Postquam hanc Thesin tractavero, ad Hypothesin, hoc est ad ipsos pueros illam contraham & afferam rationes cur magis tenera illa ætas arrideat, quàm provectior. At nunc incipiamus à Propositione quam hac unâ Periodo ita circumscribo;*

à Paraphrastico. Voluptas, qua ducimur omnes, cùm honesta est, quæ dulce condimentum est laboris, sinceraque virtutis illecebra, nec minus animorum quàm sensuum suavissima deprædatrix, longe purior ac limpidior à puerilis infor-

informationis fonte dimanat, quàm quæ fluit, si tamen illa fluit ab severiori institutione adolescentium.

Quid ita? Quia ea fermè natura est earum rerum, quæ vitam habent, caduntque sub oculos, ut nos eatenus miro quodam oblectamento demulceant, quatenus intra suæ velut infantiæ limites continentur, propiusque absunt ab ortu; incipiant verò displicere, cum natu provectiores grandescunt; tantoque magis displicere, quantò recedunt longius à vitæ cunis, acceduntque magis ad senium. *ad Thesin revolvatur.*

Id vel in ipsis intueri licet brutis animantibus, quæ alimus domi. Nam exempli causâ Catello quid blandius? seu, dum secum ipse solus in areæ palæstra lusitat, aut feli contribuli suæ à tergo insidias struens, ex improviso facit impetum, rixasque benevolas movet bellumque gerit bellulum; sive cum venienti Heræ saltuatim abblandiens, modò vestis admordens tenero dente limbum, modo latratu querulo subiratus immurmurans, caudulâ pedes verberat, ac nunc assultat, resultatque, agitque se, versatque circum, quasi castrum obsidione cingeret, donec Hera catuli blandimento victa, deditionem faciens, gremio lassum suscipit, facitque sui per otium suaviandæ copiam. Et feliculâ quid festivius? quam oculos jucundè pascit reficitque! ut hilaritatem aspergit intuentibus, dum se nunc torquet in sublime; nunc toto strata corpore humi se in porrectum dejicit; ac modò se cogit in cochleam, nunc evolvit se in anguillam; modò costulas fornicans arcuansque in cameli gibbum, momento *Thesis probatur ab Inductione.*

residente dorso explicat, excritque se, ac velut in sagittam vibrat. Jam Agnellos, Hœdillos, Vitellos, Porcellos (pudet nominare) imò Pullos, dicamne? dicam, sed præfabor honorem; ipsos, inquam Pullos Asininos, cæteramque turbam catulorum, Pullorumq; quid memorem? quàm pulchelli, quam venusti, quàm politi sunt donec sunt pulli!

Verum enim verò adolevitne ille Catulus? Excessitne primos annos Felicula illa? Vervexne Agnellus ille factus est, & Hœdus ille Caper, blandusque Porcellus immunda Sus & ille Pullus evasitne absolutus, & ex omni parte perfectus Asinus? Proh! quantum fœditatis & cœni! quantum spurcitiei ac turpitudinis! quantum, inquam, horroris afferunt mole grandiores, qui olim pumiliones ita placuerant! Nimirum abit cum primoribus annis læta illa vegetaque naturæ indoles; marcescit vividus ille flosculus, innatusque genii vigor, & languet illa vitæ flamma, & obsolescit ille formæ nitor, & illud omne, quodcunque est, quod sic aliàs arridebat oculis, annis venientibus evanescit.

Thesis reducitur ad Hypothesin. At quorsum hæc de belluinis Pullis disputatio pertinet? ut inferam videlicet mirum accidere nemini debere, quòd uberrimam jucunditatis liquidissimæ segetem præceptores à pueris colligant, quos excolendos suscepere, plenaque hauriant defæcatissimæ lætitiæ dolia cùm ex contrario ab adolescentibus, quos erudiunt, perpaucas oblectamenti guttulas vix eliciant multorum spatio annorum, rarasque oppidò voluptatis spicas extorqueant.

Inest

Ineſt ſiquidem, ut uſu probamus, ineſt huic ætatulæ mellei dulcoris vis maxima, leporumque delicatiorum numerus ingens, venerumque tam grata copia, & riſuum amœnitates ita feſtivæ, odorque ingenuitatis innocentiſſimæ quem toto ore continenter exhalant, usque adeo ſuaveolens, ut non poſſint illos non ferre in oculis, & in delitiis non habere, qui liberalibus eos diſciplinis inficiunt. Quod enim, uti modo diſputabam, in cœteris natura brutis adumbravit ut quamvis fœdiora finxerit, nonnihil tamen reſperſerit venuſtatis, quo ſe nobis commendant, dum puſilla ſunt; idipſum, ut decuit, in pueris expreſſit longè ſolertiùs, venuſtos efformans ad gratiam, *a* elegantulos ad decorem, ad delicias mundulos, ad amœnitatem candidulos, ad amorem comptulos ore, capillo criſpos, cute molles, oculis hilares, riſu nectareos, moribus ſacchareos, totosque ex meraciori ſuavitate conditos, totosque ex amabiliori liberalitate concretos: At non aliam certè ob rationem, ut non temerè ſuſpicor, quàm ut his quaſi ornamentorum blandimentis alliceretur erudita Magiſtri manus, quæ arte præceptisque perficeret, quod ipſa felici adeò ſucceſſu Natura in ſuis Puſionibus inchoaſſet.

Hypotheſis probatur.

a *Diſtributio.*





PROGYMNASMA IV.

De

LOCO COMMUNI, DESTRUCTIONE ET CONFIRMATIONE.

RELIQUA *Aphthonii Progymnasmata in unum confero; tum quòd minoris sint momenti & raro in usu; tum quod ex priore tractatione facilè cuivis erit intelligere qua ratione, quæ supersunt, tractanda sint, modò Præcepta teneat ab eodem Auctore tradita, quæ idcircò hic explicanda esse duxi, quam clarissimè potero.*

De Loco Communi.

QUid est Locus Communis?

R. Est Oratio laudes alicujus aut vituperia exaggerans.

Cur dicitur *Communis*?

R. quod communiter iis omnibus attribui possit, qui ejusdem laudis ac vitii participes cum illo sunt, quem laudamus, aut vituperamus: v. g. si Dionysium insector ob tyrannidem; quæcunque dicam de tyrannide, ea in omnes pariter Tyrannos cadunt.

quodnam est Exordium Loci Communis?

R. Nullum habet Exordium, nisi exercitationis causâ; propterea quòd Locus Communis nihil aliud est, quàm gravis quædam Amplificatio, ad Perorationem propriè pertinens,

qui-

Quibus capitibus tractatur?

R. Sex istis:

Contrario, *Sententiâ*,
Expositione, *Digressione conjecturali*,
Comparatione, *Exclusione misericordiæ*.

Et illa Capita sex aliis sequentibus terminantur:

Legitimo, *Facili*,
Justo, *Honesto*,
Utili, *Eventuro*.

Ut hæc intelligas, adverte oculos in Exemplum quod sequitur, tametsi rudi penicillo delineatum; neque enim absolutiori post tot alia opus esse arbitror.

Exemplum Loci Communis.

Seditiosus.

Fingendum est te seditiosum hominem accusare & exagitare apud Judices, præmissoque brevi prooemio, cujuscunque modi libuerit; quasi multa alia jam dixeris ne illius facinoribus, & perorandi tempus sit, Seditionis crimen sic exaggerabis:

A Contrario; ostendendo, quale quantumque sit bonum pax & concordia, quæ anteà vigebat, & vigeret etiam nunc magno omnium bono, nisi nefarius hic suis seditionibus illam violâsset, &c.

Ab Expositione. Expones (non ad docendum, rem enim jam notam esse ponimus; sed ad concitandam majorem in reum invidiam) quo pacto novis rebus studens sceleratus, seditionum procellas excitarit in Republica suis coitio-

coitionibus ac dolis multos primùm pellexerit in fraudem, & ad suas partes pertraxerit, &c.

A Comparatione. Comparabis hoc ejus crimen cum aliis: v. g. cùm aliorum libidine, aut temulentia; ostendesque graviorem ab illo, quàm ab aliis omnibus perniciem inferri Reipublicæ.

A Sententia, hoc est, *à consilio & mente*; quo scilicet consilio, qua mente turbas moverit; quid spreverit, quid animo intenderit: voluit videlicet, *inquies*, leges rescindere, jura pervertere, occupare summum locum, &c.

A Digressione conjecturali. Digrediendum erit & excutiendum in anteactam ejus vitam, & ex hoc uno crimine conjectura capienda de cæteris. Non nunc primùm, *inquies*, cœpit moliri exitium patriæ; ab ipsa infantia sese exercuit in omni flagitiorum genere, &c.

Ab Exclusione misericordiæ. Tantum illud dices esse crimen, ut sine majori crimine condonari nequeat: nullum veniæ relictum esse locum; misericordiam ei non esse tribuendam, &c.

Quæ postquam dixeris, impellendi erunt Judices ad sententiam adversùs illum ferendam, ostendendo his capitibus.

A Legitimo; Nihil esse legibus magis congruum, quàm ut, &c.

A Justo; Justum id esse, ut pœnam ipse ferat, quam omnibus impositurus fuisset, &c.

Ab Utili; Id saluti Reipublicæ conducere, &c.

A facili; Nullo negotio ejus furorem posse comprimi, &c.

Ab

Ab honesto; Nihil rationi convenientius esse, quam debitas exigere ab illo pœnas, &c.

Ab Eventuro; Ex ejus supplicio eventura civibus bona omnia, Rempub. revocatam iri in statum felicitatis pristinæ, &c.

Hic observandum, quod de seditioso diximus, idem de quovis alio facinoroso homine intelligendum esse; & quæ contra vitium, eadem illa capita valere omnia, si qua virtus esset ornanda; singula in contrarium sensum accipiendo. Verùm locus hic Communis adhiberi tantùm solet ad insectationem vitiorum.

De Destructione & Confirmatione.

Quid est Destructio?

R. Destructio, seu subversio est propositæ alicujus rei Reprehensio.

Quænam destruenda seu subvertenda sunt?

R. Ea, quæ neque prorsus manifesta, neque incredibilia sunt; sed quæ dubia & obscura.

Qua arte fit ista Destructio?

R. Primò Reprehendendi, qui illius rei, quam infirmare ac labefactare volumus, sunt auctores; dicendo, illos nullius esse nominis, vel fidei parum probatæ, vel in illa re, qua de agitur, non benè versatos, &c. Deinde ipsamet res subruenda his capitibus, quasi totidem arietibus.

Obscuro,	*Difficili,*	*Indecoro,*
Incredibili,	*Repugnante,*	*Inutili.*

Hoc est, probandum erit rem illam. 1. *Obscuro,* & incerto capite manâsse in vulgus. 2. *Incredi-*

credibile id esse, fidemque superare omnem, &c. 3. *Difficile* admodum esse potuisse fieri. 4. *Repugnare* illud naturæ. 5. *Decoro* pariter ac ratione. 6. *Inutile* denique futurum esse, &c.

CONFIRMATIO, seu asseveratio quid est?

R. Est propositæ rei Comprobatio: sed illa res, ut de Destructione modo diximus, nec incredibilis, nec penitus perspecta esse debet.

Quâ ratione, & quibus capitibus confirmanda res est;

R. Eàdem ratione, totidemque capitibus, quibus destruenda; sed contrariis, omninòque oppositis videlicet: à

Vide Baron. Ann. ad annum Christ. 119.

Manifesto,	*Facili,*	*Decente,*
Probabili,	*Convenienti,*	*Utili.*

Exemplum utriusque præclarum esse posset vetus illa quorundam opinio, seu potius fabula de Trajani Imperatoris anima, sancti Gregorii Magni precibus ab inferorum pœnis liberata, & in cœlum recepta.



PARS



PARS II.

RHETORICÆ PRÆCEPTA.

PROGYMNASMA I.

De

RHETORICÆ ELEMENTIS.

Ejus Natura.

QUid est *Rhetorica*?

R. Est Ars bene dicendi; sic appellata à verbo ῥέω, *dico, loquor*, ex quo ῥῆμα, *vocabulum*; & ῥητὸν *dictum*, *sententia*, unde ῥήτωρ *Rhetor*, *Orator*, *Causidicus*: & ῥητορικὴ, *Rhetorica*, seu *Ars Oratoria*.

Quid est *Ars*?

R. Facultas est, quæ certis quibusdam præceptis continetur in unum finem spectantibus, quæ si optimè cognita, penitusque perspecta fuerint, nunquam fallunt.

Undenam orta est Ars?

R. Ex animadversione naturæ, seu Eloquentiæ naturalis: Cùm enim alii temerè, alii callidius

dius dicant; potuerunt notari ea, quæ meliora sunt, ex quibus Ars fieri potuit.

Quid est *Benè dicere?*

R. Est optimis sententiis, verbisque lectissimis dicere, quod qui facit, implet Oratoris officium.

Quod est officium Oratoris?

R. Est appositè dicere ad persuadendum.

Quid est finis Oratoris?

R. Est reipsâ persuadere dictione.

Qui non re ipsa persuadet dicendo, potestne perfectus Orator dici?

R. Etiam, modò ea proferat, quæ ad persuadendum idonea sunt.

Etenim mihi non videtur ille perfectus artifex, qui finem suum non assequatur; atqui Orator ille, qui non persuadet dictione, finem non assequitur suum: qui igitur perfectus esse potest, etsi appositè dicat ad persuadendum?

In aliis artibus verum id quidem est, quod dicis; at in arte Rhetoricæ non item.

Affer discrimen.

R. Discrimen est, quod finis aliarum artium sit opus quodpiam externum ab artificis voluntate pendens. Sic pendet à sola voluntate pictoris, ut imago fiat; & ab architecti arbitrio, ut domus extruatur; & ita de aliis. At verò quia finis Oratoris non pendet solum à voluntate dicentis, sed etiam à voluntate audientis, qui persuadendus est; nullâ unquam ratione persuaderi ab illo iste poterit, nisi velit: quia naturâ liber est, & nemo præter Deum (qui proptereà solus Orator dici potest usquequaque perfectissimus) ipsius libertati vim inferre valet.

De

De Rhetorica Materia.

Quibus de rebus ex officio tenetur Orator dicere?

R. Illis de rebus, quæ sunt materia suæ artis.

Quæ est Materia cujusque Artis?

R. Ea est, circa quam versatur Ars: v. g. Medicinæ Materia, sunt *morbi*. Picturæ Materia, sunt *colores*, sic de aliis, quia circa ea versantur & occupantur artes illæ.

Materia verò Rhetoricæ artis quænam est?

R. Res illæ sunt, quæ in disputationem cadere possunt.

Quæ sunt illæ res?

R. Omnia prorsus quæ in mundo sunt: quia nihil omnino est, de quo disputare Orator non possit.

Debet igitur scire Orator naturam & virtutem, qualitatesque rerum omnium, ut de singulis disserere queat.

R. Ita est, indeque colliges Artem Oratoriam omnium esse præstantissimam; & qui in ea excellant, perpaucos esse: callere enim debet Orator cæteras artes liberales ac scientias, ut satisfacere valeat quæstionibus, quæ de illarum unaquaque fieri possunt.

De Quæstionibus ad Rhetoricã Materiam pertinentibus.

Quotuplex Quæstio fieri potest de unaquaque re?

R. Duplex. Alia est infinita, quæ *Thesis*, Græcè, & *Propositum* Latinè dicitur; alia finita, quæ

quæ Græcè *Hypothesis*, Latinè *Causa* & *Controversia* nominatur.

Quid vocas *Quæstionem* infinitam, seu Thesin?

R. Quæ nullis finita & adstricta est Adjunctis, seu circumstantiis; quales sunt, persona, locus, tempus, &c.

Quid vocas *Quæstionem* finitam, seu Hypothesin?

R. Quæ aliquâ circumstantiâ definitur ac terminatur.

Da utriusque Exemplum.

R. Si quæratur: *Sitne addiscenda Rhetorica ars.* Quæstio illa infinita est, quia generatim id quæritur, nullâ mentione factâ personæ, vel loci, vel temporis. At si quæram: *Sitne fœminis addiscenda Rhetorica.* Vel: *Sitne addiscenda ante, an post Philosophiam.* Vel: *Sitne addiscenda in Academiis, an in privatis ædibus?* Tales quæstiones finitæ sunt, quia Adjuncta hujusmodi infinitam illam & generalem quæstionem circumscribunt, & Thesin revocant ad Hypothesin: hoc est, quod generale est contrahunt ad id, quod est particulare.

Quómodo Hypothesis revocatur ad Thesin?

R. Sumendo id quod generale est, v. g. Si laudaturus diligentiam, excurram in laudem virtutis, quæ diligentiæ genus est: Si vituperaturus ebrietatem, de vitii fœditate disputem.

Quæstiones omnes suntne ejusdem rationis?

R. Nequaquam. Alia enim dicitur *Actionis*, cujus finis est *agere*. Ut: *Sitne bellum hæreticis indicendum.* Alia *Cognitionis*, cujus finis est, scire

ſcire tantum & cognoſcere aliquid. Ut: *Cujusnam menſis die Luna deficiat hoc anno.* Hoc enim cum inveſtigat Rhetor ſeu Orator, id ſolum agit, ut hoc intelligat.

Cur dicis *Rhetor*, ſeu *Orator*? duo illa idemne ſunt?

R. Paſſim pro eodem uſurpantur, tametſi differant.

In quo differunt?

R. In eo, quòd *Rhetor* dicatur ille, qui artem oratoriam docet; *Orator* verò ſit, qui in judiciis & concionibus cauſas agit. *Declamator* verò, qui aut docendi alios, aut exercendi ſe gratiâ fictam cauſam agit, ut in veris poſtea cauſis ſit exercitatior. Unde cauſæ hujusmodi fictæ ac ludicræ vulgò *Declamationes* dicuntur.

De triplici Cauſarum genere?

Quot ſunt Cauſarum Genera, in quibus verſari Orator poteſt?

R. Tria hæc: Judiciale, Deliberativum, & Exornativum ſeu Demonſtrativum, Græcè Epidicticum.

In quas partes dividitur *Judiciale* Genus?

R. In Duas: Accuſationem ſcilicet, & Defenſionem.

Quas habet partes *Deliberativum*?

R. Duas: Suaſionem, & Diſſuaſionem.

Quæ ſunt partes *Demonſtrativi* Generis?

R. Duæ: Laus & Vituperatio.

Quale tempus reſpicit Judiciale Genus?

R. Præteritum tempus: nemo enim accuſari vel defendi poteſt, niſi ob rem, quæ jam geſta eſt.

Quale tempus spectat Deliberativum?

R. Futurum: neque enim deliberamus nisi de futuris.

Quale vero Demonstrativum?

R. Non præsens modo, sed præteritum. Laudari siquidem aut vituperari quis potest vel ob ea quæ gessit jam, vel quæ gerit.

Quem ob finem accusatur aliquis?

R. Ut puniatur.

Quam ob causam defenditur?

R. Ut nullum subeat pœnam.

Quem finem spectat, qui suadet?

R. Utilitatem aliquam ab ea re, quam suadet emanaturam.

Quid intendit animo, qui dissuadet?

R. Ut detrimentum evitetur.

Quare vituperatio fit?

R. Ut vitii turpitudo adhorreatur.

Quare laudatio instituitur?

R. Ut virtutis honestas ametur.

De partibus Eloquentiæ?

Quæ sunt Eloquentiæ Partes (seu quod idem est.) Quot sunt munera Oratori propria?

R. Quinque sunt: Inventio, Dispositio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio.

Quid est Inventio?

R. Est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quibus probabile reddatur quod probare intendit Orator.

Quid est Dispositio?

R. Est rerum inventarum in ordinem distributio.

Quid est Elocutio?

R. Est idoneorum verborum ad res inventas accommodatio.

Quid est Memoria?

R. Est rerum inventarum ac verborum firma recordatio.

Quid est pronunciatio?

R. Est corporis & vocis ea moderatio, quam res inventæ ac verba requirunt.

Quibus rebus comparantur quinque illæ Partes Eloquentiæ?

R. Quatuor his rebus: Naturâ, Arte, Exercitatione, Imitatione.

Quid exigit Natura ad Eloquentiam?

R. Multa; tam ex parte animi, quàm corporis.

Quid requirit ex parte animi?

R. Celeres motus ad inveniendum, exornandum & recordandum aptissimos.

Quid ex parte corporis postulat?

R. Latera firma, canoram vocem, solutam linguam, oris & totius corporis conformationem.

Quid Ars ad Eloquentiam confert?

R. Perficit ea, quæ sunt à Natura.

Quomodo perficit?

Primo: dum monet, quò omnia sunt referenda, quæ ad finem nobis propositum spectant. 2. Dum indicat an recta sint, quæ habentur à Natura & Studio. 3. Efficietne fortuitò; dicamus, & ut semper parati simus.

Quid efficit Exercitatio?

R. Ea perficit & conservat, quæ Ars expolivit in Natura.

Quis Exercitationis modus est?

R. Iste. Primò sumi debet causa tractanda similis

similis earum, quæ ad Oratorem deferuntur 2. Non dicatur ex tempore, sed sumatur spatium ad cogitandum, ut accuratius dicatur.

Quæ imitationis utilitas & ratio est?

R. Utilitas est maxima: quia sine ea nemo satis proficere potest. Ratio verò imitandi hæc est: Proponatur aliquis summus in arte imitandus, quem tota mente intueamur. Deinde quæ in eo summa erunt, diligenter conemur exprimere.

De Inventione, [illegible]e Locis Oratoriis.

Quid est locus Oratorius?

R. Argumentorum sedes, seu nota, qua indicatur quid in rebus pervestigare debeat Orator.

Quid est Argumentum?

R. Est probabile inventum ad faciendam fidem.

Quid est Fides?

R. Firma animi iis quæ dicuntur, credentis opinio.

Quid est Opinio?

R. Est imbecilla assensio. Tam Fides autem quam Opinio Argumentatione gignuntur.

Quid est Argumentatio?

R. Est explicatio & dilatatio Argumenti.

Quotuplicis generis Argumenta sunt?

R. Duplicis: Alia *Insita* seu *Intrinseca*; alia *Remota*, seu *Extrinseca*, quæ etiam *Assumpta* dicuntur & *sine arte*: non quod sine arte tractentur; sed quod ea non parit Oratoris ars, & quod foris afferantur.

Quæ vocas Argumenta Intrinseca?

R. Ea,

R. Ea, quæ petuntur à loco, qui est in re, qui propterea intrinsecus dicitur.

Quæ sunt Extrinseca, seu Remota Argumenta?

Ea, quæ petuntur à Loco, qui est extra rem; qui idcircò Extrinsecus appellatur.

Quot sunt Loci Intrinseci?

R. Sexdecim: Definitio, Enumeratio partium, Notatio, Conjugata, Genus, Forma, Similitudo, Dissimilitudo, Contraria, Adjuncta, Antecedentia, Consequentia, Repugnantia, Causa, Effecta, Comparatio.

Quot sunt Loci Extrinseci?

R. Sex: Præjudicia, Fama, Tabula, Jusjurandum, Tormenta, Testes.

De Locis Intrinsecis.

Definitio.

Quid est Definitio?

R. Est Oratoria, quæ naturam illius rei, quæ definitur, explicat.

Quot partes habet Definitio?

R. Duas: Genus & Differentiam. Genus est aliquid commune non tantùm ipsi rei quæ definitur; sed etiam multis aliis. Differentia est aliquid particulare, quod soli rei quæ definitur, convenit.

Da Exemplum.

R. Rhetorica est Ars benè dicendi. *Rhetorica* res est quæ definitur. *Ars*, est illius Definitionis Genus; quia non tantùm Rhetoricæ; sed etiam Grammaticæ, Picturæ, aliisq; artibus convenit. *Benè dicendi*, est Differentia, quia *benè dicere* proprium est solius Rhetoricæ.



PROGYMNASMA IV.

De
LOCO COMMUNI, DESTRUCTIONE ET CONFIRMATIONE.

RELIQUA Aphthonii Progymnasmata in unum confero; tum quòd minoris sint momenti & raro in usu; tum quod ex priore tractatione facilè cuivis erit intelligere qua ratione, quæ supersunt, tractanda sint, modò Præcepta teneat ab eodem Auctore tradita, quæ idcircò hic explicanda esse duxi, quam clarissimè potero.

De Loco Communi.

QUid est Locus Communis?

R. Est Oratio laudes alicujus aut vituperia exaggerans.

Cur dicitur *Communis*?

R. quòd communiter iis omnibus attribui possit, qui ejusdem laudis ac vitii participes cum illo sunt, quem laudamus, aut vituperamus: v. g. si Dionysium insector ob tyrannidem; quæcunque dicam de tyrannide, ea in omnes pariter Tyrannos cadunt.

quodnam est Exordium Loci Communis?

R. Nullum habet Exordium, nisi exercitationis causâ; propterea quòd Locus Communis nihil aliud est, quàm gravis quædam Amplificatio, ad Perorationem propriè pertinens, qui-

Quibus capitibus tractatur?

R. Sex istis:

Contrario,	*Sententiâ*,
Expositione,	*Digressione conjecturali*,
Comparatione,	*Exclusione misericordiæ*.

Et illa Capita sex aliis sequentibus terminantur:

Legitimo,	*Facili*,
Justo,	*Honesto*,
Utili,	*Eventuro*.

Ut hæc intelligas, adverte oculos in Exemplum quod sequitur, tametsi rudi penicillo delineatum; neque enim absolutiori post tot alia opus esse arbitror.

Exemplum Loci Communis.

Seditiosus.

Fingendum est te seditiosum hominem accusare & exagitare apud Judices, præmissoque brevi prooemio, cujuscunque modi libuerit; quasi multa alia jam dixeris ne illius facinoribus, & perorandi tempus sit, Seditionis crimen sic exaggerabis:

A Contrario; ostendendo, quale quantumque sit bonum pax & concordia, quæ anteà vigebat, & vigeret etiam nunc magno omnium bono, nisi nefarius hic suis seditionibus illam violâsset, &c.

Ab Expositione. Expones (non ad docendum, rem enim jam notam esse ponimus; sed ad concitandam majorem in reum invidiam) quo pacto novis rebus studens sceleratus, seditionum procellas excitarit in *Republica* suis coitio-

coitionibus ac dolis multos primùm pellexerit in fraudem, & ad suas partes pertraxerit, &c.

A Comparatione. Comparabis hoc ejus crimen cum aliis: v. g. cùm aliorum libidine, aut temulentia; ostendesque graviorem ab illo, quàm ab aliis omnibus perniciem inferri Reipublicæ.

A Sententia, hoc est, *à consilio & mente*; quo scilicet consilio, qua mente turbas moverit; quid spreverit, quid animo intenderit: voluit videlicet, *inquies*, leges rescindere, jura pervertere, occupare summum locum, &c.

A Digressione conjecturali. Digrediendum erit & excutiendum in anteactam ejus vitam, & ex hoc uno crimine conjectura capienda de cæteris. Non nunc primùm, *inquies*, cœpit moliri exitium patriæ; ab ipsa infantia sese exercuit in omni flagitiorum genere, &c.

Ab Exclusione misericordiæ. Tantum illud dices esse crimen, ut sine majori crimine condonari nequeat: nullum veniæ relictum esse locum; misericordiam ei non esse tribuendam, &c.

Quæ postquam dixeris, impellendi erunt Judices ad sententiam adversus illum ferendam, ostendendo his capitibus.

A Legitimo; Nihil esse legibus magis congruum, quàm ut, &c.

A Justo; Justum id esse, ut pœnam ipse ferat, quam omnibus impositurus fuisset, &c.

Ab Utili; Id saluti Reipublicæ conducere, &c.

A facili; Nullo negotio ejus furorem posse comprimi, &c.

Ab

Ab honesto; Nihil rationi convenientius esse, quam debitas exigere ab illo pœnas, &c.

Ab Eventuro; Ex ejus supplicio eventura civibus bona omnia, Rempub. revocatam iri in statum felicitatis pristinæ, &c.

Hic observandum, quod de seditioso diximus, idem de quovis alio facinoroso homine intelligendum esse; & quæ contra vitium, eadem illa capita valere omnia, si qua virtus esset ornanda; singula in contrarium sensum accipiendo. Verùm locus hic Communis adhiberi tantùm solet ad insectationem vitiorum.

De Destructione & Confirmatione.

Quid est Destructio?

R. Destructio, seu subversio est propositæ alicujus rei Reprehensio.

Quænam destruenda seu subvertenda sunt?

R. Ea, quæ neque prorsus manifesta, neque incredibilia sunt; sed quæ dubia & obscura.

Qua arte fit ista Destructio?

R. Primò Reprehendendi, qui illius rei, quam infirmare ac labefactare volumus, sunt auctores; dicendo, illos nullius esse nominis, vel fidei parum probatæ, vel in illa re, qua de agitur, non benè versatos, &c. Deinde ipsamet res subruenda his capitibus, quasi totidem arietibus.

Obscuro,	*Difficili,*	*Indecoro,*
Incredibili,	*Repugnante,*	*Inutili.*

Hoc est, probandum erit rem illam. 1. *Obscuro,* & incerto capite manâsse in vulgus. 2. *Incredi-*

credibile id esse, fidemque superare omnem, &c. 3. *Difficile* admodum esse potuisse fieri. 4. *Repugnare* illud naturæ. 5. *Decoro* pariter ac ratione. 6. *Inutile* denique futurum esse, &c.

CONFIRMATIO, seu asseveratio quid est?

R. Est propositæ rei Comprobatio: sed illa res, ut de Destructione modò diximus, nec incredibilis, nec penitus perspecta esse debet.

Quâ ratione, & quibus capitibus confirmanda res est;

R. Eâdem ratione, totidemque capitibus, quibus destruenda; sed contrariis, omninòque oppositis videlicet: à


Manifesto, *Facili*, *Decente*,
Probabili, *Convenienti*, *Utili*.

Vide Baron. Ann. ad annum Christ. 119.

Exemplum utriusque præclarum esse posset vetus illa quorundam opinio, seu potius fabula de Trajani Imperatoris anima, sancti Gregorii Magni precibus ab inferorum pœnis liberata, & in cœlum recepta.



PARS



PARS II.
RHETORICÆ PRÆCEPTA.
PROGYMNASMA I.
De RHETORICÆ ELEMENTIS.
Ejus Natura.

Quid est *Rhetorica?*

R. Est Ars bene dicendi; sic appellata à verbo ῥέω, *dico, loquor*, ex quo ῥῆμα, *vocabulum*; & ῥητὸν *dictum, sententia*, unde ῥήτωρ *Rhetor, Orator, Causidicus*: & ῥητορικὴ, *Rhetorica*, seu *Ars Oratoria*.

Quid est *Ars?*

R. Facultas est, quæ certis quibusdam præceptis continetur in unum finem spectantibus, quæ si optimè cognita, penitusque perspecta fuerint, nunquam fallunt.

Undenam orta est Ars?

R. Ex animadversione naturæ, seu Eloquentiæ naturalis: Cùm enim alii temerè, alii callidius

dius dicant; potuerunt notari ea, quæ meliora sunt, ex quibus Ars fieri potuit.

Quid est *Benè dicere?*

R. Est optimis sententiis, verbisque lectissimis dicere, quod qui facit, implet Oratoris officium.

Quod est officium Oratoris?

R. Est appositè dicere ad persuadendum.

Quid est finis Oratoris?

R. Est reipsâ persuadere dictione.

Qui non re ipsa persuadet dicendo, potestne perfectus Orator dici?

R. Etiam, modò ea proferat, quæ ad persuadendum idonea sunt.

Etenim mihi non videtur ille perfectus artifex, qui finem suum non assequatur; atqui Orator ille, qui non persuadet dictione, finem non assequitur suum: qui igitur perfectus esse potest, etsi appositè dicat ad persuadendum?

In aliis artibus verum id quidem est, quod dicis; at in arte Rhetorica non item.

Affer discrimen.

R. Discrimen est, quod finis aliarum artium sit opus quodpiam externum ab artificis voluntate pendens. Sic pendet à sola voluntate pictoris, ut imago fiat; & ab architecti arbitrio, ut domus extruatur; & ita de aliis. At verò quia finis Oratoris non pendet solum à voluntate dicentis, sed etiam à voluntate audientis, qui persuadendus est; nullâ unquam ratione persuaderi ab illo iste poterit, nisi velit: quia naturâ liber est, & nemo præter Deum (qui propterea solus Orator dici potest usquequaque perfectissimus) ipsius libertati vim inferre valet.

De

De Rhetorica Materia.

Quibus de rebus ex officio tenetur Orator dicere?

R. Illis de rebus, quæ sunt materia suæ artis.

Quæ est Materia cujusque Artis?

R. Ea est, circa quam versatur Ars: v. g. Medicinæ Materia, sunt *morbi*. Picturæ Materia, sunt *colores*, sic de aliis, quia circa ea versantur & occupantur artes illæ.

Materia verò Rhetoricæ artis quænam est?

R. Res illæ sunt, quæ in disputationem cadere possunt.

Quæ sunt illæ res?

R. Omnia prorsus quæ in mundo sunt: quia nihil omnino est, de quo disputare Orator non possit.

Debet igitur scire Orator naturam & virtutem, qualitatesque rerum omnium, ut de singulis disserere queat.

R. Ita est; indeque colliges Artem Oratoriam omnium esse præstantissimam; & qui in ea excellant, perpaucos esse: callere enim debet Orator cæteras artes liberales ac scientias, ut satisfacere valeat quæstionibus, quæ de illarum unaquaque fieri possunt.

De Quæstionibus ad Rhetoricam Materiam pertinentibus.

Quotuplex Quæstio fieri potest de unaquaque re?

R. Duplex. Alia est infinita, quæ *Thesis*, Græcè, & *Propositum* Latinè dicitur; alia finita, quæ

quæ Græcè *Hypothesis*, Latinè *Causa & Controversia* nominatur.

Quid vocas Quæstionem infinitam, seu Thesin?

R. Quæ nullis finita & adstricta est Adjunctis, seu circumstantiis; quales sunt, persona, locus, tempus, &c.

Quid vocas Quæstionem finitam, seu Hypothesin?

R. Quæ aliquâ circumstantiâ definitur ac terminatur.

Da utriusque Exemplum.

R. Si quæratur: *Sitne addiscenda Rhetorica ars*. Quæstio illa infinita est, quia generatim id quæritur, nullâ mentione factâ personæ, vel loci, vel temporis. At si quæram: *Sitne fœminis addiscenda Rhetorica*. Vel: *Sitne addiscenda ante, an post Philosophiam*. Vel: *Sitne addiscenda in Academiis, an in privatis ædibus?* Tales quæstiones finitæ sunt, quia Adjuncta hujusmodi infinitam illam & generalem quæstionem circumscribunt, & Thesin revocant ad Hypothesin: hoc est, quod generale est contrahunt ad id, quod est particulare.

Quomodo Hypothesis revocatur ad Thesin?

R. Sumendo id quod generale est, v. g. Si laudaturus diligentiam, excurram in laudem virtutis, quæ diligentiæ genus est: Si vituperaturus ebrietatem, de vitii fœditate disputem.

Quæstiones omnes suntne ejusdem rationis?

R. Nequaquam. Alia enim dicitur *Actionis*, cujus finis est *agere*. Ut: *Sitne bellum hæreticis indicendum*. Alia *Cognitionis*, cujus finis est, scire

ſcire tantum & cognoſcere aliquid. Ut: *Cujusnam menſis die Luna deficiat hoc anno.* Hoc enim cum inveſtigat Rhetor ſeu Orator, id ſolum agit, ut hoc intelligat.

Cur dicis *Rhetor*, ſeu *Orator*? duo illa idemne ſunt?

R. Paſſim pro eodem uſurpantur, tametſi differant.

In quo differunt?

R. In eo, quòd *Rhetor* dicatur ille, qui artem oratoriam docet; *Orator* verò ſit, qui in judiciis & concionibus cauſas agit. *Declamator* verò, qui aut docendi alios, aut exercendi ſe gratiâ fictam cauſam agit, ut in veris poſtea cauſis ſit exercitatior. Unde cauſæ hujusmodi fictæ ac ludicræ vulgò *Declamationes* dicuntur.

De triplici Cauſarum genere?

Quot ſunt Cauſarum Genera, in quibus verſari Orator poteſt?

R. Tria hæc: Judiciale, Deliberativum, & Exornativum ſeu Demonſtrativum, Græcè Epidicticum.

In quas partes dividitur *Judiciale* Genus?

R. In Duas: Accuſationem ſcilicet, & Defenſionem.

Quas habet partes *Deliberativum*?

R. Duas: Suaſionem, & Diſſuaſionem.

Quæ ſunt partes *Demonſtrativi* Generis?

R. Duæ: Laus & Vituperatio.

Quale tempus reſpicit Judiciale Genus?

R. Præteritum tempus: nemo enim accuſari vel defendi poteſt, niſi ob rem, quæ jam geſta eſt.

Quale tempus ſpectat Deliberativum?

R. Futurum: neque enim deliberamus niſi de futuris.

Quale vero Demonſtrativum?

R. Non præſens modò, ſed præteritum: Laudari ſiquidem aut vituperari quis poteſt vel ob ea quæ geſſit jam, vel quæ gerit.

Quem ob finem accuſatur aliquis?

R. Ut puniatur.

Quam ob cauſam defenditur?

R. Ut nullam ſubeat pœnam.

Quem finem ſpectat, qui ſuadet?

R. Utilitatem aliquam ab ea re, quam ſuadet emanaturam.

Quid intendit animo, qui diſſuadet?

R. Ut detrimentum evitetur.

Quare vituperatio fit?

R. Ut vitii turpitudo adhorreatur.

Quare laudatio inſtituitur?

R. Ut virtutis honeſtas ametur.

De partibus Eloquentiæ?

Quæ ſunt Eloquentiæ Partes (ſeu quod idem eſt.) Quot ſunt munera Oratori propria?

R. Quinque ſunt: Inventio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio.

Quid eſt Inventio?

R. Eſt excogitatio rerum verarum, aut veriſimilium, quibus probabile reddatur quod probare intendit Orator.

Quid eſt Diſpoſitio?

R. Eſt rerum inventarum in ordinem diſtributio.

Quid eſt Elocutio?

R. Eſt

R. Est idoneorum verborum ad res inventas accommodatio.

Quid est Memoria?

R. Est rerum inventarum ac verborum firma recordatio.

Quid est pronunciatio?

R. Est corporis & vocis ea moderatio, quam res inventæ ac verba requirunt.

Quibus rebus comparantur quinque illæ Partes Eloquentiæ?

R. Quatuor h[illegible]ebus: Naturâ, Arte, Exercitatione, Imitation[illegible]

Quid exigit Natura ad Eloquentiam?

R. Multa; tam ex parte animi, quàm corporis.

Quid requirit ex parte animi?

R. Celeres motus ad inveniendum, exornandum & recordandum aptissimos.

Quid ex parte corporis postulat?

R. Latera firma, canoram vocem, solutam linguam, oris & totius corporis conformationem.

Quid Ars ad Eloquentiam confert?

R. Perficit ea, quæ sunt à Natura.

Quomodo perficit?

Primo: dum monet, quò omnia sunt referenda, quæ ad finem nobis propositum spectant. 2. Dum indicat an recta sint, quæ habentur à Natura & Studio. 3. Efficietne fortuitò; dicamus, & ut semper parati simus.

Quid efficit Exercitatio?

R. Ea perficit & conservat, quæ Ars expolivit in Natura.

Quis Exercitationis modus est?

R. Iste. Primò sumi debet causa tractanda

ſimilis earum, quæ ad Oratorem deferuntur. 2. Non dicatur ex tempore, ſed ſumatur ſpatium ad cogitandum, ut accuratius dicatur.

Quæ imitationis utilitas & ratio eſt?

R. Utilitas eſt maxima: quia ſine ea nemo ſatis proficere poteſt. Ratio verò imitandi hæc eſt: Proponatur aliquis ſummus in arte imitandus, quem tota mente intueamur. Deinde quæ in eo ſumma erunt, diligenter conemur exprimere.

De Inventione, ſ[illegible]e Locis Oratoriis.

Quid eſt locus Oratorius?

R. Argumentorum ſedes, ſeu nota, qua indicatur quid in rebus perveſtigare debeat Orator.

Quid eſt Argumentum?

R. Eſt probabile inventum ad faciendam fidem.

Quid eſt Fides?

R. Firma animi iis quæ dicuntur, credentis opinio.

Quid eſt Opinio?

R. Eſt imbecilla aſſenſio. Tam Fides autem quam Opinio Argumentatione gignuntur.

Quid eſt Argumentatio?

R. Eſt explicatio & dilatatio Argumenti.

Quotuplicis generis Argumenta ſunt?

R. Duplicis: Alia *Inſita* ſeu *Intrinſeca*; alia *Remota*, ſeu *Extrinſeca*, quæ etiam *Aſſumpta* dicuntur & *ſine arte*: non quod ſine arte tractentur; ſed quod ea non parit Oratoris ars, & quod foris afferantur.

Quæ vocas Argumenta Intrinſeca?

R. Ea,

R. Ea, quæ petuntur à loco, qui est in re, qui propterea intrinsecus dicitur.

Quæ sunt Extrinseca, seu Remota Argumenta?

Ea, quæ petuntur à Loco, qui est extra rem; qui idcircò Extrinsecus appellatur.

Quot sunt Loci Intrinseci?

R. Sexdecim: Definitio, Enumeratio partium, Notatio, Conjugata, Genus, Forma, Similitudo, Dissimilitudo, Contraria, Adjuncta, Antecedentia, Consequentia, Repugnantia, Causa, Effecta, Comparatio.

Quot sunt Loci Extrinseci?

R. Sex: Præjudicia, Fama, Tabula, Jusjurandum, Tormenta, Testes.

De Locis Intrinsecis.

Definitio.

Quid est Definitio?

R. Est Oratoria, quæ naturam illius rei, quæ definitur, explicat.

Quot partes habet Definitio?

R. Duas: Genus & Differentiam. Genus est aliquid commune non tantùm ipsi rei quæ definitur; sed etiam multis aliis. Differentia est aliquid particulare, quod soli rei quæ definitur, convenit.

Da Exemplum.

R. Rhetorica est Ars benè dicendi. *Rhetorica* res est quæ definitur. *Ars*, est illius Definitionis Genus; quia non tantùm Rhetoricæ; sed etiam Grammaticæ, Picturæ, aliisq; artibus convenit. *Benè dicendi*, est Differentia, quia *benè dicere* proprium est solius Rhetoricæ.

Proba à Definitione Rhetoricam esse artium præclarissimam.

R. *Ars benè dicendi est artium præstantissima; Atqui Rhetorica est Ars benè dicendi: Est igitur omnium præstantissima.*

Enumeratio Partium.

Quid est Enumeratio Partium?

R. Est Oratio, quâ aliquod genus, seu totum in suas partes distribuitur.

Proba ab hoc Loco, regnum Galliæ frui summâ pace.

R. *Nulla hujus Regni provincia est, nulla civitas, nullum oppidum & pagus est, ubi non tranquillissimâ pace Galli potiantur; igitur Regnum universum placidissimâ pace utitur.*

Notatio & Conjugata.

Quid est Notatio?

R. Notatio, seu Etymologia Locus est, qui verborum originem & significationem inquirit.

Proba ex hoc Loco, Ciceronem verum fuisse Consulem.

R. *Ille verus est Consul, qui saluti patriæ consulit; Atqui Cicero consuluit saluti patriæ: igitur verus fuit Consul.*

Quid sunt Conjugata?

R. Ea, quæ ab uno orta vocabulo variè commutentur. Ut, *Pudicitia* à qua *pudor*, *pudicus*, *pudicè* oriuntur.

Fac argumentum à Conjugatis.

R. *Christi vitam non imitaris: non igitur es Christianus.* Cæterum hi duo Loci sunt omnium ferè sterilissimi.

Genus

Genus, & Forma.

Quid est Genus?

R. Est quoddam Totum plures continens partes, communione quadam sibi similes, specie tamen differentes. Ut: *Virtus*, Genus est, quia complectitur Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem, Temperantiam, quæ sunt ejus partes inter se quidem similes, quod earum quælibet virtus sit; differentes tamen, quia earum natura divisa est.

Fac Argumentum.

R. *Virtutem colit; ergo & temperantiam. Virtutis est inimicus; ergò non est Pudicus. Amat Gallos; ergo & Lugdunenses.*

Quid est Forma, seu Species?

R. Est pars Generis subjecta. Argumentum ita ducitur: *Inest in hoc adolescente castitas; ergò & virtus*; ita de aliis.

Similitudo & Dissimilitudo.

Quid est Similitudo?

R. Est Oratio, quæ traducit rem quampiam ad aliquid ex re dispari simile.

Da Exemplum & Argumentum.

R. 1. *Ut quidam morbo aliquo affecti suavitatem cibi non sentiunt, sic facinorosi homines veræ laudis gustum non habent.* Cicer. 2. Phil. 115.

2. *Ut Pulchritudo corporis apta compositione membrorum movet oculos, & delectat hoc ipso quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt; sic Decorum quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuscum vivitur, ordine, & constantiâ, & moderatione dictorum omnium atque factorum.* Cic. de Offic. 1.

Strad. de Bell. Belg. 3. *Beneficiis aliqui utuntur, ceu floribus, tamdiu gratis quamdiu recentibus.*

Quid est dissimilitudo?

R. Est, quæ ex re aliqua dissimile colligit.

Da Exemplum & Argumentum.

R. *Tot incommoda scelerati perferunt, ut malè agant; Tu nihil tolerare vis, ut sanctè vivas? Illi multa sæpè patiuntur, æternum ut sint miseri; Tu æternum ut sis beatus, nihil patiere.*

Contraria, seu Opposita.

Quot sunt Contrariorum, seu Oppositorum genera?

R. Quatuor, 1. Adversa, quæ inter se maximè distant, ut *Virtus* & *Vitium*. 2. Privantia, quæ sunt, Habitus; & ejus Privatio; ut *Vita* & *Mors*. 3. Relata, quæ inter se conferuntur; ut *Dux* & *Miles*. 4. Negantia, quorum unum negat aliud, ut *Pius* & *Impius*.

Quomodo Argumenta fiunt à singulis.

R. Hoc modo. 1. Ab Adversis. *Vitium est fœdissimum; igitur Virtus est pulcherrima.* 2. A Privantibus: *Mortem timet; ergo amat vitam.* 3. A Relatis: *Dux addit pericula; igitur & Miles adire debet.* 4. A Negantibus: *Modestus est, cur ergò illum dicis immodestum.*

Adjuncta, seu Res Circumstantes.

Quid sunt Adjuncta?

R. Ea, quæ cum re conjuncta sunt.

Quot sunt Adjunctorum genera?

R. Tria. 1. Adjuncta rei gestæ, Locus, Tempus, Vestitus, Comitatus. 2. Adjuncta animi, Vitia, & virtutes. 3. Adjuncta corporis, Pulchritudo, Deformitas, Robur, &c.

Fac

Fac Argumentum ab Adjunctis.

R. *Vesperi visus est cum gladio in loco, ubi cædes facta est, ergò cædis illius auctor est.* 2. *Est incredibili virtute præditus; non ergò fœdus violavit.* 3. *Formosus est puer; igitur amatur à multis.*

Antecedentia, Consequentia, Repugnantia.

Quid sunt Antecedentia?

R. Sunt ea, quæ necessariò cohærent cum consequentibus; in quo differunt ab Adjunctis, quæ cum illis non necessario conjuncta sunt.

Affer Argumentum.

R. *Ortus est Sol; ergò Dies est.* Sol enim necessario Diem antecedit.

Quid sunt Consequentia?

R. Ea, quæ rem necessariò consequuntur.

Cedo Argumentum.

R. *Cicatricem habet; ergò olim accepit plagam.* Cicatrix enim necessario consequitur plagam.

Quid sunt repugnantia?

R. Sunt ea, quæ nec certa lege, nec numero inter se diffident, in quo à Contrariis & Dissimilibus discernuntur.

Da Exemplum.

R. *Amat illum; igitur non ei nocuit, non illum læsit, conritiis non infestatus est:* Repugnat enim, ut qui amat aliquem, ei noceat, illum lædat, &c.

Effecta, Comparatio.

Quid est Causa?

R. Est, quæ sua vi efficit id, cujus est causa.

Ut, *Vulnus* est causa *Mortis*; quia vi suâ mortem parit. *Ignis* causa *ardoris*; quia vi suâ generat ardorem.

Quot sunt Causarum genera?

R. Quatuor: Finis, Efficiens, Forma, Materia.

Quid est Finis, seu Causa finalis?

R. Ea est, cujus gratiâ fit aliquid. Ut, Finis hominis est vita beata.

Fac Argumentum.

R. *Homo natus est ad contemplandum & intelligendum; non igitur ad pastum & voluptatem ortus est.*

Quid est Efficiens?

R. Est id, à quo aliquid est. Ut, *Sol* est causa *diei*, quia illum efficit toto cœlo luce diffusa.

Fac Argumentum?

R. *Senectus caret epulis; ergò & vinolentiâ.* Nam vinolentiam efficiunt pocula frequentia.

Quid est Forma?

R. Est ratio rei & nota, per quam res est id quod est, & à rebus aliis distinguitur. Ut, *Animus* est hominis *forma*, est enim causa cur homo sit, eumque à rebus aliis distinguit.

Duc ab illa Argumentum.

R. *Animus hominis est immortalis; debet igitur ad immortalitatem æternitatemq; beatæ vitæ aspirare.*

Quid est Materia?

R. Est, ex qua, & in qua res sunt: Ut, Marmor, statuæ. Corpus, hominis materia est.

Fac Argumentum.

R. *Corpus hominis mortale est; ab ejus igitur societate & contagione immortalis animus avocandus est.*

Effe-

Effecta, Comparatio.

Quid sunt Effecta?

R. Sunt ea, quæ orta sunt de causis. Ut: *Dies* est Effectus *Solis*.

Quot sunt Effectorum Genera?

R. Totidem, quot Causarum; singulis enim Causis sua respondent Effecta.

Sume ab Effectis Argumentum.

R. *Virtus parit laudem; igitur sequenda est. Voluptas infamiam gignit, igitur fugienda.*

Quid est Comparatio?

R. Est, cum duo vel plura in aliquo, quod sit eis commune, comparantur. Ut: *Illustriorem quandoque palmam meretur fuga, quam pugna.* *Rodolph. Agric. l. 2, c. 25.* Fuga & Pugna comparantur in *Palme*, quæ utrique aliquando communis est.

Quotuplex institui potest Comparatio?

R. Triplex, 1. A majori ad minus, 2. A minori ad majus, 3. A pari.

Quomodo ducitur Argumentum *à majori*?

R. Quando adhibetur in comparatione hæc particula, *multò minus*. Ut, *Si quinq; legiones hostilem exercitum vincere non potuerunt:* Multò minus, *duæ potuerunt:* Major quippe difficultas est hostem vinci à duabus, quam à quinque legionibus.

Quomodo Argumentum fit à *Minori*?

R. Quoties adjungitur hæc particula. *Multò magis*. *Verbera patienter tulit*, multò magis *verba & convitia perferet*. Minus enim est verba ferre, quam verbera.

Quomodo sumetur *à Pari*.

R. Cum hæc particula *Pariter* vel exprimitur

tur in comparatione, vel suppressa intelligitur. Ut: *Beati omnes laborum tolerantiâ æternam sibi gloriam pepererunt: iisdem nos* pariter *ad tantum honoris fastigium gradibus oportet conscendere.*

De Locis Extrinsecis.

Quid est *Præjudicium?*

R. Est id, quòd cum statutum fuerit affert judicaturis exemplum, quod sequantur.

Quomodo fit argumentum à *Præjudiciis?*

R. Si ostendat Orator, id quod contendit, fieri debere; vel quia in similibus causis, aut rebus ad eandem causam pertinentibus similia judicia jam lata sunt; vel quia illud ipsum judicium, quod ferri poscit, jam est ab iisdem, aut ab aliis Judiciis pronunciatum.

Quomodo fit argumentum à *Fama?*

R. Ostendendo, id quod in quæstionem vocatur, ex communi hominum sermone verum esse.

Quomodo à *Tabulis?*

R. Si demonstretur, id de quo agitur, in publicas Tabulas relatum esse, adeòque pro indubitatio haberi.

Quomodo à *Jurejurando?*

R. Si ostenderimus, illud idem cujuspiam Juramento esse confirmatum.

Quomodo à *Tormentis?*

R. Demonstrando, vi Tormentorum expressam esse confessionem, vel à reo, vel à consciis illius rei quæ probanda est.

Quomodo à *Testibus?*

R. Si idipsum cujuspiam Testimonio confirmari docuerimus.

De Dispositione, seu de Partibus Orationis.

Ac Primum.

Exordia.

Quot sunt partes Orationis?

R. Quatuor: Exordium, Narratio, Confirmatio, & Peroratio, Additur aliquando quinta pars, Confutatio; sed hæc ad Confirmationem spectat, & cum illa semper conjuncta est.

Quid est Exordium?

R. Est pars Orationis animum auditoris idoneè comparans ad reliquam dictionem.

Quomodo comparatur animus auditoris?

R. Tribus modis: si nimirum reddatur benevolus, attentus, & docilis.

Quomodo reddi poterit *Benevolus*?

R. Reddetur benevolus. 1. Si virtutes ipsius commemorentur. 2. Si Orator de se demissè ac modestè loquatur. 3. Si Adversariis conflemus invidiam.

Quomodo reddetur *Attentus*?

R. Si nos esse dicturos promittemus de rebus magnis, necessariis & utilibus.

Quomodo fiet *Docilis*?

R. Si qua de re sumus dicturi, ostendemus.

Qualia esse debent Exordia?

R. 1. Accurata & acuta. 2. Instructa sententiis, & apta verbis. 3. Sint ipsi rei, de qua agitur, convenientia. 4. Ex iis causæ Locis peti debent, quæ valeant ad leniter alliciendum & incitandum

Quæ sunt vitiosa Exordia?

R. Ista, 1. Vulgare, quod in plures causas potest accommodari. 2. Commune, quod in contrariam partem causæ potest convenire. 3. Commutabile, quod potest ab Adversario, leviter mutatum, ex contraria parte duci. 4. Longum, quod pluribus verbis, ultrà quàm satis est, producitur. 5. Separatum, quod tanquam membrum ipsi causæ non est connexum. 6. Translatum, quod aliud conficit, quàm Causæ genus postulat. 7. Contra præcepta, in quo Exordiorum præcepta non servantur.

De Narratione dicetur suo loco fusiùs. Progymnasmate II.

De Confirmatione.

Quid est Confirmatio?

R. Est pars Orationis, in qua firmamenta causæ afferuntur.

Quot habet partes?

R. Duas. Prima est, quæ propriè *Confirmatio* dicitur, in qua ea, quæ pro nobis sunt, firmamus ac stabilimus. Secunda est quæ *Confutatio*, seu *Reprehensio* vocatur, in qua ea, quæ contra nos sunt, refellimus & confutamus: utrumq; autem commodè fieri potest, cùm causæ Institutio, seu Status cognoscitur.

Quid est Status.

R. Est quæstio, quæ ex prima causarum conflictione nascitur.

Da Exemplum.

R. Si Accusator dicat: *Milo insidias fecit;* Defensor contrà: *Milo insidias non fecit.* Ex illa conflictione oritur hæc quæstio: *An Milo insidias*

sidias fecerit. Atque hæc Quæstio dicitur *Status*: quia in ea tota causa *stat* & consistit: dicitur etiam *Judicatio*, quia in judicium venit.

Quod discrimen est inter Statum & Judicationem?

R. Quod *Status* si quæstio illa jam dicta, unde spectata, sine ratione & firmamento. *Judicatio* vero sit eadem quæstio, quando cum ratione & firmamento conjuncta est; quia propriè de Statu judicamus, cùm ejus rationem & firmamentum audivimus.

Quid est *Ratio?*

R. Quæ affertur à Defensore, ad depellendum crimen, quod in reum confertur.

Quid est *Firmamentum?*

R. Quod affertur ab Accusatore ad probandum crimen.

Quotuplex est Status?

R. Triplex: Primus an res sit, Ut, *An Catilina conjuraverit.* 2. Quid sit res; Ut, *An Cæsar tyrannus fuerit, vel Rex.* Qualis sit; Ut, *An Clodii cædes justa & honesta fuerit.*

Quomodo pertractandus est Status?

R. Per Argumenta ex Locis petita, quæ ita in Oratione collocanda sunt, ut firmissima in principio, mediocria in medio, excellentia in extremo loco ponantur.

Per quid Argumenta in Oratione collocantur?

R. Per Argumentationes.

De Argumentatione.

Quid est Argumentatio?

R. Est fusior Argumenti, artificiosaque explicatio:

Quot

Quot sunt Argumentationis species?

R. Quatuor. Ratiocinatio, Inductio, Enthymema, Exemplum; quibus addi possunt: Epicherema, Sorites, & Dilemma.

Unde sumitur quadruplex hujusmodi Argumentatio?

R. Ex Locis Rhetoricis, sumendo res certas aut probabiles, quæ valeant ad conficiendam aliquam Argumentationem.

Quænam res habentur pro Certis?

R. 1. Quæ corporis sensibus percipiuntur. 2. Quæ communi omnium opinione comprobantur. 3. Quæ legibus cautæ, & moribus receptæ sunt. 4. Quæ jam probatæ sunt, & ab adversariis concessæ.

Quænam res habentur Probabiles?

R. Eæ, quæ ferè semper accidunt; Ut, *Liberos à parentibus amari*: & quæ speciem aliquam veritatis habent.

De Argumentationis Speciebus.

Ratiocinatio.

Quid est Ratiocinatio?

R. Est Argumentatio perfectissima, suis omnibus constans partibus, certoque inter se ordine connexis, *Syllogismus* alio nomine vocatur.

Quænam sunt ejus partes?

R. Tres præcipuè: Propositio, Assumptio, Complexio.

Da Exemplum.

R. *Omne vitium est fugiendum.* Propositio.
Atqui Pigritia est vitium. Assumptio.

Igitur

Igitur Pigritia est fugienda. Complexio.
Quod si Propositioni subjiciatur sua probatio, & sua item Assumptioni adjungatur Confirmatio, erunt quinque partes, &c. & ex Tripartita fiet Ratiocinatio Quinque partita.

Da exemplum.

R. *Omne vitium est fugiendum.* Propositio.
Quia turpe & perniciosum est: Propositionis. Probatio.
Sed Pigritia vitium est. Assumptio.
Quia rationi adversatur, & innumera damna creat. Assumptionis. Probatio.
Igitur Pigritia fugienda est. Complexio.

Estne semper servandus ordo ille Propositionum;

R. Non; sed eum ad vitandam satietatem, variis modis mutare oportet: modo ab Assumptione, modo à Complexione ducendo initium.

Enthymema.

Quid est Enthymema?

R. Est pars Ratiocinationis, seu Ratiocinatio imperfecta.

Quomodo fit?

R. Tollendo unam ex primis Propositionibus; nimirum, vel Propositionem, vel Assumptionem.

Da Exemplum.

R. Ecce *Pigritia est vitium.*
Igitur fugienda est.

Vel, hoc modo:
Omne vitium fugiendum est:
Igitur Pigritia fugienda est:

Indu-

Inductio.

Quid est Genus?

R. Est Oratio, quæ ex multis rebus non dubiis captat assensionem Auditorum. *Vel*, Est Argumentatio, quæ ex pluribus collocationibus pervenit, quo vult.

Quot modis fit?

R. Duobus. 1. Enumeratione omnium partium, sub aliquo genere contentarum.

Da Exemplum.

R. *Prudentia laudanda est, Justitia laudanda est, itemq; Fortitudo & Temperantia: Ergo omnis virtus laudanda est.*

Quo alio fit modo.

R. Multis comparationibus per varias interrogationes & responsiones.

Da Exemplum.

R. En; *Quis optimus arborum fructus, nisi qui suavissimus? Quod astrorum primum, nisi quod clarissimum? Quis equus maximè insignis, nisi qui velocissimus? Ita hominum generosissimus erit, non qui generis claritate, sed qui virtute maximè præstat.*

Quid in Inductione hac observandum?

R. Duo diligenter cavenda sunt. 1. Ut quæ sumuntur, certissima sint. 2. Ut id, cujus confirmandi causâ fit Inductio, sit iis quæ sumuntur, simile.

Exemplum.

Quid est Exemplum?

R. Est Inductio Rhetorica. *Vel*, Est Inductio imperfecta, in qua ab uno simili argumentamur ad aliud.

Da

Da Exemplum.

R. Do: *Horatius non fuit condemnatus, quod sororem necaverit: Ergò nec Milo condemnandus, quod hominem occiderit.*

Quomodo differt à tribus aliis Argumentationum speciebus?

R. Differt à Ratiocinatione & Enthymemate: quia in eis semel aliquid universale sumitur, aut concluditur; in Exemplo verò aliquid particulare. Differt etiam ab Inductione: quia Inductio à pluribus similibus; Exemplum autem ab uno tantùm simili procedit ad aliud.

Epicherema, Sorites, Dilemma.

Quid est Epicherema?

R. Est brevis Ratiocinatio, cujus omnes partes in unam conferuntur. Ut, *Sine causa servus dominum accuset?* Quæ Argumentatio, addens alias partes, quæ subintelliguntur, ad Ratiocinationem reducitur. Partes autem subintellectæ in exemplo allato istæ sunt: *Non debet servus sine causa dominum accusare; iste hominis hujus servus est: Ergo, &c.*

Quid est Sorites?

R. Est Argumentatio quædam generalis, multas particulares acervatim convolvens & amplectens. Unde Latinè dictus est, Acervalis. Ut: *Quod est bonum, est expetendum; quod expetendum, approbandum; quod appetendum, laudabile: Ergò quod est bonum, erit laudabile.*

Quid est Dilemma?

R. Est Ratiocinatio imperfecta, constans duabus partibus contrariis, quarum utramlibet

con-

concedat adversarius, reprehenditur. Ut: *Si implicabiles sunt iracundiæ summa est acerbitas; si autem exorabiles, summa lenitas.*

De Peroratione.

Quid est Peroratio?

R. Est Orationis postrema pars, in qua Orator id, quod totâ Oratione contendebat, majori vehementia evincere & obtinere nititur.

Quot præcipuas habet partes?

R. Duas: Amplificationem, & Enumerationem.

Quomodo benè fit Amplificatio in Peroratione?


R. Primo: si moveatur priùs ipse Orator, quàm alias moveat. 2. Si ea ritè observantur, quæ de Amplificatione infrà dicemus.

Quomodo fiet Enumeratio?

R. Si quæ fusè dicta sunt, eorum breviter repetitio fiat per capita, ne videatur altera Oratio.

Atque hæc de duabus prioribus Rhetoricæ partibus Inventione & Dispositione *dicta sufficiunt ad rudem Informationem Tyronum. Quæ pertinent ad tertiam partem, quæ est* Elocutio, *fusius explicabuntur deinceps. De duabus ultimis,* Memoria & Pronunciatione, *hoc unum habeo dicendum, quod non tam præcepta, quam usum & exercitationem desiderent.*

PRO-



PROGYMNASMA II.

DE PERIODO.

CAPUT I.

Naturæ Periodi.

Quid est Periodus? *Cicer. Orator. Ao. 4.*

R. Periodus Græcè, Latinè Circuitus, seu Ambitus & Comprehensio verborum, est Oratio in quodam quasi orbe inclusa procurrens, quoad insistat in singulis perfectis absolutisque sententiis. Vel, Periodus est Continuatio Verborum ac circumscriptio, in qua à primo membro sic suspensa fertur Oratio, ut in ipso tantum fine conquiescat.

Quæ sunt Partes Periodi?

R. Hæ duæ? Membrum, seu *Colon* Græcè; & Incisum, seu Cæsum, quod *Comma* Græci vocant.

Quid est Membrum?

R. Est pars Periodi perfectam quidem sententiam definiens, non ita tamen absolutum reddens sensum ut Auditor acquiescat; nec expectet subsequentia. Ut: *Si amico laboranti opem tulisset.*

Quid est Incisum?

R. Est pars Membri, imperfecta sensu. Ut, *In hac iniquitate rerum, in tanta perturbatione*

tione temporum. Duo incisa sunt nullum reddentia signum perfectum; quibus si tertium hoc Incisum addas: *nemo est,* Membrum efficies absolutum habens sensum. Cui membro si addas alterum istud: *qui'n ubivis, quàm ibi ubi est, esse malis;* Periodum habebis integram: quia sensus ita perfectus est, ut nihil præterea requiratur. Sed en tibi aliam Periodum non interruptam, ex duobus Membris compositam? singulis Membris tria Incisa complectentibus.

1. *Quæ soli ubertas, & affluens rerum omnium copia ad Capuam Pœnos emollit.* 2. *Eadem variis captos voluptatum illecebris, in Græcia Syriaque, Romanos infregit.*

Quid est Periodicè dicere?

R. Est Orationem ita Membris distinguere, certisque quibusdam spatiis definire, ut conversiones habeat absolutas, & verborum numerose cadentum concinnitate aures impleat audientium, animumque artificiosè sententiarum circumscriptione reficiat. Exemplo esse potest hæc mea responsio; nam Periodice tibi respondi. Contrà: Ille non Periodicè loquitur, qui sic negligit Orationem, ut dissoluta vagetur ac fluat, saltuatimque ritu locustarum feratur extra numerum. Talis est sermo vulgi pervagatus, nullisque adstrictus numeris.

Quid est Membratim dicere?

R. Est, Orationem proferre singulis velut hærentem Membris, donec plenius absoluto sensu subsistat. Exempli causa: *Hunc Principem natura finxit ad regnum; Virtus pietatem erudi-*

erudivit: Fortuna formavit ad solium; & Dignitas instruxit ad sceptrum.

Quid est Incisim dicere?

R. Est crebris Incisis Orationem distinguere. Ut si dicas: *Puerorum negotia non alia sunt quam nugari, garrire, ineptire, hac illac vagari, lusu ætatem terere, cibo potuq; infarcire ventrem, à qualicunq; distendere.* Item si virtutem humilitatis laudaturus hæc proferas:

Germana, ac verè Christiana humilitas modestiam amisit, latebras aucupatur, acquiescit in modicis, ambit despici, abjectione gloriatur, proculcatione triumphat.

Quæ sunt vitia Periodi?

R. Hæc præcipua: 1. Cum Periodus non satis est numerosa, & bellè fluens. 2. Cùm, ut serviatur numero, inculcantur verba inania & otiosa quæ sint quasi harmoniæ subsidia & complementa numerorum: Cum eodem sæpiùs modo artificioque Oratio circumfertur, ut si frequentius iisdem sententia pedibus clauditur.

Quæ sunt Virtutes Periodi?

R. Virtutibus erit perfecta suis Periodus, si vitiis careat suprà recensitis. Sed audi Tullium: *Neq; numerosa, inquit, esse debet periodus, ut Poëma; ne de industria factum appareat, neque extra numerum ut sermo vulgi.* *Cicer. Orat. 195.*

Quid Orationi confert Periodus?

R. Ut suaviùs cadat ad aures, molliusque fluat in animum.

Quare suavior est gratiorque Oratio periodica, quam dissoluta?

R. Ratio petitur ab ipsarum natura aurium;

rium : (quam rationem periodicè sic explico)
Ut enim nihil in horto magis oculos retinet, quam arbuscularum præclaro inter se ordine implicitarum confusa distinctio, quàm exactæ ad libellam ambulationes amœnissimæ, quam suaveolentium pulvillorum descriptiones flexuosæ, quam directi ad normam areolarum ordines, & collucentium ubique flosculorum ad viridantem regulam odorifera dispositio : ita nulla re magis aures nostræ, quam numerosa & ordinata dictione mulcentur.

CAPUT II.

Ars Periodi contexendæ.

QUomodò Periodus componenda est?
R. Ut respondeam tibi, ac satisfaciam; Observa prius, in Periodo spectari duo posse: *Numerum* scilicet, ac *Dilatationem*, de quibus seorsim agendum nunc est.

De Numero Periodi.

Lib. 3. c. 8. Quid est Numerus in Periodo?

R. Est Rythmus quidam, inquit Aristoteles, non exquisitus ille quidem, neque canorus, qualis est in poëmatis & canticis; sed ita dissimulatus, & latens, ut sentiatur tamen, & jucundo fine concludat.

In quo consistit ille Numerus?

R. In eo, ut verba omnia ita inter se apta implexaque sint, ut quendam quasi conceptum effi-

efficiant, datisque sibi velut manibus, Gratiarum in morem circumducant chorum. Vel, ut clariùs loquar: Numerus iste pendet à certa quadam syllabarum quantitate, & idonea vocum collocatione ac structura, commodaque verborum ac sententiarum dispositione, quæ cohærentem, leniterque fluentem reddat Orationem, ut neque claudicet, neque fluctuet; sed æquabiliter constanterque ingrediatur.

Quo pacto conciliabitur Orationi Numerus?

R. Primo: Si verborum commissuras & series, quod monui modò, ita cohæreat, ut nihil sit quod offendat aures. Secundo, si habeatur ratio pedum, quibus inchoanda, sed maximè quibus terminanda Periodus est. Finitur autem venustè Periodus gravioribus longioribusque verbis. Ut: a *Ejus cadaver infelicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti.* b *Quid dubitas, vitam supplicio ereptam fugæ solitudini mandare?* c *Miror te, Antoni, quorum vitam imitere, eorum exitum non perhorrescere.* d *Negat, Judicium hominum in magistratibus mandandis corrumpi voluptatibus oportere.*

a Cicero pro Milon. 34.
b In Catil.
c Phil. 2.
d Pro Mur. 74.

Iisdemne pedibus claudenda semper Periodus?

R. Nequaquam: Esset enim vitium non leve, ut suprà docui, paribus ubique spatiis, eodemque modo Periodum circumscribere. Verùm ad Numerum illum Orationi accersendum plus Exempla conferunt, quàm Præcepta; & aurium judicium potiùs adhibendum, quam consideratio mentis. Legendi proindè crebrò

& attentè scriptores illi, qui hac Orationis laude, præcelluêre: ex hac enim lectione id assequeris, ut numerum istum Periodicum sensim animo imbibas, sentiasque *Orationem tuam*, ut Tullii verbis utar, *illorum cantu quasi colorari*.

De Dilatatione Periodica.

Quid est dilatare?

R. Est, cùm aliquid pluribus verbis explicamus, quod paucioribus comprehendi poterat.

Qua ratione Periodicè dilatari aliquid potest?

R. Illud est in hoc argumento potissimum, quodque artis operam maximè requirit. Id verò ut quam potero brevissimè dilucideque doceam, adverte diligenter animum ad ea quæ sequuntur.

1. Omnis propositio, quæ in Periodum dilatanda est, vel continetur vocabulo simplici, ut *Studeo*, *Ægroto*, &c. (quæ partes quidem non habent distinctas, cùm unicâ exprimantur voce; facilè tamen distribui in partes possunt, quòd multa significent) vel distinctis constat vocibus, duabus nimirum, ut cùm dico: *Indocti contemnuntur*; aut tribus, ut in hoc Exemplo? *Deus remunerabitur virtutem*; aut pluribus, ut si dicam: *Virtutis cultores non amicis tantùm, sed etiam inimicis benefaciunt.*

2. Id ubi adverteris, per partes singulas cujusque propositionis dilatabis, illas explicando vel per Synonyma, id est, per varias locutiones & Effecta, aliosve Locos Rhetoricos, ut suo loco fusius edisseremus, cùm de Amplificatione tractabimus. Nunc verò satis fuerit paucis Exem-

Exemplis, quæ præcepimus, subjicere sub aspectum.

Sit ergo nobis facienda Periodus ex hac unica voce Studeo: *Verbum hoc etsi solitarium, Propositionis vicem obtinere potest, quia licet partes non habeat; Adjuncta tamen illius sunt loco partium. Quæ adjuncta? Hæc nimirum. 1. Persona, quæ studet. 2. Finis, ob quem studet. 3. Modus, seu Ratio studendi. 4. Materia studii; seu Libri quibus studet. 5. Tempus studii. Locus potest addi, in quo studetur, sed nihil hic opus est. Ac jam ab Adjunctis illis dilatemus unâ Periodo adscriptum verbum.*

STUDEO.

(*Persona*) Tametsi haud inutili operâ multorum spatio annorum clarissimas Europæ Academias celebraverim, & in optimarum artium cognitione progressus fecerim non pœnitendos; (*Finis*) majoris tamen intelligentiæ consequendæ gratiâ, uberiorisque percipiendi ex doctrina fructus, (*Modus*) tam assiduo corporis labore, eâ contentione mentis ac meditatione, (*Materia*) libros omnes, qui venire possunt in manus meas, quantumvis spissos captuque difficiles, sic evolvo, ita legendo contero, (*Tempus*) ut illud etiam tempus, quod animi relaxationi dari solet, reficiendisque viribus necessario tribuendum est, in studio literarum totum sæpè ponam atque consumam.

Fiat jam ex hac duplici voce : Indocti contemnuntur, *Periodus, utramque dilatando & explicando per Synonyma, primo quid sit,* Indoctum esse; *deinde quid* Contemni;

quæ postquam variis locutionibus expressero, Periodum texam, primum quidem simpliciter & affirmando, hoc modo:

Indocti contemnuntur.

(*Indocti*) Qui omnium disciplinarum liberalium imperiti, omnisque eruditionis expertes in summa rerum præclarissimarum ignoratione versantur, (*contemnuntur*) Postremum ubique gentium locum obtinent, ab omni prorsus existimatione inopes; nec despiciuntur solum ab omnibus tanquam inutiles ac vani, sed etiam infimam, dejecti, conditionem mortalium, velut in pistrinum ignorantiæ compinguntur.

Vel, per Negationem.

(*Indocti*) Qui nullâ litterarum cognitione præditi, nullâ ornari laude scientiarum, nullo eruditionis splendore decorati sunt, (*contemnuntur*) Ii nullis etiam insignes honorum titulis, nullâ nominis famâ nobiles, nullâ commendatione præstantes, ad nullos dignitatum gradus aditum invenire possunt, nullaque incitati spe adipiscendæ gloriæ, inhonorati ignobilesque vivunt, inglorii contemptique jacent, nullo prorsus in loco sunt.

Deus remunerabitur virtutem.

Ut ex illis tribus vocabulis Periodum componas, singula per sententias synonymas, ut in superiori Exemplo fecimus, explicanda erunt hoc ferè modo:

(*Deus*) Supremus rerum omnium Arbiter Deus,

Deus, hujus universitatis, quam ex nihilo condidit, Moderator sapientissimus; cujus nutu reguntur omnia, cujus providentiâ temperantur; qui infinitâ mentis suæ vi singulorum hominum facta discutit, æquissimaque lance perpendit: (*remunerabitur*) justis afficiet præmiis, æternâque mercede immensæ gloriæ compensabit, (*Virtutem*) quidquid à nobis præclarè susceptum, quidquid gestum egregiè fuerit, ne levissima quidem actione, atque etiam cogitatione præteritâ, quam non exornet immortali laude, & uberrimo amplissimoque honoris excellentissimi fructu non coronet, non remuneretur, non cumulet.

Sapientes Amicis & Inimicis benefaciunt.

Quatuor hæ voces simili ratione exponendæ, quatuor sequentis Periodi membra assumunt:

(*Sapientes*) Qui ex virtutis disciplina vitam agunt, & mores suos ad ejus amussim regulamque dirigunt, nihilque sibi faciendum putant, nisi quod honestum, præclarum, & cum laude conjunctum est; (*Amicis*) non eos solùm, quos aut studiorum similitudo, aut voluntatum consensio, aut necessitudo mutuis officiis constituta benevolos amicosque reddidit: (*Inimicis*) sed illos etiam, à quibus oppugnantur & diffident; quos habent adversarios vehementes, obtrectatoresq; benevolos, (*Benefaciunt*) beneficiis ornant, præclaris meritis sibi devinciunt, omnique officiorum genere, ac significatione benevolentiæ prosequuntur.

De Particulis texendæ Periodo idoneis.

Non de quavis Periodo hic sermo est; sed de illis solummodo, quæ duabus constant partibus, Antecedente scilicet, seu Protasi? *& Consequenti, seu* Apodosi, *sic inter se nexis, ut alterum pendeat ab altero: Hanc porrò rationem mutuam inter ipsas partes quædam Conjunctiones invehunt, quas qui adverterit, levi negotio Periodum fundet, concinnabitque.*

In iis numerantur, quæ sequuntur: Quanquam, Etsi, Quamvis; *quibus respondent in Consequente:* Tamen, Veruntamen, Nihilominus. *Item ista:* Quemadmodum, Sicut, &c. *quibus apponuntur:* Sic, Ita, &c. *Hæ deniq;:* Non solum; Sed etiam: Quoties, Toties. Qualis, Talis. Undè, Indè: Quò, eò: Cùm, Tum: Quantum, Tantùm: Non minùs, Quam si, (*quæ particula semper unum significat ab alio pendens & consequens*) *aliæque ejus generis benè multa è quibus singulis facile esset Periodos struere singulas (utileque erit id tyronibus imperare faciendum) sed una alterave à Tullio petita sufficiant; quas ideo hic adscribo præ cæteris, quod omnium absolutissima habeantur. Prima, quadrimembris est, altera Trimembris.*

Pro Cæcinna I. Si quantum in agro desertisque locis audacia potest, tantum in foro atque in judiciis impudentia valeret. Non minus in causa cederet Cecinna Æbutii impudentiæ, quantum in vi facienda cessit audaciæ.

Pro Quinct. 16. Si veritate amicitia; fide societas; pietate propinquitas colitur: necesse est, iste, qui amicum,

cum socium, affinem famâ ac fortunis spoliare conatus est, vanum se ac perfidiosum & impium esse fateatur.

Quid Trimembrem vocat, quid Quadrimembrem Periodum?

R. *Plus dabo, quàm rogas, nec enim illud tantùm exponam tibi modò, sed etiam Exempla subjiciam Periodorum omnis generis, è quibus Exemplis duplex manabit utilitas. Primùm enim, quod de Numero Periodi audisti jam, tanquam manu exploratum tenebis. Deindè quasi aliud agendo, & per transennam adumbratam quandam Amplificationis imaginem intuendam exhibebo, dum hac de re, accuratius suo postea loco docearis.*

CAPUT III.

Exempla Periodorum omnis generis.

PEriodus multiplex est : Alia dicitur Quadrimembris, seu Tetracôlos, *quatuor Membris constans : Alia Trimembris, seu* Tricôlos, *tria membra complectens : Alia Bimembris seu* Dicôlos, *duo tantùm habens membra : Alia denique unius membri esse potest, dicta* Monocôlos.

Rursus : Aliæ Quadratæ *sunt, seu* Rotundæ, *omnium perfectissimæ ; sic dictæ, quòd quaternæ partes, ex quibus construuntur, ita in sese recurrant, rotundissimi orbis instar, ut duo ultima membra duobus primis ex æquo respondeant, & à quocunque incipias, suum semper sensum Periodus, suam venustatem integritatemque retineat.*

 Item:

Item: Aliæ Fusæ *ac* Volubiles, *quæ pluribus contextæ Membris, longoque verborum circuitu decurrentes, quadrigarum in morem aut leviter fluentis instar amnis sententiam vehunt. Alii demum*, Distinctæ Membris, crebrisque Incisis, *quasi subsilientes desiliunt per aures in animum. Sed jam ad Exempla, quibus adscribo argumentum dilatandum in ipsa Periodo, ad faciliorem imitationem.*

PERIODI
MEMBRI UNIUS.

Infantium mores educatione formantur.

Infantium tenelli mores, sequax eorum ductilisque in omnem partem indoles, cereaque illa quasi teneritudo, & tanquam argillæ in quascunque figuras mollitudo formabilis, domesticorum primo velut attactu, verius multò quàm natalium afflatu, influxuque siderum, plerumque finguntur.

Luxus & Otium malorum omnium origo.

Luxus & Otium vitiorum omnium geminæ mammillæ, continenti fluxu animis corporibusque lacteam pestem instillantes, ærumnas acerbissimas, morbos exitiabiles, calamitates sempiternas, miserias innumerabiles, universa denique mala in humanum genus important.

BIMEM-

BIMEMBRES.

Peccati gravitas maxima.

1. Tanta ineſt peccato leviſſimo gravitas, tanta fœditas, tanta peſtis: 2. Ut omnium mortalium ſalus, & orbis univerſi conſervatio unico ſit, ut ita dicam, mendaciolo poſthabenda.

Tanquam à facie Colubri fuge peccatum.

1. Tanquam ſi immanis, horribilisque Coluber, hianti ore; oculisq; igneis, peſtem anhelans præſentiſſimam, toto in te impetu immineret irruens. 2. Sic omni contentione mentis ac virium longè horribilius immaniusque quovis Colubro & Dracone monſtrum, extimeſce Peccatum, ac fuge.

TRIMEMBRES.

Initium ſapientiæ Timor Domini.

1. Qui veræ laudis incenſus deſiderio illuſtriſſimum Sapientiæ decus ambit; 2. nihil in omnia vita antiquius habere debet, ac potius, 3. quam ut æternæ mentis Numen non tam ſupplicii metu, quàm religione officii nullo planè delicto violandâ, caſtè ſanctèque revereatur, ac timeat.

Vita turpis abominanda.

1. Tametsi, quantum turpissimis in rebus homines scelerati voluptatis hauriunt in hac vitâ; 2. tantum, multoque etiam plus doloris & cruciatuum non essent toleraturi in altera; 3. eorum tamen nefarios mores exitumque infelicem perhorrescere deberemus.

QUADRIMEMBRES.

Vinum & mulieres apostatare faciunt Sapientes.

1. Quis hominum fuit unquam, aut esse potuit hoc robore animi, atque hac indole virtutis & continentiæ; 2. quem intemperantia gulæ, quem compotationes immodicæ, quem vinum immoderatè haustum de statu naturæ non ignominiosè dejecerit? 3. Aut quis ea præditus altitudine mentis, eâ judicii maturitate, ac sapientiæ laude præcelluit, 4. quem fœminarum impudicus amor, & ad obscœnas voluptates libidinosa propensio abductum ab honestatis officio rationis usu non [illegible]rit.

Quid laudabiliùs, quàm nihil peccare?

1. Quid est, oro, rectissimæ legum normæ, communique sapientissimorum hominum vivendi rationi magis consentaneum. 2. Quàm sic instituere vitam, & mores temperare, ut nihil reprehensione dignum appareat? 3. Aut quid

quid magis honestum atque laudabile, sanctissimisque naturæ institutis convenientius, 4. quam eum vitæ cursum tenere, eamque sequi agendi regulam, ut nihil in factis nostris, seu dictis non dignum & imitatione & admiratione cernatur?

QUADRATÆ ET ROTUNDÆ.

Ingratus.

1. Si tantum apud me valeret accepti beneficii grata recordatio; 2. Quantum apud me valuit tibi gratificandi studiosa propensio: 3. Eandem mihi nunc benevolentiam testareris, adversante fortunâ meis commodis, 4. Quàm olim rebus mihi ad voluntatem fluentibus testabaris.

Bona fortuna mala.

1. Si quantis abundent malis fallacia fortunæ Bona, 2. attentâ mentis consideratione perpenderes: 3. quo majori hactenus curâ sollicitudineque illa venatus es; 4. eò majori deinceps contemptu respueres, aspernareris exhorreres.

FUSÆ AC VOLUBILES.

Adolescentium vitam Religiosam ineuntium Elogium.

Quid de multiplici virtutum fructu, Adolescentes, referam, quas in Musarum pomariis,

nisu generoso felicique partu profunditis? Ubi floret amœnius, quàm in vobis, germana pietas? Ubi purior ardet divinæ flamma charitatis? Ubi castimoniæ candor enitescit pulchrior? Ubi rerum cœlestium cultus ardentior, & in supremum Numen religio major?

Fusæ volubilesq; Periodi. Num vos estis (ut ab hac una laudum particula colligatur genus universum) qui animo laboribus non invicto minus, quàm voluptatibus inexpugnabili perniciosa rerum fluxarum blandimenta rejicientes, colonias quotannis ducitis è collegiis nostris in novas cœlestesque plagas? Ibique *a* conversis armis in ipsa rebellantis naturæ viscera, fractis domitisq; cupiditatibus improbis, compresso intestinarum perturbatione tumultu, revulso pestilentium illecebrarum vallo, quibus hominum vita cingitur; misso denique sub Religiosæ vitæ jugum, mundo ipso toto, quantum vis tumido victoriis, erigitis trophæa gloriæ, tantò altiora, quantò abjectius vos ipsi deprimitis; hoc magis conspicua, quò magis in obscuro latent: tantò splendidiora, quantò remotiora sunt à luce, opimisq; spoliis eò graviora, quò nudam magis ab exitiosis fortunæ commodis, spoliatioremque initis vitæ rationem? *b* Ibique per subactos calcatosque vitiorum cuneos, vestrorum currus triumphorum agitis, ascensum super astra molientes: Ibique vestigia virtutum relinquitis, non impressa leviter ad exigui prædicationem temporis, sed fixa firmiter ad memoriam sæculorum omnium sempiternam. Ibique ea præclarè fortiterque suscipitis, exituque felici terminatis, *c* quæ divinis decoranda

a *Allegoria à bello ducta.*

b *Repetitio.*

c *Synonyma.*

randa laudibus, ad cœlum præconiis efferenda, immortalitatis donanda præmio, a stuporem mortalibus afferunt, immortalibus admirationem, vobis decus nunquam intermoriturum, ipsique Deo æternæ gratulationis materiam. *a Distributio & Adjunctio.*

MEMBRATIM CONCISÆ.

Mella apum præda.

Viden ut direptrices illæ Apes ac furunculæ per efflorescentes naturæ thesauros, per nectareas plantarum divitias, per roseas agrorum gazas inexplicabili rapacitate, velut agmine facto, turmatim volatimque ruunt, rostellatim carpunt, hortulatim sugunt, areolatim hauriunt, alveolatim sternunt, suspirulatim bibunt, mellificatim rapiunt, & legionatim prædas important.

En, ut iterum ex alveariis rauco bombo personantibus, præeunte duce, strictis aculeis, aliisque explicatis eruptionem faciunt, areolasque illas aromatibus saluberrimis pretiosas, suaveolentibus fragantes herbulis, venustissimisque depictas flosculis circumvolitantes, in obvios quosque sine fine flores feroces irruunt, violaria violant, rosæ aurum diripiunt, lilii argentum exportant, thymum sugunt, casiam ebibunt, serpyllum expilant, crocum exsorbent, tilias & hyacinthos exhauriunt.

Formicarum mira indoles.

Formicæ non dispersæ per agros errant solivagè aliorum more ferarum, sed in quandam reipublicæ societatem coëuntes, conventus

agunt, cœtus celebrant, se mutuo honore colunt, se audiunt, se consulunt, sibi obtemperant, se hortantur, juniores juvant consiliis, infirmiores robore sublevant pigriores stimulis admonent, laborantes hortatibus urgent; ægras curant, mortuas efferunt, ætate provectas singulari reverentiâ prosequuntur.

Eas jure diceres cum hominibus participare rationis usum, adeo pro innata sibi sagacitate rerum causas & principia vident, earum progressus, & quasi antecessiones percipiunt, componunt similitudines, ventos præsentiunt, imbres præsagiunt, futura prospiciunt, & subtili consequentium comprehensione cum primis, præsentibus ventura illigant, & præteritis futura connectunt.

CAPUT IV.

Usus Periodi.

Quomodo utendum Periodo?

R. Dicam libenter: habet enim res ista multas cautiones; sed duas ego duntaxat appono breviter.

Primò. Ipso dicendi aditu & Orationis Exordiis fermè adhibentur Periodi tornatæ elegantius, numeroseque cadentes; quo nimirum insinuet se blandius Oratio in animum Auditoris, ejusque benevolentiam & attentionem sibi conciliet: nisi forte genus hujusmodi quod istam dictionis levitatem non admitteret.

Secun-

Secunda cautio est, ut, cùm ubique, tum hic maximè habeatur ratio varietatis, ne fastidium pariatur audientibus, si pari semper progressu incedat, pari modo subsistat Oratio. Quapropter curandum est, ut modo tractim ducatur, & numerose fluat; modo distinguatur in membra, modò feratur per Incisa. At ubi ad Perorationem deventum est, in qua excitandi sunt motus animorum, non tam verborum quam sententiarum; nec tam numeri quam ponderis est habenda ratio. Ac de his satis. Ad alia Orationis ornamenta veniamus.

PROGYMNASMA III.
DE FIGURIS.

CAPUT I.



Earum Natura, & Divisio.

Quid sunt in Oratione Figuræ?

R. Quod in horto flores, in cœlo stellæ, in ore veneres, in collo torques, in digito annuli aurei, & in annulis gemmæ. Figuris enim Oratio quibusdam quasi flosculis distincta nitet, & tanquam stellulis conspersa lucet, & ceu gemmis radiata micat, & coloribus quasi illuminata, monilibusque fulgens pretiosis, pulchrè resplendet.

Quid est Figura?

R. Est Conformatio quædam sermonis elegan-

gantior, remota à communi sensu, & loquendi consuetudine. Itaque quod præter communem usum loquendi dixeris, id cum Figura dictum putabitur.

Quotuplicis sunt generis?

R. Duplicis. Aliæ dicuntur Figuræ Verborum; aliæ Sententiarum, quæ à Græcis dicuntur *Schemata* Latinè *Habitus*, *Modi Ornatus*.

Quæ vocantur Figuræ Verborum?

R. Ea, quæ in verbis tantum habent dignitatem, id est, quæ positæ sunt in sola conformatione Verborum, quâ immutata Figuræ pereunt? v. g. *Quid me aspectas? quid meam fidem imploras?* Figura est, quæ dicitur Repetitio. Quòd si ita immutem verba. *Quid me aspectas? Cur meam fidem imploras?* tunc non erit Figura eadem, quia non erit Repetitio illius particulæ: *Quid*.

Quæ dicuntur Figuræ Sententiarum?

Quæ non in verbis solum, sed in rebus ipsis quandam dignitatem habent; hoc est, quæ ita positæ sunt in sensu ac sententia, ut quibuscunque verbis proferantur, eadem semper Figuræ vis ac majestas servetur. Sed priusquam has illasque Figuras explicemus, pauca præmittenda de Tropis.



CAPUT

CAPUT II.

De Tropis.

Quid est Tropus?

R. Est verborum translatorum usurpatio.

Undè hoc nomen ducitur?

R. A voce Græca τρέπω, id est, *verto*. Idcircò quoties vox aliqua à propria significatione in alienam convertitur & transfertur, *Tropus* dicitur.

Quotuplex Troporum genus est?

R. Duplex: Aliud eorum est, qui in uno verbo: Aliud eorum, qui in pluribus verbis fiunt.

Quot sunt Tropi in uno Verbo?

R. Septem: Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Antonomasia, Onomatopœia, Catachresis, Metalepsis.

METAPHORA est Translatio verbi ab uno cui proprium est ad aliud, cui non est proprium. Ut: *Homo ardens irâ* nam *ardens* propriè igni convenit, & transfertur ad hominem, cui non est proprium; neque enim homo *ardet*, sed ignis.

SYNECDOCHE est, 1. Cùm pars pro toto ponitur, ut *puppis* pro *navi*. 2. Cùm totum pro parte, ut: *fons* pro *aqua*. 3. Cùm sumitur materia pro ipsa re, quæ ex illa fit, ut: *ferrum* pro *ense*. 4. Cùm antecedentia pro consequentibus usurpantur, ut: *Boves ab agricolis reducuntur*, pro *Nox adventat*.

METO-

Metonymia, seu Transnominatio, cùm pro effectu Causa; aut contrà pro causa Effectus ponitur. Ut, cùm *Cererem* pro *pane*; *Bacchum* pro *vino* dicimus: quia Ceres frumenti, & Bacchus vini inventores sunt.

Antonomasia, seu Pronominatio, cùm aliquid pro veræ rei significatæ nomine sumitur. Ut, *Eversor Carthaginis*, pro *Scipione*, qui evertit Carthaginem.

Onomatopoeia, seu Fictio vocis, cùm vox aliqua fingitur, ob similitudinem quam habet cum ipsa re significata. Ut, *Mugitus*, pro ipso sono, quem boves edunt.

Catachresis, seu Abusio, cùm scilicet abutimur significatione alicujus rei ad aliam significandam. Ut, *Parricida*, de eo qui matrem interfecit, qui propriè *Matricida* dicendus esset.

Metalepsis, cùm aliqua dictio aliud à propria sua significatione ex iis quæ antecesserunt, significat. Ut:

Post aliquot mea regna videns, mirabor aristas.

Id est, *post aliquot annos*. Nam ex aristis æstates; ex æstatibus annos intelligimus.

Quot sunt Tropi, qui in pluribus verbis versantur?

R. Quatuor: Allegoria, Paraphrasis, Hyperbaton, Hyperbole.

Allegoria est, cùm aliud verbis, aliud sensu ostenditur. Ut: *Cùm magnas subiisset tempestates, rerum omnium naufragium fecit.* Hoc est: *Cùm magna adiisset pericula, amisit bona omnia.*

Peri-

Periphrasis, seu Circumlocutio, cùm id pluribus verbis explicatur, quod paucioribus dici poterat. Ut: *Ille, à quo vitam accepisti, id est, Tuus pater.*

Hyperbaton, seuTransgressio, cùm perturbatur ordo verborum. Ut: *Qua de re*, pro *De qua re. Mecum*, pro *Cum me.*

Hyperbole, seu Superlatio, aut Excessus est, cùm sententia aliqua fidem excedit, augendæ rei gratiâ. Ut: *Nive candidior Anteire cursibus auras.*

CAPUT III.
De Figuris Verborum.

In quo hæ Figuræ à Tropis differunt?

R. Quod Tropi fieri nequeant nisi verbis translatis; at Figuræ Verborum propriis verbis constare possunt. Ut: *Occidi, occidi hostem patriæ.* Figura est, quæ Repetitio dicitur, non tamen Tropus est; quia *Occidi* verbum proprium est, non translatum.

Quomodo fiunt Figuræ Verborum?

R. Tribus modis. 1. Per Additionem, cùm scilicet verbum, verbo additur. Ut: *Veniet, veniet illud tempus.* 2. Per Detractionem, cùm detrahitur aliqua vox. Ut: *Parentes, propinquos, amicos produxit;* detrahuntur enim conjunctiones. 3. Per Similitudinem; cùm variæ voces inter se similes ponuntur. Ut: *Hoc vestimenti genus fœminas non tam ornat, quam onerat.* Has ternas lustremus Figurarum Classes, & incipiamus à prima.

FIGU-

FIGURÆ PER ADDITIONEM.

REPETITIO.

REPETITIO *Figura est, cum ab eadem voce Periodi membro inchoantur.* Ut:

4. ad Herenn. Quem populus Romanus damnavit, quem Senatus damnavit, quem omnium existimatio damnavit, eum vos sententiis vestris absolvetis?

Vix hostem invenerat, jam urgebat; vix pectora viderat, jam terga cædebat.

Cic. pro Rosc. Amer. 13. Accusant ii, qui fortunas ejus invaserunt, causam dicitis, cui nihil præter calamitatem reliquerunt. Accusant ii, qui plagas inflixêre, Causam dicit is, qui accepit. Accusant ii, &c.

CONVERSIO.

CONVERSIO *est, cùm ab eodem verbo finiuntur Periodi membra.* Ut:

Illud ex te audire cupio, quare, cum ego ac defenderim, non rogatus defenderim immeritum defenderim, periculo meo defenderim; tu horum omnium immemor me oppugnas?

Doletis Cives optimi, eversa esse vestra templa? illa evertit hæresis. Lugetis sacra majorum monumenta suis spoliata esse ornamentis? spoliavit hæresis: Sacratos homines crudelissimè trucidatos? trucidavit hæresis.

COMPLEXIO.

COMPLEXIO *Repetitionem complectitur & Conversionem; cùm videlicet Oratio eodem verbo inchoatur & desinit.* Ut:

Quis accusavit? Inimicus. Quis testes produxit?

duxit? Inimicus. Quis tulit sententiam? Inimicus, quis irrogavit pœnam? Inimicus.

Qui sunt, quos Deus summè odit? Impudici. Qui sunt, quos etiam in hac vita diris suppliciis afficit? impudici. Qui sunt, quos æterni post mortem cruciatus manent in inferis; Impudici.

Vis, ô Christiane, frænare libidinem? Ora. Vis hostem pudicitiæ frangere? Ora. Vis constantiæ coronam referre? Ora.

CONDUPLICATIO.

CONDUPLICATIO *est, cùm idem verbum vel initio, vel in ipso decursu Orationis geminatur affectus exprimendi gratiâ.* Ut:

Vivis, & vivis, non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. *Cic. in Catil.*

Bona, (miserum me! consumptis enim lachrymis tamen infixus animo hæret dolor) Bona, inquam, Cn. Pompeji fuere acerbissimæ voci subjecta præconis. *Cic. 2. Phil.*

Nunc etiam audes in horum conspectum venire, proditor patriæ, proditor, inquam, patriæ, venire audes in horum conspectum? *4. ad Herenn.*

Commotus non es, cùm tibi mater pedes amplexaretur, non es commotus.

TRADUCTIO.

TRADUCTIO, *quæ & alio nomine dicitur* Polyptoton, *cùm eadem vox diversis locis reperitur, Casibus aut Generibus, aut Temporibus paulùm immutatis.* Ut:

Ei-

Ei sum infensus, cujus aspectum ferre nequeo, illum auribus oculisque respuo, illo superstite vitam tranquillam agere non possum.

GRADATIO.

GRADATIO, *seu* Climax *est, cùm ab uno ad aliud fit progressio, aliqua repetendo eorum, quæ jam dicta sunt.* Ut:

Mihi doctrinam diligentia, doctrina gloriam, gloria æmulationem, æmulatio sempiternam laudem comparavit. *Sed de Gradatione fusius in Figuris Sententiarum.*

SYNONYMIA.

SYNONYMIA *est coacervatio multorum verborum eandem significationem habentium.* Ut:

Cic. in Catil. Illum tandem aliquando furentem audaciam scelus anhelantem, pestem Senatui nefarie molientem, bonis omnibus exitium machinantem emisimus, ejecimus, eliminavimus. Abiit, excessit, erupit, evasit. Illum redire non sinam, non feram, non patiar.

Cic. pro Mil. An verò vos soli ignoratis, vos hospites in hac urbe versamini, vestræ peregrinantur aures?

POLYSYNTHETON.

POLYSYNTHETON, *cùm multæ conjunctiones congregantur.* Ut:

Teque, tuique similes, tibique charos & aspernor, & aversor, & execror: nec timeo minas,

minas, quas jactas; nec terrent me pericula, quæ denuntias.

FIGURÆ
PER DETRACTIONEM.
SYNECDOCHE.

SYNECDOCHE *Figura est, in narrationibus usitatissima: fitq; cùm verbum quoddam reticetur, quod facilè intelligitur.* Ut:

Hîc tumultuari famuli, lugere ancillæ, mœrere filii, conjux misera lamentari, *subauditur*, cœpit, *vel* cœpêre. *Plura Exempla Progymnasma de Narratione subministrabit.*

ADJUNCTIO.

ADJUNCTIO *est, cùm ad unum verbum sententiæ plures referuntur.* Ut:

Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. *Cic. pro Cluent.*

Eâ flagrat cupiditate, ut illam nec pudor ab infamia, nec pudicitia à stupri fœditate, nec pietas à scelere, nec generis ac familiæ macula à libidinum turpitudine avocare queat.

Nulla libido ab illius corpore, nulla vis à manibus, nullum flagitium à sceleratissimis ejus factis abfuit unquam.

Non illum avaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam revocavit; non libido ad voluptatem; non amentia ad delectationem; non denique labor ipse ad quietem. *Cic. pro l. Manil. 40.*

DIS-

DISJUNCTIO.

Disjunctio *seu* Dissolutio, *cùm demptis conjunctionibus multa copulantur.* Ut:

Cic. pro Arch. 16. Studia literarum adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

FIGURÆ
PER SIMILITUDINEM.

PARONOMASIA.

Paronomasia, *seu* Annominatio, *cùm paululùm immutata verba atque deflexa in Oratione ponuntur.* Ut:

Cùm lectum petis, de letho cogita.

Quò quis amantior, eò plerumque amentior est.

SIMILITER CADENS & DESINENS.

Similiter cadens *est, cùm duæ vel plures sententiæ seu Orationes membro similiter & iisdem Casibus efferuntur.* Ut:

Cic. pro Rosc. 72. Quid tam commune quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis?

Similiter desinens *est, cùm plures sententiæ simili modo finiuntur.* Ut:

Cic. pro l. Manil. 48. Tam felix Imperator est, ut ejus semper voluntatibus non modò cives assenserint. Socii obtem-

obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundârint.

ISOCOLON.

Isocolon, *seu* Compar, *cùm varia Orationis membra constant pari fermè numero syllabarum.* Ut:

Tam difficile bellum Pompejus extrema hyeme apparavit, ineunte vere suscepit, mediâ æstate confecit. *Cic. pro l. Manil. 35.*

Non est difficile viatori, per apertam planitiem, nullis sentibus interclusam, nullis fluviorum anfractibus impeditam, nullis decursibus lubricam, nullis saxetis aspersam, sine prolapsione cursitare: at verò, iter celerrimè conficere, durâ constratum glacie, altâ obsitum nive, cautibus asperum, vepribus invium, torrentum concursu raptum non parvi laboris est opus.

CAPUT IV.

De Figuris Sententiarum.

His Figuris, ut nihil in arte Rhetorica præstabilius si usurpentur est, qua par est, moderatione ac prudentia; ita nihil ferè putidius, si temerè ac pueriliter adhibeantur. In identit non incurres, si, quæ de singulis hic apponam, diligenter expenderis: Exempla præsertim, si attentè leges, in quibus velut in speculo tum ipsius Figuræ naturam, tum multiplicem ejus efformandæ rationem conspiciet: consulto quippe in eorum gratiam

tiam multa congero, quæ certè resecanda ducerem, si alius mihi scopus, quam legentium profectus propositus esset.

ALLEGORIA.

ALLEGORIA *nihil aliud est, quam multiplicata & continuata Translatio. Tametsi autem Figura hæc in verbis sita sit, in sententiis tamen dignitatem & locum habere potest ob similitudinis gratiam, quam plerumq; continet, & Translationis leporem. Exempla habet duo Cicero speciosissima, quæ hic subjicio.*

Ratio Comitiorum.

Pro Mur. 35. Quod fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æstus habet Ratio Comitiorum? Dies intermissus unus, aut nox interposita sæpè perturbat omnia; & totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris.

Magnitudo animi.

In Pison. 20. Neque tam fuit timidus, ut qui in maximis turbinibus ac fluctibus Reipublicæ navem gubernassem, salvamque in portu collocassem, frontis tuæ nubeculam, aut collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem. Alios ego vidi ventos, alias perspexi animo procellas, aliis impendentibus tempestatibus non cessi; sed unum me pro multorum salute obtuli.

ANTI-

ANTITHESIS.

ANTITHESIS *Figura est, quâ verba verbis, aut sententiæ sententiis opposita referuntur.* Ut:

Quis ferre posset inertes homines fortissimis insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus? *Cicer. in Catil.*

Potestis ignotos notis, iniquos æquis, alienigenas domesticis, cupidos moderatis, mercenarios gratuitis, impios religiosis, inimicissimos huic imperio & nomini, bonis ac fidelibus, sociis & civibus anteferre? *Pro M. Pompejo 22.*

Ex hac parte pugnat pudor, illinc impudicitia, hinc petulantia, illinc stuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc, &c. *2. in Catil. 23.*

His exemplis adnectamus unum paulo diffusius.

JESUS INFANS.

Transeamus usque Bethlehem cum pastoribus, & videamus, & veneremur, JESUM in præsepio, & demiremur in Infante virum, Principem in servo, Sapientem in puero, Rectorem orbis juris factum alieni. Demiremur & adoremus Splendorem tenebris offusum, Potentiam constrictam vinculis, Infinitatem terminis finitam, Immensitatem circumscriptam cunis, balbutientem Sapientiam, Sublimitatem cum humilitate. Fortitudinem cum infirmitate conjunctam, Opificem mundi puellæ opus: Eum,

Paronomasia. qui sedet super Cherubim, reclinatum sub brutis animantibus. Qui ambulat super pennas ventorum; jacere stratum in spelunca pecorum: Qui terram mari circumdedit, brachiis

Repetitio & Similiter cadens. Mariæ circumdatum. Adoremus, inquam, & stupeamus è Virgine prolem, hoc est, flores ab hyeme, flammas ab aquis, in rubo ignem, rorem in vellere; hoc est, sine radice fructum, sine semine messem, sine fonte rivum, sine trunco arborem vitæ, Filium sine patre, Conjugem sine conjuge ac denique Virginem matrem, Monarcham famulum, subditum Regem, hominem Deum.

APOSTROPHE.

APOSTROPHE, *Latinè Aversio, est, cùm ab Auditoribus, quos alloquimur, ad absentem vel præsentem quempiam, seu vivum, seu mortuum, aut etiam res inanimas sermonem convertimus, quas uti personas quasdam compellamus. His autem ferè modis à Tullio petitis figuratur Apostrophe.*

Pro Mil. 26. Vos Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro & obtestor; vosque obrutæ aræ, quas ille substructionum insanis molibus oppressit; nunc vestræ religiones viguerunt, vestra vis valuit. Tuque ex tuo edito monte Latialis Jupiter, aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti.

Pro Domo 104. O Dii immortales! vos enim hæc audire cupio, impius hic vestra sacra curat? vestrum numen horret? non illudit auctoritati horum omnium?

Vos, vos appello, fortissimi viri, qui multum tum pro Republica sanguinem effudistis: vos in viri, & in civis invicti appello periculo Centuriones, vosque milites; Vobis non modò inspectantibus, sed etiam armatis, & huic judicio præsidentibus, hæc tanta virtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur, ejicietur? *Pro Mil. 102.*

Te nunc, Scipio, te, inquam, lectissimum adolescentem, appello, abs te officium tuum requiro & flagito, cur pro homine pugnas? cur eum defensum esse vis? *6. in Ver. 78.*

His exemplis alia subdo.

Ad Supellectilem humani luxûs.

Acceptis à Deo beneficiis abutimur, ut ejus Numen augustissimum nostris maleficiis offendamus? *a* Quid enim est, Quod non vertamus in instrumenta vitiorum? quo non muniamus nobis iter ad crimen? *b* Vos appello, Ædes sumptuosæ, auleis ac picturis illustratæ pretiosissimis: Vos, Vasa splendida: Vos radiantes Abaci: Vos thalami argento rutilantes, purpureaque Strata, vos appello; dicite, quot in vobis flagitia, quot per vos scelera patrantur! quot vobis testibus ac consciis, & quàm nefanda facinora committuntur! &c.

a Interrogatio.
b Repetitio.

Ad B. Virginis Ubera.

Virginis mammam divinus Infans appetit? *c* purissimum expande gremium, divina Mater, aperi sinum, profer ubera, papillas admove, filio exsugendas præbe. Audit Virgo parens, natique nutibus obsecutura, roseum ex-

c Expostulatio & Disjunctio.

plicat sinum, dulcedinis expromit thesaurum, mammillam ostendit, papillam porrigit, & inserit in os pueri Jesu. O rosis liliisq; purius candidiusq; gremium! Stillate in labella pueri Dei gemini ambrosiæ fontes, mellifluæ manate gemmæ, nectarei fluite rivuli, effundite argenteæ urnulæ, quidquid suavitatis vobis inest, in suavissimum Puelli pectus; & implete venas liquore lacteo, commutando mox in sanguinem, olim pro salute nostra fundendum

Ad Ventos.

Jacet in stabulo Regum Dominus, recens natus: recubat nudus medio hyeme Virginis filius in spelunca ventis nivibusque pervia, totoque contremiscit corpusculo Deus infans, Ah venti! si quis vobis favor inest, si qua pietas, rigorem remittite! Ah frigidos inhibete flatus sævi Aquilones! Ah, quæso alias perflate plagas, Auræ violentæ! Tu Zephyre mollicole: tu suavicole Favoni: vos auræ blandulæ repentibus huc advolate pennulis, halituque dulciculo obsequio fovete delicato divinas Pueri tenelli cunas.

Ad Cinerem Sanctorum.

Ingemiscite, si quis modò vobis sensus est, Cineres sacri, religiosi tumuli, sepulchra sancta. Monumenta templorum augustissima, pretiosis veneranda Reliquiis ingemiscite? Quas enim aras & templa pietate ac religione vestra consecrâstis, ea nunc impii homines ac sacrilegi polluunt!

Ad

Ad Oculos & Manus.

Supremæ Majestatis Numen offendi miser, divina mentis æternæ jussa contempsi impudens, sanctissimasque leges per summum sacrilegium violavi! O me scelestum, vesanum, impium! Colliquescite oculi mei admissorum dolore facinorum, profundite perennes aquas pœnitudinis! uberrimam lacrymarum vim continenti fluxu profundite, & eluite, si potestis, assiduo & amaro fletu sordes criminum, ad quæ patranda duces, heu! tam sæpe mihi & antesignani fuistis!

Vos verò meæ ô rigete manus, effectrices anteà & administræ, ultrices mox futuræ tot scelerum! disturbate jam nefarias molitiones vestras, disturbate, *d* plangite quæ fecistis flagitia, flagellis vos instruite ad vindictam, crebrisque ac validis ictibus ferite, tundite, pulsate latera, laniate humeros, concidite pectus, dilacerate corpus universum.

d Disjunctio, Commemoratio, Gradatio.

Ad Astra & Flores.

Mentem illustrate nostram, lucidissima sidera, cæcitatem splendore vestro depellite à nostris animis, impiumque torporem motu micantissimo excitate. Vos enim mentis licet expertia, ad Dei tamen jubentis imperium per statas motuum periodos indefessa vertigine, & admirabili cum celeritate ab Ortu properatis ad Occasum, vicissitudinesque anniversarias constantissimè conficitis; nos verò immortalium spe præmiorum invitati ab eodem su-

premo Numine ad conficiendum virtutis iter, hæremus humi, volutamur in cœno vitiorum, ad inanes turpissimasque voluptates adhærescimus.

Verum hebetiores sunt nobis oculi, spectare nequeunt tam altè, nimioque perstringuntur astrorum fulgore cœlestium: Ergo agite, *e* astra terrestria, camporum stellæ odoriferæ, scintillantes hortorum gemmæ, suaveolentia naturæ monilia, amœnitates animatæ, odore vestro nos ad honoris amorem pellicite, foliorum nitore ad vitæ decus excitate: colorum varietate gratissimâ, eximiâque pulchritudine ad laudis studium, ad omne officii genus, ad rerum æternarum contemplationem impellite.

e Definitiones conglobatæ.

Ad Colles & Fluvios Lugdunenses.

Extinctâ sævientium in Christianos Imperatorum tyrannide respirare cœpit Ecclesiæ Lugdunensis, Religiones ipsæ atque Aræ, quas illi omni nefario ritu ac scelere maculârant, commovisse se videntur præ gaudio, cùm immanes illas cadere belluas viderunt. Vos Urbani Tumuli, Martyrum quondam cædibus irrigui; vos, imminentes huic urbi Colles sacro sanguine naufragi, vos appello, vobisque gratulor: oppressi diu idolorum simulachris emersistis tandem, & gestientes nunc lætitiâ, religiosis virorum fœminarumque domiciliis inclyti collucentesque triumphatis.

Vos etiam appello, Fluvii nobilissimi, alluentes & præterfluentes hanc urbem, quorum olim cursum purpurati Carnifices, mactatis Christianorum

norum cadaveribus retardârunt: cruenta tunc evolvebatis fluctuum volumina, turbulenti nec tam sanguine, quàm ira erubescentes ac spumei: qui nunc post addictos illos orco Tyrannos limpidi placidique, undis in concinnos sese blandè crispantibus exultanti fluxu, tranquillè decurritis in occasum.

COMMUNICATIO.

Communicatio *est exornatio, quæ causæ nostræ confidentes, aut ipsos consulimus adversarios; aut cum Judicibus quid faciendum sit, quidve factum oportuerit, deliberamus.* Ut:

Nunc ego vos consulo, quid mihi faciendum putetis? id enim consilii profecto tanti dabitis, quod egomet mihi necessario capiendum intelligo. *in Ver. 3 2.*

Tu denique, Labiene, quid faceres tali in re ac tempore, cùm ignaviæ ratio te in fugam impelleret. Consules ad Patriæ salutem vocarent? Quam tandem vocem sequi, cujus imperio parêre potissimum velles? *Pro Rabir. 32.*

Quæro à vobis, Judices, &c. (hîc, quæ res agatur, explicat, posteaque sic eos consulit.) Quid est, quod hic tandem in re vobis possit videri? Profectò, si rectè vestram bonitatem atque prudentiam agnovi, non multum me fallit, si consulamini, quid sitis responsuri. *Pro Quint. 54.*

Aliud Exemplum subjicio.

De mundi contemptu.

Adhuc hæres? Etiamnum fluctuans, leviſſime Adoleſcens? Nec dum adduci potes ad contemptum rerum caducarum? Verum eſto nullius ſint apud te ponderis, quæ hactenus attuli, æquo animo feram, conſilium deſpici meum? At te ipſe ſaltem conſule; te audi, obſecro, tibi obtempera. Quæro enim abs te, ſi te hinc Regina pulcherrima, omnibus abundans fortunæ bonis, omnibus inſtructa naturæ dotibus, comiter vocaret ad ſe, te ut haberet ſponſum, Regemque faceret; inde proterva fœdaque meretrix te impudenter ad turpem invitaret amplexum: & illa quidem diri non poſſet, niſi per anguſtum callem, vepribus impeditum, ac ſaxis aſperum; ad hanc verò via duceret amœna & facilis; quid tunc amabo faceres? utrius tandem vocem ſequi, utri parere potiſſimùm velles? Profectò ſi benè novi tuam indolem, video quid eſſes facturus. Exhorreres videlicet hujus aſpectum proſtibuli, & per media ſenticeta advolares ad Reginæ ſinum. Cur ergò id non agis, cùm licet? Cur conſilio non uteris tuo? Vocat te Virtus ad æterna gaudia, & ad divinos amplexus? obſcœna te contrà Voluptas ad ærumnas ſempiternas allicit: & illam aſpernaris ob levem viæ difficilioris laborem; & huic te mancipas, quòd iter videas conſperſum floſculis? O cæcitatem!

CON-

CONCESSIO.

CONCESSIO *Figura est, cùm videmus etiam aliquid in quum vel pati, vel adversario concedere, fiduciæ causa, quod nimirum illâ etiam parte concessa nos superiores fore confidamus. Hâc autem Figura eleganter, & plerumque utimur, cùm ab uno ad aliud transeundum nobis est.*

Id Exemplo sequenti planum fiet; in quod de industria elegantiores congessi Concedendi *formulas, Ciceronianas omnes: ut sic uno sub aspectu subjiciam hujus Figuræ ideam multiplicem.*

In Adolescentem furunculum.

Non dubitavi, inquis, quoniam se ultrò & inopinianti obtulit occasio, & apertam reperi parentis arcam, aliquod inde aureos educere. Improbè factum; neque enim oblatâ occasione male agendi uti unquam licet. Verùm quoniam tu id tibi arrogas, & concedi postulas, concedamus. At, cur postridiè ad eandem arcam reversus es? Cur obseratam recludere uncino es conatus? Cur diu frustrà luctatus seram confregisti? Non id egi, respondes malevolo animo, curiositate inductus, quid intus esset, scrutari volui. O excusationem ridiculam! ô curiosum innocentem! At esto, tege nequitiam mendacio, prædare in paternis bonis, capsas exhauri, cistas expila, rem omnem familiarem dilapida; nam etiam fratri tuo ad furendum præferre facem

Pro Quint. 56.

oportuit? Non prætuli, ais: ipse potiùs exemplo mihi prævivit suo. Tametsi adhuc mentiare, hoc tamen tibi do atque concedo. Esto
6. in Ver. 16. sit ille tibi hac in re haud absimilis, sit fur, sit malitiosus, sit æquè ac tu promptus ad omne facinus; at certè paratum restituere quæ abstulerat evocare non debuisti; neque enim me latet, quas ei minas intenderis, quæ pe-
6. in Ver. 19. ricula denuntiaris, si redderet. Verùm, fac te illius, non illum tua secutum esse vestigia; fac ejus impulsu te tantum nefas perfecisse: Fine, natu minori, & adhuc puero, te jam ætate firmâ, assentiri decuit? quid respondebis?

CORRECTIO.

CORRECTIO est; *quæ verbum aut sententiam retractat & corrigit, ut aliquid addatur, quod rem augeat.* Ut:

Pro Muren. 8. Atque hæc, Cives, Cives, inquam, si hoc nomine eos appellari fas est, hæc de patria sua cogitant?

Pro Cælio 71. O stultitiam, stultitiamne dicam, an impudentiam singularem?

Pro Ligat. 15. Quæ fuit igitur in hoc homine constantia? constantiam dico; nescio, an melius patientiam possem dicere?

Pro Sext. 110. Cui unquam homini bono benedixit unquam? Benedixit? imò quem fortem & bonum civem non petulantissimè est insectatus?

3. *Philip.* 50. In exercitu comparando patrimonium suum effudit. Quanquam non sumus usi eo verbo,

quo

quo decuit: non enim effudit, sed in salute Reipublicæ collocavit.

Quæ convivia fieri putatis in hujusmodi domo? si domus hæc habenda est potius quam officina nequitiæ, & diversorum flagitiorum omnium. *Pro Rosc. Amer. 134.*

Aliis Exemplis hic opus non est, quod hæc figura fieri paucis verbis soleat.

DEPRECATIO.

DEPRECATIO *Figura est qua opem alicujus Dei, aut hominis imploramus.*

Hoc nos primum metu, Cæsar, per fidem & constantiam, & clementiam tuam libera, ne residere in te ullam partem iracundiæ suspicemur. Per dexteram te istam oro, quam Regi Dejotaro, hospes hospiti porrexisti; istam, inquam, dexteram, non tam in bellis & in præliis, quam in promissis & fide firmiorem. *Pro Dejotaro 8.*

OBTESTATIO, *Deprecationis genus est, cùm scilicet in re gravi advocamus aliquem, vel hominem, vel Deum in testimonium veritatis.* Ut:

Utinam restabat illud, quod forsitan, nonnemo vir fortis dixerit: restitisses, repugnasses, mortem pugnas oppetiisses. De quo te, inquam, Patria obtestor, & vos Penates, patriique Dii, me vestrarum sedium templorumque causa, me propter salutem meorum civium, quæ mihi semper fuit meâ charior vitâ dimicationem cædemque fugisse. *Pro Sext. 4.*

Exemplum aliud accipe utramq; Figuram complectens.

Joseph fratres deprecans.

Quid, heu! molimini, fratres mei? quid mihi machinamini? occidere me vultis? in puteum me vultis agere præcipitem? Ah! supplex omnes oro, singulosque humi provolutus obsecro, ignoscite; si quid à me in vos peccatum est inconsideratiâ, fecisse pœnitet. O Juda! ô Ruben! ô Simeon! misereat vos meæ pueritiæ *a* per parentis nomen, per matris pietatem, per ego vos illum sinum & ubera, quæ vos aluere, precor; per quidquid sanctum in cœlis est, & in terris sacrum, misello parcite, date veniam fratri, fratres optimi! Per hæc genua vos obtestor, quæ teneo & amplector; per istas manus, quas veneror osculis! lachrymisque rigo? Ah! parens suavissime, te appello, imploro vestram opem, Cœlites!

a Repetitio.

DISTRIBUTIO.

Distributio, *seu* Partitio *est, cùm id, quod summatim dici poterat, fusius explicamus, & in suas partes distribuimus.*

En Exempla dico;

Adolescens; castus & integer.

Lectissimum hunc Adolescentem non ingenita huic ætati levitas à suscepto vitæ consilio revocavit; *b* non improborum sodalium blanditiæ ad voluptates; non locorum, in quibus degit amœnitas ad delectationem; non majorum nobilitas ad ambitionem, non corporis inge-

b Repetitio, Disjunctio.

ingeniique præstantia ad arrogantiam; non aliorum impuritas ad libidinem; non amicorum convictus ad compotationes intempestivas; non denique summa rerum omnium affluentia ad aliquod probrum infamiamque detraxit.

Vir omni virtute præditus.

Eminet in hoc homine altitudo animi in condonandis offensis, in liberali gratificandi voluntate in detestandis avaritiæ sordibus, & malorum omnium seminario, cupiditate: neglectisque propriis emolumentis & commodis totum se & aliorum salutem magnifico excelsoq; animo explicat. Cernitur in capessendis rebus arduis magnitudo mentis; in rimandis negotiorum viis, pervestigandisque quam aptissimis mira sagacitas; in gerendis acre consilium; in persequendis summas inter difficultates ad extremum usque constantia: nihilque est, quod aut non alto quodam aggrediatur animo, aut cautissimis consiliis administret, aut strenuo labore perficiat, vir planè interritus periculis, infractus malis, invictus adversis, calamitatibus inexpugnabilis, ad labores impiger, ad pericula fortis, ad consilia prudens, ad casum fortunamque felix.

DUBITATIO.

Dubitatio *est, cùm hæremus & ambigimus, quid dicendum agendumve sit.* Ut:

Quod si hæc criminatio abs re tota per summam fraudem ficta est? quo te nomine appellemus?

Pro Qu'nt. 56. lemus? improbum? at etsi nihil esset à te confictum, tamen in cæteris injuriis, quas innocenti intulisti, improbissimus reperiebaris. Num malitiosum? negas. Fraudulentum? jam id quidem arrogas tibi, & præclarum putas. Audacem? cupidum? perfidiosum? vulgaria & obsoleta sunt, res autem nova & inaudita.

Pro Amerino 29. Quid primùm querar? aut unde potissimùm exordiar? aut quod, aut à quibus auxilium petam? Deorumne immortalium? Populine Romani; vestramne, qui summam potestatem habetis, hoc tempore fidem implorem?

Pro Cluent. 4. Equidem quod ad me attinet, quò me vertam nescio. Negem, hoc admissum fuisse crimen? Negem, testes auditos esse in Senatu? Non est nostri ingenii, vestræ clementiæ est calamitoso adolescenti subvenire.

Scipio apud Liv. l. 8. dec. 3. Apud vos, quemadmodum loquar, nec consilium, nec oratio suppeditat; quos, nec quo nomine quidem appellare debeam, scio: Cives? qui à patria vestra descivistis. An milites? qui imperium auspiciumque abnuistis. Sacratos? religionem abnuistis. Hostes? corpora, ora, vestitum, habitum civium agnosco: facta, dicta consilia, animos hostium video.

4. Æn. Illustrem habet Dubitationis ideam Virgilius, Didonem ab Ænea derelictam, in deliberatione suspensam ac dubiam sic inducens:

En quid agam? rursumne procos irrisa priores
Experiar?

Cætera omitto, quæ tu, si libuerit, consules, cùm prudentioris fœminæ Dubitationem huic attexero.

Exemplum addo paulò fusius.

Su-

Susanna animi dubia.

Hæc non à declamatore facta, sed ab exclamata matrona facta Dubitatio est: prius tamen quam exclamet, attonita hæret, stupenti similis, & quid cogitet, quidve loquatur, nescit infelix. Excitata tandem imminenti periculo: Quid agam? inquit. Quò me convertam? Ad quem confugiam: c Assensero? in me admisero scelus: Negavero? æternum incurram cum morte dedecus. Proh Superi! quas in angustias adducta sum? Cujus fidem implorabo? à quo auxilium petam? Resistam duobus una? impar sum. Confugiam ad preces? quis exaudiet? Clamem? morior: Taceam? inquinor: fugiam? non licet: Cedam? ah perdo! quid mihi multò charius vitâ? Sed quid moror diutius misera; quid dubius ultrà fluctuat animus? In vestras, scelesta capita, satiùs est incidere, quam in Dei manus: perire præstat, quam peccare: necem crimini præfero. His dictis exclamat Susanna, acclamant Senes execrandi, accurrunt famuli, &c.

c *Subjectio.*

ETHOPOEIA.

Ethopoeia est quædam expressio morum personæ alicujus, quæ fit, dum ejus actiones, studia, propensiones, & agendi ratio exhibentur oculis.

Characterismus item dicitur, cum personam ita effingit, ut non corporis modo lineamenta, sed animi quoque indolem quasi ponit sub aspectum. *Exemplum affero geminum.*

Puer

Puer piger.

Hic ille Puer eſt, quem ab literario ludo prodeuntem aſpicis. Hic ille inquam, eſt, quem hîc delineo, cujus vultum mihi exprimendum habitumque ſumerem; ipſius ſi pigritiæ imago ad vivum reddenda, ſuisque depingenda eſſet coloribus. Et verò: Nonne ex ejus ore atque inceſſu pigerrimum eſſe nebulonem intelligis? Annon impexus capillus, veſtis ſordida, galerus pulvere fœdatus, pallium à dextro humero indecore fluens, humumque vertens, meram deſidiam clamitat? Nunquid vel in ipſis libris, quos ſub axilla geſtat, ipſius legis negligentiam? Suam ſe domum recipit, adjungamus nos ei comites, & tardo inertique paſſu gradientem cogitatione ſequamur. Quid facturum putas, ubi limen attigerit, niſi quod ſemper aliàs? Ab ipſo ſtatim veſtibuli aditu ſervum inclamans: Heus tenebrio, inquit, adesdum: Etiamnum reſtitas, ceſſator? Exonera me hac intolerabili ſarcinâ librorum, quos dæmon malus in malam rem avehat, ita mihi quotidiè pariunt uberrimam meſſem mali. Inde cubiculum ingreſſus, in lectum ſe projicit, anhelans, partem quietis capturus aliquam, dum vocetur ad cœnam. Vocatus adeſt illico, ſtrenuumque hoc duntaxat loco ſe præſtat. Exemptis epulis oſcitare, obdormiſcere incipit, & toto capite annuere, tempus jam adveniſſe eundi cubitum. Itaque abit obeſum & adipale corpus, plumeo reſupinat thoro, ad multam lucem ſtertens placidè, ſomnum porrò productus ad meridiem, ſi permitteretur. At ecce, ancilla obſtrepit ad fores, adeſt

adest objurgator, qui torpentem excitet, & solemne illud occinat:

Nempè hoc assiduè? Jam clarum mane fenestras
Intrat, & angustas ostendit lumine rimas.

Nec tu tamen, aselle, expergisceris? videre mihi vel cum gliribus certare posse. Hic beatulus noster aperire oculos, caput attollere, explicare brachia, & huc illucque se versare. Et, quæ hora est? inquit: vix dum illuxit: meis certè oculis adhuc multa nox est. Quid multis? dum scalpit caput, dum distendit nervos, dum oscitat, fricatque oculos, tota abit hora. Demùm emergit lecto, indèque recta pereptat ad focum; & à foco ab cibarium & armarium? tum verò in academiam se confert, testudineum movens gradum, & ambages viarum quæritans, obviasque opificum tabernas stolidè contemplans, morasque nectens alias ex aliis. Denique accedit ad scholas, quo fermè tempore solent alii à scholis abscedere.

Vana Puella.

Nobilis est ac dives hæc Puella, amplæ familiæ, spes & hæres unica, quò meliore forma fulgens, hoc fastu vaniore turgens. At ecce illam: commodum ab rheda illic inaurata prodit, imago ad speculum ficta, Officina delitiarum. Exemplar levitatis absolutum. Cernis ut tumet vanitatis simulachrum, ut se circumspicit superba, ut se venditat arrogans, ut collum erigit, gressumque frangit, oculosque torquet circum-

cumquaque, non tam ut videat, quam videatur. Viden, ut purpuream trahit cum ostentatione lasciviæ defluentem luxuriâ cycladem, auro gemmisque radiatam: ut detracto molliter crispo bombycino à levissimo vertice protendit, jactatque cerviculam, ut capillos ambitiosius comptos cincinnatosque velut in cidarim hinc inde sparsos explicat, levissimæque ventorum agitationi permittit, quasi captans ab aura gloriolam. En ut niveæ splendent armillis manus, ut aures micant inauribus aureis, ut collum gemmeo torque rutilat, ut crebro coma scintillat adamante. Carrucæ strepitu excita mater ad fenestram accurrit, filiâ visâ devolat ad fores, & ruens in amplexum: Ubi tamdiu, inquit, à me abfuisti, meæ vitæ corculum, mei cordis animula, mea voluptas & suavium? At illa: Non diu me desiderâsti, mater, vix momento uno foris sum morata. Atqui, annum mihi videbaris abfuisse: ascende mecum, mea lux, in aulam, sed placidè, ne quid tibi festinando parias incommodi: hic sede, meum mel, tuamque mirare formam in hoc speculo; nam digna es profectò quam Venus ipsa demiretur, cui vel Gratiæ invideant. His dictis colliquescit puella gaudio, sibique lenocinante risu gratulans, abblandiensque matri grates agit repetito osculo.

EXCLA-

EXCLAMATIO.

EXCLAMATIO, *est Orationis Elatio, quæ motum animi vehementiorem efficit, reique magnitudinem exprimit interjectione adhibita, nonnunquam verò suppressa, ut cum dicitur:* Superi! Miserumne! *Ejus usus est vel ad laudem, vel ad vituperium, vel ad commiserationem ut patebit Exemplo sequenti, in quo coacervatas reperies insigniores Exclamandi formulas, usurpatas à Tullio.*

Innocentia Susannæ damnata.

a PUDOREM accusat impudentia, vitam virtuti Susanna posthabet, puram sceleris mortem mavult oppetere, quàm usurâ contaminatæ vitæ frui. O castitatem admirabilem, atque omni laude, prædicatione, litteris, monumentisq; decorandam! O fœminam fortissimis fortiorem viris! O laudem præclarissimam! O facinus omni præconio superius, omniumque veneratione dignissimum! O mulieris pudicitiam! O decus incredibile, & præter hanc unam in omni vita inauditum! *a Antithesis.*

Non exhorruere impuri Senes minis precibusque solicitare tantam virtutem; non reveriti sunt nefandi offerre stuprum matronæ integerrimæ, passique repulsam in caput innocentis crimen conferre. O scelus! ô lutum! ô sordes! ô libidinem effrænatam & indomitam! & ô portentum in ultimas terras amandandum!

Adul-

Adulterii insimulatur Castitas, falso circumventa testimonio: Virtus opprimitur, nec declinare valet calumniæ laqueos. O patrii mores! ô leges divinæ! ô jus! ô fas! ô tempora! Huccine omnia reciderunt? O cæcitatem mortalium! ô fallaces hominum cogitationes! ô concilia præpostera! *e* Illane Susanna rea traducitur, cujus nuper eximia laus versabatur in ore omnium? cujus pudorem ad cœlum exquisitis encomiis efferebant? *f* Id futurum putasses. Heroina invictissima, cùm adspirantem virtuti tuæ secundissimi rumoris auram videbas? cùm honoris fructum amplissimum referebas, magnis tuis debitum meritis? O fallacem hominum spem! ô fortunam volucrem! ô inanes nostras cogitationes, *g* quæ in medio spatio sæpè franguntur & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quàm portum aspicere potuerunt! Quam cito illa omnia ex lætitia & voluptate ad luctum & lacrymas defluxerunt!

e Dubitatio. *f Apostrophe.* *3. De Orat. 7.* *g Allegoria.* *Pro Silla 91.*

h Sed quid hîc exclamando tempus consumo? *i* Rapitur ad supplicium pressa catenis Castimoniæ victima, ædibus se omnes affundunt; miserantur afflictæ vicem; Susanna tortoribus stipata, erectis in cœlum oculis viam signat imbre lacrymarum. O spectaculum non modò hominibus, sed tectis ipsis & parietibus luctuosum! *k* Proh Deus immortalis! cur in hominum sceleribus aut connives, aut præsentis fraudis pœnas in tam longum tempus reservas? *l* Imò, non reservat ultrà, liberatur innoxia, retexitur implicatum calumniæ facinus execrabile, meritas Senes impudici pœ-

h Correctio. *i Hypotyposis.* *Pro Cælio 10.* *k Apostrophe.* *l Correctio.*

nas luunt. O, qui hæc legimus, ô nos beatos, si fuerimus hujus virtutis æmuli! ô conditionem nostram felicem: ô decus illustrissimum! ô fortunatam vitæ rationem!

EXPOLITIO,
seu
COMMORATIO.

EXPOLITIO, *Exornatio est, quâ commutatis verbis eadem sententia variè versatur & effertur, quo gratior clariorq; subjiciatur oculis. En tibi Exemplum.*

EXEMPLUM.

Divitum Luxus à Luctu Pauperum.

Quanta hodie, (declamabat non ita pridem in Divites Cato quidam Tragicus) quanta illorum hominum natio est, qui servire se crederent, nisi in alios dominarentur; nec se ut homines haberi putarent, nisi colerentur ut Dii; nec felicitatem sperarent satis cumulatam se posse consequi, nisi quam creasset aliorum miseria. Luxum facit locupletum, Luctus inopum: illorum risus parricida ab istorum lacrymis oritur, & unius cupiditatem multorum egestas temperare nequit. Sericæ vestes illæ, quas induimus, sunt potiùs plebejorum spolia, quam bombycum; & illa nostra purpura non tantùm murice, sed etiam miserorum cruore tincta, polybapha dici magis debet, quàm dibapha. Monilia non ornarent satis, gemmea *Antithesis.*

mea licet atque aurea, nisi splendorem suum ab integrarum squalore familiarum accerserent; nec armillæ de orarent brachia matronarum nobilium, nisi catenis manus infelices constringerentur. Torques istos quos gestamus, quam multos torquere creditis? Certè negare non possumus, quin plurimorum patrimonia sæpè pendeant ab unius collo: & nudentur innumeri, ut unus pretiosius vestiatur. Quid jam de mensis nostris dicam? quid de indignissima fame pauperum inter epulas nostras nata? Iis demum cibis acquiescimus divites, quos inopum sudor condivit? & palato tantum arrident, qui emortui illorum sanguine?

GRADATIO.

GRADATIO, *seu* Auxesis, *seu* Augmentum, *non tantùm Figura verborum est, sed etiam sententiarum, in qua sequens Oratio semper addit aliquid ad præcedentem.* Ut:

Pro Quint. 95. Miserum est exturbari fortunis omnibus; miserius est injuria: acerbum est ab aliquo circumveniri; acerbius est à propinquo: calamitosum est bonis everti; calamitosius, cum decore: funestum est, &c.

7. Ver. 269. Facinus est vincere civem Romanum: scelus, verberare: prope parricidium, necare: quid dicam, in crucem tollere?

Simeon Stilita.

Hac Gradationis Figurâ quibusdam quasi gradibus divini hujus hominis columnam scan-

scandamus, & ab ejus cacumine conetur evadere Oratio in fastigium summæ virtutis, & laudis verticem, quem ille superavit, attingere. *o* At quis attingat? Quis altitudinem tantam metiatur animo? Quæ mens, quæ cogitatio, quod ingenium, quæ facultas illuc adrepat, quò se Simeon extulit? Lustremus saltem, si minùs eo evehere se potest dicendi vis, *p* lustremus, inquam, numerando virtutum gradus, per quos sublimen illam sanctimoniæ columnam ascendit. Principio ejus veluti fundamenta jacturus, in semetipso descendens; nihilum reputavit, despexitque suum. Ex hac despicientia exarsit odium implacabile, & crucis amor ac cruciatuum: *q* Ex hoc amaro capite dimanârunt rivi perennes delitiarum cœlestium: has quo propiùs à fonte liquidioresque potaret, erexit animum supra humana omnia. Neque id satis esse ratus, erexit & corpus, præruptæ rupis celso in vertice domicilio posito. Jacere tamen adhuc sibi visus, humique serpere, columnam excitavit triginta sex altam cubitos, fixitque super illa sedem; *r* Quid dico, sedem? non in illa sedit, ne se deprimeret, sed semper stetit: Et ne vel sic nimis hæsisse terræ credi posset, ejusque quam minimam posset partem contingeret, uno tantùm in pede annum unum invictus perstitit. Invictum jure dixit: ne enim hunc vicisse scias, etiam post mortem in eodem hæsit vestigio; exanimisque in statione manens, stetit in gradu miles Christi verè statarius.

o *Correctio.* *Interrogatio.* *Repetitio.*

p *Allegoria.*

q *Allegoria.*

r *Correctio.*

HYPOTYPOSIS.

HYPOTYPOSIS *Figura est, quâ res quæpiam sic verbis exprimitur, ut non tam audiri vel legi, quàm geri & oculis usurpari videatur. Differt autem* Hypotyposis *ab* Ethopœia, *quòd hæc tota sit in exprimendis animi motibu, illa verò declinet potiùs quàm moveat.* Ut:

7. in Ver. 105. Hæc postea quam acta sunt, procedit iste; inflammatus scelere, furore, crudelitate, in forum venit, Navarchos vocari jubet, qui nihil metuerent, suspicarentur nihil; statim accurrunt. Iste hominibus miseris innocentissimisque injici catenas imperat: implorare illi fidem populi Romani, & quare id faceret, rogare, &c.

Ibid. 141. Hæc cùm maximè loqueretur, sex lictores circumsistunt valentissimi, & ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi; cædunt acerrimè virgis. Eorum unus converso bacillo oculos misero tundere vehementissimè cœpit. Itaque ille, cùm sanguis os oculosque complêssent, concidit.

2. Phil. 104. Personabant omnia vocibus ebriorum, natabant pavimenta vino, madebant parietes; ingenui pueri cum meritoriis, scorta inter matres familias versabantur.

4. Catil. 11. Videor mihi hanc urbem videre, arcem omnium gentium subito incendio concidentem: cerno animo sepultam patriam, miseros atque in sepultos acervos civium: versatur mihi ante oculos aspectus Cethêgi, & furor in vestra cæde bacchantis.

En tibi à me aliud Exemplum.

Parri-

Parricida.

Furiis actus Adolescens pugionem arripis, sub veste abdit, egreditur domo grandævum parentem paulo antè in villam digressum insequitur furore amens, *a* inflammatus odio; perque occultos & compendiarios calles prævertens facilè assequitur. Ut videt filium senex stricto gladio irruentem, hæret attonitus, & mulus, cui insidebat, hæret pariter quasi consternatus. At ille, scelus anhelans, descende, inquit, delire senex, descende capularis, quin desilis statim devota Ditis victima. Hic pater, quasi afflatus fulmine, stupet immotus & exanguis, & loqui volentem vox deficit. Denique tergiversantem filius exturbat jumento, obtortoque collo raptat in fossam proximam. Intereà patri misero, quam stupor ademerat, restituit vocem timor. Et, Quis, inquit, filii, te furor in parentem incitat? Hoccine apud te commeritus sum, quod vitam dedi? Mentiris, reponit ille, non dedisti vitam, exitium mihi contrà creasti sempiternum. Meministi tuis me præstigiis abductum à cœnobio semel atque iterum? pestiferis blanditiis tuis & incantamentis abstractum à religiosa vita, revocatum ad mundi sordes? per te perii miser; tu per me vicissim æquum est, ut pereas impie. Hæc dicens, guttur ferro transfigit, laceratque grandi plagâ, ac demum conscenso equo fugit parricida filius.

a Metaphora.

IMPRECATIO.

IMPRECATIO *est Execratio quædam, quâ male alicui imprecamur.* Ut:

23. Philip. 48. Quin tu abis in malam rem, malúmque cruciatum.

Pro Dejot. 21. Dii te perdânt fugitive, ita non modò nequam & improbus, sed fatuus & amens es.

Deus te infeliciter, aut, ut melius precor, te restituat sanitati, malesane Blatero; ita de re omnium præclarissima, stulte sentis.

Hæc de hac Figura sufficiant; neque enim illius nisi perrarus est usus.

INTERROGATIO.

INTERROGATIO *Figura est, quæ assumitur non quærendi, sed instandi & urgendi causâ: ad varios animi motus ciendos opportuna & usitatissima; cùm nulla Figura sit, quæ per interrogationem non possit exprimi, selectiora hæc apud Tullium Exempla sunt.*

Pro Ligario 19. *a* Quid enim, Tubero, tuus ille destrictus in acie Pharsalica gladius agebat? Cujus latus ille mucro petebat? Qui sensus erat tuorum armorum? Quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? Quid cupiebas? Quid optabas?

a Expolitio, seu Commoratio.

b Repetitio. *In Pison.* *b* Quid ego illorum dierum epulas, quid cum tuis sordidissimis gregibus intemperantissimas perpotationes prædiçem? Quis de illis diebus sobrium quis agentem aliquid, quod esset libero dignum, quis denique in publico vidit, &c.

Stipu-

Stipulatus es? ubi? quo die? quo tempore? quo præsente? Quis spopondisse me dicit? Nemo. *Pro Cornelio 13.*

Piratam vivum tenuisti? quem ad finem? quamobrem? quam ob causam? quo exemplo? cur tamdiu? etiamne privatus? etiamne reus? etiamne bene damnatus?

Ex quibus intelligis hujusmodi minutis crebrisque interrogatiunculis urgeri vehementius adversarium, & quasi densa telorum grandine obrui. En aliud Exemplum.

In Cainum fratris interfectorem.

Quo, quò te agis, scelerate? Ex quo loco te proripis? *c* Cur solus? Cur sine fratre? Cur non reducis, quem abduxeras? Ubi ille est? Quo eum loco reliquisti? Sceleste, non respondes, nihil dicis? Non loqueris? Undè triste hoc inusitatumq; silentium? Unde hic oris pallor & efferata frons, & capitis jactatio, totiusque agitatio corporis? Dic, inquam, barbare, quod concepisti nefas? quod in te admisisti facinus? quo te impiâsti flagitio? quid sibi vult in tuas vestes hic respersus cruor? quid hæc manuum trepidatio? quid clamor ille tacitus, quem exaudio? Clamat enim haustus terrâ sanguis, quem effudisti. An non tui sanguis est fratris, quem per inauditum scelus modò trucidâsti? *c Repetitio.*

IRONIA.

Ironia *est, cùm aliud planè dicimus, quàm verba significare videntur. Ita Tullius de Verre,*

homine crudelissimo, cùm virum honestissimum crudelissimumque, tempestate perfrigidâ, in medio foro, nudum relegari jussisset virgis cædendum, ut omnes quidem, qui aderant spectaculo, existimabant.

1. in Ver. 68. Fefellit, inquit, hæc homines opinio; virgis iste cæderet sine causa socium populi Romani, atque amicum? Non usque eò est improbus; non omnia in eo uno sunt vitia: nunquam fuit crudelis; leniter hominem clementerque accepit, &c.

d Partium distributio. Pro Mil. 20. Vide Cicer. pro Quin. 33. l. 10. Domo sua 104. Sed stulti sumus, qui Africanum, Pompejum, nosmetipsos cum Publio Clodio conferre audeamus. Tolerabilia fuerunt illa; P. Clodii mortem æquo animo nemo ferre potest: *d* Luget senatus, mœret equester ordo, tota civitas confecta senio est, squallent municipia, afflictantur coloniæ, agri denique ipsi tam beneficum, tam singularem, tam mansuetum civem desiderant. *Hæc de hominis sceleratissimi morte idem Tullius.*

Lutheri laus Ironica.

Adesdum mortalium humanissime, Luthere sancte ades, inquam, suavissime bipedum, Reipublicæ Christianæ illustre decus, magnum virtutis specimen, absolutum moderationis exemplar; partem hic aliquam tuorum meritorum recensere mihi animus est; tametsi ne animo quidem assequi valeam quod eloquar.

e Partium corporis enumeratio. Quid erubescis verecundiâ virginali, vir amplissime? Quid abnuis vel invito, ut non immerenti laudes impertiar? *e* Os habuisti fuco plenum ac sanguinis, præpingues lucentesque genas?

genas? nativo illuminatas minio. *f* Quid splendidius ad decorem? Tibi grandes erant auriculæ, & scintillantes oculi, nasusque non vulgaris, nullaque pudoris nubeculâ infuscata frons; labia vini spirantia, odorem, & referentia colorem, madida semper atque roscida: Quid ad dignitatem præstantius? En pectus tibi fuit peramplum & mammosum, crassi lacerti, excelsæ scapulæ, collum adipale venter obesus, prominensque in modum dolioli, membra singula mirè carnosa & ad justum exæquata modum. Quid ad majestatem augustius? *g* Sed hæc levia sunt, si cum eximiis comparentur animi dotibus, quibus ad maximam laudem sic effloruisti, ut admirabili quadam fatorum benignitate saluti publicæ, virtutum dignitati, religionis propagationis natus esse videreris. *h* Quis enim te religiosior fuit unquam, aut esse potuit, vel tum maximè, cum deserto cœnobio, detractoque per summam pietatem cucullo homines innumerabiles ab severa vitæ ratione ad hilaritatem, ad compotationes, ad epulas, ad rerum omnium licentiam traducebas oratione & exemplo? Quis temperantior, vel cùm in popinis assiduus, exhauriebas immania pocula, ebriusque vociferabaris è suggestu, eructans spurcis sermonibus pietatem & continentiam? Quis comior commodiorque, tum etiam, cum sanctissimos homines proscindebas maledictis? Quis modestior, vel dum verbis magnificis, ne dicam arrogantibus, te omnibus anteponebas? Quis castior, vel dum volutabris in cœna turpissimarum voluptatum, nefariisque libi-

f *Repetitio.*

g *Transitio & Gradatio.*

h *Laudis enumeratio per Interrogationem, Repetitionem, & Antitheta.*

libidinibus dares operam? Nuptias junxisti quidem Sacerdos, verum est; *k* at cum sacrata virgine cauponas & lupanaria frequentasti: ita est; sed quæ nimirum converteres in academias pudoris, & gymnasia castitatis. Summa tibi cum dæmone intercessit familiaritas, videlicet ut pace cum illo factâ faciliùs amplificares Christi cultum. *l* O virum sanctum! ô pium ac pudicum hominem! ô religiosissimum Sacerdotem! *m* Nefarie, deterrime omnium mortalium, debacchator consceleratissime! tune audes his flagitiis, his libidinibus, hac turpitudine & audacia te Catholicæ Religionis dicere vindicem? &c.

k Correctio.

l Exclamatio Ironica.

m Objurgatio seu Increpatio.

Præterire non possum Ironiam illam mirabilem ac divinam, quam habet Tullius in Pisonem; quamq; haud scio, an afferri quidquam possit vel ad leporem elegantius, vel ad majestatem præstantius. Negaverat Piso, quo ignaviam suam pudoremq; tegeret, quod cæterorum more Imperatorum non obtinuisset honorem Triumphi; negaverat, inquam se Triumphi cupidum unquam fuisse, contemnere se honorem illum dixerat. Quam ejus vocem reprehendens Cicero, pro dignitate illum jactat exagitatque prolixâ illustrique Ironiâ, quam ut imitari discas facilius, exprimere hic illam ex amussi conatus sum, & quàm accuratissime potui.

à n. 58. ad 63.

IRONIA.

In Religiosæ vitæ Vituperatores.

Audiamus callidos istos è caupona Philosophos, non tam verbis, quam ructibus Religiosæ vitæ

vitæ rationem explodentes. Ajunt vile hoc esse vitæ genus & abjectum, naturæque repugnans? quòd hominem naturâ liberum, & sui juris, arbitrio mancipet alieno, perpetuoque velut addictum carceri non omni solùm voluptate privet ac vitæ commodis; sed etiam inerti labore conficiat, vigiliis jejuniisque frangat, irrogatis atque etiam susceptis sponte pœnis crudelissimè torqueat, penèque adigat ad violentam sibi mortem inferendam.

O gravem argutamq; Philosophiam! Quàm doleo, præclari Doctores, quòd tam subtilem maturiùs non exprompseritis sapientem, priusquam innumerabiles viri fœminæque omnium conditionum & ætatum contemptissimam istam vivendi conditionem amplecterentur. Neque enim integrum est magnis Ecclesiæ Doctoribus, Basilio, Gregorio, Hieronymo, Chrysostomo, & Augustino consiliis jam uti vestris. Errârunt illi, non gustârunt hanc vestram Philosophiam: hanc enim imprudentes & inconsultissimi homines austerioris ignobilisque vitæ rationem tenuerunt. Bruno, Parisiensis Academiæ lumen, pudet metui; quid est, quòd relicto celeberrimæ urbis splendore, confectisque studiis, præruptarum inviarumque rupium horrendas solitudines petiisti? Antoni, Benedicte, Dominice, cur non hos audistis tam doctos homines, tam eruditos, tam præstantes, priusquam in istum errorem induceremini? O stulti Epiphanii, Damasceni, Hilariones, Cœlestini & Eucherii! ô amentem Franciscum & Ignatium! ô nullius consilii Albertum, Thomam, Bonaventuram, Ludovicum, qui aspernati voluptatum

Congeries Exemplorum.

illecebras, & perniciosa rerum fluxarum blandimenta, ad religiosa claustra convolarunt, amplexaturi Christi crucem! Sed quoniam præterita mutare non possumus, quid cessant inanes homuli hæc præclara præcepta dare sapientiæ, adolescentibus innumeris, qui de hoc ineundo levioris vitæ genere dies noctesque cogitant? Feruntur enim, mihi credite, omni contentione mentis ad cœnobia, ardent cupiditate incredibili Christianæ servitutis subeundi jugum, non didicerunt videlicet eadem, quæ vos. Ergò agite, illos adite, meditamini, quibus verbis incensam illorum cupiditatem comprimatis atque restinguatis. Valebitis apud levissimos adolescentulos, viri moderati & constantes; apud ignaros, experti ac periti. Dicetis enim, ut estis homines ad persuadendum perfecti: Quid est, adolescentes lectissimi, quod vos horrida hæc feralisque Religio tantoperè delectet? quod tanto animi ardore ad ea feramini, in quibus homines errore ducuntur? quæ Superi negligunt? quæ Deus nec requirit, nec curat? neque enim vitam hominibus largitus est, ut accerseremus incommoda, lethiferaque nobis mala pararemus. Quid verò habet tandem iste Religiosæ vitæ status? Quid sibi volunt vota solemnia? quid hispidus & obsoletus habitus? quod solitudo ac silentium? quid mendicatio? quid castigatio corporis, frequensque jejunium? Inania sunt hæc, mihi credite, deliria somniantium, ac terriculamenta puerorum, verberibus in sua corpora sævire, ambire laborem, latebras aucupari honores sperne re, abjectione gloriari: quibus ex rebus

nihil

nihil est, quod ad oblectationem animi, solidamque felicitatem referre possitis. Quin nos aspicitis? quin exemplum nostrum sequimini? quin sectamini fugientis vitæ liquidissimas voluptates, & indulgetis genio, animoque obsequimini, delitiisque delicata membra fovetis? Hac vos Oratione non dubito, quin illos pedem in cœnobia inserentes, possitis revocare, & ad paternas domos abducere. O tenebræ! ô cœnum! ô sordes! ô temeritatem, incredibilemque dementiam! Lotharius Imperator abdicatis supremæ dignitatis insignibus ad humilem hanc, contemptamque, ut vocatis, vitæ conditionem se abjecit, captans ab honoris proculcatione gloriam, & obscuritate loci verum splendorem nominis: Carolomannus, Carolo Martello progenitus, Austrasiæ & Sueviæ Rex rerum gestarum gloriâ clarus, pedum pastoritium sceptro vilemque cucullum coronæ aureæ præposuit? Eandem non dubitavit insistere viam Pipinus Italiæ Rex, Caroli Magni filius natu maximus: Eandem capessivêre Veremundus Castellæ, Ramirus Arragoniæ, Sigebertus, Chenredus, Inas, Elteredus Angliæ Reges: Eandem Augustissima Regina Theodora, Cunegundes, Agnes, Elisabetha, Rapegundes, Batilda, aliæque Principes ac Heroinæ iniêrunt; vos occultissimi rerum Æstimatores sapientiores quam Lotharii, prudentiores quàm Pipini, generosiores quàm Carolomanni, abundantiores consilio, eruditione, ingenio, & prudentiâ, quàm Augustini, quàm Gregorii, quàm Basilii, quàm alii omnes, qui impleruns orbem terrarum virtutum meritis,

ritis, & doctrinâ & gloriâ, ea contemnitis, quæ illi idiotæ (sic enim eos appellabitis) præclara duxerunt.

LICENTIA.

LICENTIA *Figura est, quâ utitur Orator, cum ea, quæ gravia dictu sunt, aut periculosa magnâ libertate dicturum se profitetur.* Ut:

Pro Sylla 33. Attende jam Torquate, quàm ego non defugiam auctoritatem consulatus mei; maximâ voce, ut omnes exaudire possint, dico, semperque dicam: Adestote omnes animis, qui adestis corporibus: erigite mentes auresque vestras, & me de invidiosis rebus, ut ille putat, dicentem attendite. Ego Consul, &c.

10. Philip. 8. Vos, Patres Conscripti, grave dictu est, sed dicendum tamen; vos, inquam, Sulpitium vitâ privâstis, &c.

Ibid. 19. Postremò, (erumpat enim aliquando vera, & me digna vox) ii, ad quorum voluntatem dicta factaque nostra referuntur: optanda mors est, &c.

Exemplum adjicio unicum.

Ad Reginam Lusitaniæ, S. Elisabetham.

Congeries Synonymorum. Coronam deposuisti, Regina Illustrissima, abjecisti sceptrum, exuisti purpuram, regnum abdicâsti, exauctorâsti sacramento subditos, è supremo gloriæ throno descendisti, admirationem movisti populis omnibus expectatione suspensis, quo demum evasura sit virtus tam inusitata, tam divina, tam incredibilis. Etsi enim

sit

roinis ac Regibus. Audacius fortè loquor, quàm deceat; & vereor, si pergam, ut transilire videar modestiæ fines, & temeritatis subeam notam: Dicam tamen, ut cœpi, aperteque proferam meas cogitationes. Sustinere ac tueri non potes, ô Reginarum maxima, quam concitasti expectationem summæ virtutis, nisi facinus hoc tuum post hominum memoriam clarissimum præclarioribus deinceps illustres factis, & novis miraculum commendes miraculis. Hanc tibi ipsa legem ac necessitatem imposuisti, ut tecum certes, teipsam vincas, tibi dominère, coronamque imponas tuo nomini, quam nec vis ulla, nec fatum, atque adeo ne tu ipsa quidem, ut maximè velis, eripere tibi possis.

PRÆTERITIO.

PRÆTERITIO *Figura est, quæ fit, cùm profitemur nos præterire, aut nescire, aut nolle dicere, quod tum maximè dicimus. Sunt enim quædam minùs honesta, aut nimis communia, aut leviora, quæ non nisi obiter perstringenda sunt.* Ut:

Sed jam stupra & flagitia omittam: sunt quædam quæ honestè non possum dicere; tu autem eò liberior, quod ea in te admisisti, quæ à verecundo inimico audire non potes. *2. Philip. 473.*

1. in Verr. 14. Nefarias ejus libidines commemorare deterreor, simul eorum calamitatem commemorando augere nolo, quibus liberos conjugesque suas, integras ab istius petulantia conservare non licitum fuit.

3. in Verr. 32. Nihil illi à me de pueritiæ suæ flagitiis audiet; nihil ex illa impura adolescentia sua; omnia præteribo quæ mihi dictu turpia videbuntur; neque solùm quod istum audire, sed etiam quid me deceat dicere, considerabo.

Ibid. Sileatur de nocturnis ejus bacchationibus; lenonum & aleatorum nulla mentio fiat; damna & dedecora prætereantur.

5. in Ver. 106. Nihil de illius luxuria loquor, nihil de insolentia, nihil de singulari nequitia ac turpitudine, tantùm de quæstu & lucro dicam.

Pro Cluentio 188. Mitto injuriam illam, mitto nefarias nuptias, mitto expulsam matrimonio filiam, nihil de ejus cupiditate queror.

7. in Verr. 34. Omnia vetera prætermittam; unum illud illustre notumque omnibus subjiciam.

Pro Sextio 7. Possem multa dicere de liberalitate, de ejus abstinentia, de cæteris virtutibus; sed mihi ante oculos observatur Reip. dignitas, quæ me ad se rapit, hæc minora relinquere hortatur.

Est aliud Præteritionis genus aculeatum & ironicum, quoties insectandus nobis est aliquis hoc ferè modo.

Non sum tibi ita inimicus, ut tua omnia hic facinora criminaque detegam, exponamque singulariùs, quibus vitam flagitiis inquinaris; quàm sæpè probrum castis, labem integris, infamiam bonis intuleris; quàm fueris in propinquos sceleratus, in amicos perfidus, in patriam im-

impius. Hæc omnia prætereibo, tui parentis gratiâ, cujus fui olim studiosus, nec ullo modo à me quisquam audiet te domum tui expilasse patrui, interfecisse patruelem, sustulisse veneno aviam, matrem non semel verberasse; hæc, inquam, non dicam, involvam potius æterno silentio.

Pudore deterreor, Auditores, nec ganeonis hujus impudici sordibus inficere Orationem meam, & vestras aures audeo. Vereor ut videar parum honestè loqui, si, quæ inhonestè fecit, subjiciam, tacebo ergò illa omnia. Neque etiam memorabo, quâ impudentiâ nuper in alienas ædes irruens, suis stipatus asseclis, exturbarit domo suâ dominum, paratas epulas abligurierit, lances, pocula, cæteraque vasa projecerit in vicum per fenestram mensas everterit, pavimenta vino resperserit, facibusque lectosubjectis temulentus prodierit foras. Hoc, inquam prætermittam, ne vestros animos offendam, & pudori meo vim inferem.

OCCUPATIO.

OCCUPATIO *Figura est, per quam ea, quæ ab Adversariis, aut ab ipsis Auditoribus objici possunt, prævertimus, vitioq; rationem facti distive reddimus. Hanc autem Exornationem his ferè formulis concinnamus.*

Quæret quispiam; cur respondit non interrogatus? Quid igitur? debuitne suo silentio fateri confictum crimen?

At enim quæ causa fuit, quod id temporis domi remaneret? Remansit, quia comparari sibi illo die insidias noverat.

At

At etiam sunt qui dicant cedendum esse tempori; præferendam quandoque esse honori vitam. Quis amens hoc dixit unquam? Quis adeò rationis expers hoc asserere audeat?

Verùm intelligo quid opponi possit, severiùs non esse agendum cùm adolescentibus, ætati indulgendum. Itàne vero, si admissis libidini habenis feratur in omne nefas adolescentia, indulgendum est?

Video quid dicturus sis; coactus, inquies, hoc crimen patravi. Quis coëgit? Quis afferre vim potuit voluntati tuæ?

Atque etiam jactare audebis, liberalitatem in illo esse summam. O Deus immortalis! Hoccine est liberalem esse, collectum per multos annos patrimonium uno die in lustris ac popininis profundere?

Sed audiamus Tullium hac Exornatione depellentem, quod ab Judicibus objici poterat ipso statim Orationis exordio, (nam in Exordiis maximè hujusmodi Figura locum habet, ac præsertim in causis Judicialibus, ad evellendas ex animis Judicum suspiciones, quæ reo nocere possent) ut sic semoto obice liberiùs in causam invehatur.

Prō Sex. Rosc. Amerino, 1. Credo ego vos, Judices, mirari, quid sit, quòd cùm tot summi Oratores, hominesque nobilissimi sedeant; ego potissimùm surrexerim, is, qui neque ætate, neque ingenio, neque auctoritate sim cum iis, qui sedeant, comparandus. *Deinde causas affert, cur ad dicendum accesserit, relicto Exordio.*

Eodem ferè modo suam divinationem in Verrem auspicatur, dum instituti sui causam redditurus, cur præter morem, & contra quam viri gravis offi-

officium postulare videbatur, se ad accusandum contulerit, sic ait:

Si quis vestrûm, aut eorum qui adsunt, fortè mirecur, me, qui tot annos in causis judiciisque publicis ita sum versatus, aut defenderim multos, læserim neminem, subitò nunc mutatâ voluntate ad accusandum descenderim, is, si mei consilii causam rationèmque cognoverit, unà, & id quod facio, probabit, & in hac causa profectò neminem præponendum esse mihi actorem putabit. *Tum rationes subjicit, quæ illum ad id impulere.* *1. in Ver.*

Idem, Cœlium defendens, sic amolitur quod sibi objicit.

Dicet aliquis: Hæc igitur est tua disciplina? Sic tu instituis adolescentes? Ob hanc causam tibi hunc puerum parens commendavit & tradidit, ut in amore & voluptatibus adolescentiam suam collocaret, & hanc tu vitam & studia defenderes? *Tum deinde respondet sibi, multa de voluptate disputans.* *Pro Cœlio, 9.*

Sed longè præclariùs, in Verrem agens, occupat infirmatq; ea, quæ respondere poterat Hortensius, Verris Patronus.

Quid agam? *inquit*, quò accusationis meæ rationem conferam? quo me vertam? ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidam boni nomen Imperatoris opponitur. Novi locum, video ubi se jactaturus sit Hortensius: belli pericula, tempora Reip. Imperatorum penuriam commemorabit; tum deprecabitur à vobis, ne patiamini talem Imperatorem populo Romano Siculorum testimoniis eripi, neve obteri laudem Imperatoriam criminibus avaritiæ velitis. *7. in Ver. 2.*

PRO-

PROSOPOPOEIA.

PROSOPOPOEIA *est personæ Effictio, quâ rebus mortuis ac sensu carentibus sermonem accommodamus; aut cùm absentes tanquam præsentes, vita functos tanquam spirantes ac loquentes inducimus. His autem formulis figurari fermè solet hæc Exornatio.*

Pro Cælio 23. Existat ex ipsa familia aliquis, ac potissimum cœcus ille, qui profectò si extiterit, sic aget, & sic loquetur: Mulier, quid tibi cum adolescente? &c.

Pro Balbo 44. Existat ergò vir ille parumper cogitatione vestrâ, quoniam re non potest, ut conspiciatis eum mentibus, quem oculis non potestis. An non ita loquetur?

Pro Plancio. Qui populus, si tecum congrediatur, & una voce si loqui possit, hæc dicat: Ego tibi illum non ante posui, &c.

1. in Catil. 27. Etenim si mecum patria, si cuncta Italia, si omnis Respublica loquatur: Marce Tulli, quid agis? Tunc eum exire patieris? &c.

Ibid. 18. Patria tua tecum, Catilina, sic agit, & quodammodo tacita loquitur: Nullum jam tot annos facinus, nisi per te, &c.

Tull. in Anton. Quod si nunc ille Brutus reviviscat, & hîc ante pedes vestros adsit, non hac uteretur oratione? Ego Reges ejeci; vos tyrannos introducitis? Ego, &c.

Tam illustris Figuræ demus Exempla varia.

PRO-

PROSOPOPOEIA.
Linguæ excisæ.

Lingua hæc illius est adolescentis Christiani, qui tyranni jussu in horto amœnissimo super herbam floribus pictam reclinatus constrictusq; introductæ meretricis in os impudens præcisam mordicus linguam expuit. Porrò quamvis excisa sit hæc Lingua, format tamen in verba voces, sicque vos, Adolescentes, alloquitur.

Adeste mollitie languidi, fracti confectique voluptatibus, huc adeste; huc effœminati aures animosque advertite. Illud ipsum os intuemini, quo expulsa sum; dentes, quibus exsecta, spiritum illum, quo vibrata; divinam illam vim, qua ejecta immissaque fui in os luxuriosæ mulierculæ. Ejus, ut impura, purissimum os meum respueret oscula, suam me linguam expuit, cruentari morsu malens, quàm suavio pollui; pulchroque vulnere fœdari, quàm turpi complexu; & sanguine rubere, quàm admissi pudore flagitii & elingue mutumque reddi, quàm obscœnum. At, nequaquam id futurum est unquam meum, ô crudele juxta, piumque Os; Elingue quidem deinceps eris, at non mutum; tametsi enim loqui sine me nequeas, eloquar ego tamen sine te, tuasque prædicabo sine voce laudes, & celebrabo pudicitiam. Utque me vox spiritusque deficiant, & præstare tibi non valeam officium Linguæ. Calamus fiam, agitaboque me in hoc florulento gramine, & cruore, à meo vulnere in terram stillante, purpureosque pingam characte-

res nulla oblivione delendos, scribamque inauditum facinus, numquam nisi cum admiratione legendum.

PROSOPOPOEIA.

Anni proximè elapsi.

Revocemus lapsum retrò tempus, si possumus; & tanquam è communi rerum caducarum sepulchro excitemus Annum ab inferis, quem proximè vidimus lamentabiliter expirasse. Lamentaretur enim, hisque verbis nos objurgaret, si loqui posset.

Amentes, inconsulti, stupidiores pecudibus homines! Quæ malorum vos intemperies transversos agunt? Siccine momenta temporis, quo nihil pretiosius est, effluere finitis? Sic horas, sic dies & menses, ipsosque etiam Annos ignave stolideque collocatis? O stultitiam incredibilem! Annus ego, qui nuper abii, quem nuper obiistis tam negligentèr, concessus vobis singulari Dei beneficio fueram, ut ope mea exiguis mortalis hujus vitæ laboribus immortalem gloriæ fructum referretis; Et tamen consumpsistis me, proh pudor! quibus in rebus? dicamne? vix audeo, dicendum tamen, quando mihi etsi mortuo loquendi facultas tribuitur: In nugis, heu! in otio, in puerilibus ineptiis me consumpsistis, per summam incogitantiam & inertiam. Leviora hæc sunt. Me insuper turpissimarum luto libidinum conspurcâstis, atque in omni flagitiorum dedecore volutatum raptatumque per scelera mirabiliter contrivistis. Egimus Annum, inquitis faustum, prosperumque vobis ipsi

meam

meam jacturam, vestramq; perniciem, quæ vecordia vestra, aut impudentia est, gratulamini. Egistis sane me scelesti, at quoniam tandem? dicite; quæ loca? quæ ad flagitia me adegistis & egistis? ad ganeas, ad lustra, ad effusas libidines, ad omne nefas. Hæccine verò illa est, mesana capita, gratulationis materies, ut quem vivum adhibuistis Annum tam turpiter, de mea indignissima morte gaudeatis?

PROSOPOPOEIA.
Bonorum, quibus homo utitur.

Resiste, ô quisquis es, qui nimio rerum creatarum amore flagras, paucis te volunt bona illa, quæ possides, aures præbe paulisper illorum querelis, dum tecum de te sic expostulant.

Quid agis amens? quò inflammata cupiditate raperis? quid in nostros amplexus lutulentus ruis? Ah furorem inhibet tantisper: formosa sumus? tu deformis; nos nitida, tu sordibus; omnibus nos perfecta numeris, omni tu vitiorum labe turpis; nos deniq; bona, tu malus es. Si vis tuis nos famulari commodis, & obsequi voti, & necessitati servire, & velificari delitiis, utiliaque tibi esse ac bona, esto etiam tu ibi ipsi Bonus: Nos, si bonos cupis habere famulos, te vicissim Dominum quidem cupimus habere, sed bonum. *Ex S. August.*

Si tecum agunt, quæ amas, vitæ bona, homo inconsideratissime; his te interpellant obsecrantque vocibus: quibus si occludis aures, audi saltem, quas ad Deum Dominumque tuum querimonias deferunt.

Effe-

Effector rerum omnium præpotens, & sapientissime moderator; Quosque nos, Bona tua, quæ fecisti, & quæ laudasti ut *valde bona*, servire patieris tam malis dominis? Cur ancillas pulcherrimas fœdissimorum hominum servitio mancipasti? Ideone splendorem nobis inseruisti ac pretium, ut obscœnis vilissimisque homunculis & mulierculis elegantiam dignitatemque conciliaremus? Ideone voluisti nos esse Bona, ut amaremur duntaxat à malis, ut à solis possideremur improbis?

RETICENTIA.

RETICENTIA *eadem fermè Figura est, quæ* Præteritio Ἀποσιώπησις, *Græcè dicta, cùm scilicet dictis quibusdam sermo abrumpitur, neq; perficitur, quod dici cœptum erat.* Ut:

4. ad Tu istud ausus es dicere, homo omnium mor-
Herenn. talium sceleratissime! quæro, quonam te digno
41. moribus tuis appellem nomine?

Ibid. 13. Tu istud nunc audes dicere, qui nuper alienæ domui, non ausim dicere, ne cùm te digna dixero, me indignum quippiam dixisse videar.

Huc pertinet illud Virgilianum de Neptuno:

1. Æn. *Jam cœlum terramq; meo sine Numine venti*
Miscere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego! sed motos præstat componere fluctus.

SERMOCINATIO.

SERMOCINATIO *seu dialogismus est ficta personarum collocutio, sive solus unus loquatur,*

quatur, sive plures inducantur simul colloquentes.

Exemplum habet illustrissimum Cicero, quo probat credibile non esse, virum honestissimum esse mentitum. Illud omitto, quia paulò longius, & aliud subdo in argumento venustiori figuratum. *Orat. pro Cocmœdo 48.*

Assentatio ludificata.

Mercator locuples, non auro minùs quàm ætate gravis, filiam habebat nubilem & unicam. Eam cum nuptui tradidisset adolescenti nobili, pro dote bona sua donat omnia. Peractis nuptiis gratulantur sibi novi conjuges insperatam felicitatem: illa, quòd viro nupserit illustri genere; hic quod duxerit uxorem benè nummatam. At non item gratulatur sibi senex; angitur contrà intimis sensibus, dementiamque deflet suam; haberi se ludibrio, secum ipse queritur, se contemni indignum in modum à filia, generoque; sic ut ne aspectu quidem dignentur obvium. Nec abjicit tamen spem omnem levandæ ægritudinis. Consilium hoc init callidum, Amicum adit, quem postea quam salutavit, quo in loco suæ sint res, docet; & quod excogitârit, simul aperit. Ac nummos, inquit, in hanc rem non paucos commodo, in paucos dies. Libenter, inquit ille: En, depromè ex hac capsula quantum voles. Summam iste capit non levem, domumque redit plenus spei maximæ. Vix ingressus cubiculum, generum audit suum scalas domûs ascendentem. Abdit se in suum conclave senex; utpote tinnitu pretioso inescet hominem, effundis aureos

aureos in mensam, & numerare nummos altâ voce, claroque sono incipit: Ad sonum monetalem accurrit ille, auscultat præ foribus, miratur, inhiat. Denique egreditur senex; cui iste? Unde, inquit, mi pater, tam densus tibi defluxit imber aureus? Quota, respondet, hæc summa est ex iis, quæ debentur mihi? Hanc à debitore recepi hodie, mutuo daturus ex amicis cuipiam. E vestigio uxorem ille adit, &, ô nos amentes, nimiumque credulos? vetulus noster etiamnum affluit auro. At illa: Quid ais? auro affluit? faxo, ad nos brevi totum refluet, quantumcunque est; non si in arcem ejus area vertatur, impressionem sustineat. Nec plura; ad patrem evolat, vultum ad blanditias componit, nectarea tota fit melleis verbis & osculis parentem salutat. Ut vales, inquit, mi pater optime, mea faustitas aurea, & felicitatis aurora, ô meæ vitæ gaudium! ille dolum dolo excipiens, valeo, inquit; te advenisse gaudeo id temporis; volo enim testamentum condere, teque scribere hæredem summæ cujuspiam. Beas me, inquit, illa; at cur me id celaras, pater, filia tua fui observantissima, quæ te his oculis plus amo? Nimirum, ait senex, non omnia sunt quovis evulganda tempore: tabellionem accerse; protinus accersitur; facit ille testamentum; summo deinceps honore colitur; moritur demum, sumptuoso effertur funere; aperto testamento patet fraus; seque delusos dolent dolosi conjuges.

SUB-

SUBJECTIO.

SUBJECTIO *Figura est, quâ Orator vel interrogat seipsum, & respondet sibi; vel cùm alium interrogat, non expectat responsum, sed aliud de suo addit. Vide, quàm multifariè fingi possit, in his exemplis, vel à Tullio petitis, vel ad ejus imitationem compositis.*

Quam afferes excusationem absentiæ tuæ? fuisse de morbo impeditum? at valebas; ut cum optimè negotiis distentum? at ludendo contrivisti diem totum.

Quare venenum dare vellet? ne aurum red- *Cic. pro* deret; num petivit? nec crimen hæreret: num *Cœlio.* quis objecit?

Tu meam domum religiosam facere potui- *D. Ha*-sti? Ecqua mente? quâ invaseras: quâ manu? *rusp.* 33. quâ disturbaras: quâ voce? quâ incendi jusseras: quâ lege? quam non scripseras, &c.

Non appellabitur hostis Reipublicæ, qui leges violarit? tu rescidisti: qui Senatûs auctoritatem contempserit? tu oppressisti: qui seditiones foverit? tu excitasti.

Quis virtutes indagavit, vitiaque expulit? annon vitæ Philosophia dux? Quis dissipatos homines in societatem vitæ convocavit? nonne Philosophiæ disciplina? Quis urbes peperit, leges invenit? nonne magistra morum Philosophia?

Quanta est, Deus immortalis! humanæ mentis pertinacitas! quàm celeres ingenii motus! vis pervadat terras ac maria? jam pervasit. Jubes in cœlum evolet? jam evolavit. Cupis de-

 tinere?

tinere? non potes. Quos enim obices objicies? pone terræ molem, penetrabit: oppone oceanum, transiliet: Mundum ipsum universum objice, momento superabit universa.

Quonam pacto hunc reum defendes? Avaritiæne crimina frugalitatis laude deprecaberis? at nemo illo nequior, nemo libidinosior extitit. An dices, virum esse fortem? at homo inertior ignaviorque proferri non potest. At mores commodi: quis contumacior? quis superbior? At hæc sine cujusquam malo: quis acerbior, quis insidior? quis crudelior? unquam fuit?

Quid tam novum & inusitatum, quàm puerum duodecennem omnes omnium Poetarum tenere fabulas? tenet accuratè: Rhetoricæ disciplinam callere penitùs? penitùs callet: Dialecticæ argutias, & Jurisprudentiæ tricas didicisse? apprimè didicit. Quid tam incredibile, quàm id ætatis adolescentulum Latinam, Græcam, Hebraicamque Linguam habere probè perspectas cognitasque? habet cognitas. Quid denique tam admirabile, quam eo tempore, quo alii vix loqui expeditè sciunt, de Philosophiæ arcanis, & Theologiæ mysteriis coram celeberrimo cœtu doctissimorum hominum cum laude disputare? adversantium petitiones eludere? palmam referre? disputavit, elusit, retulit.

Dilatemus exempla duo in laudem Eloquentiæ, Geographiæ.

In Eloquentiæ laudem, Subjectio.

Hanc artium Reginam ipsamet Figura Subjectio in scenam aliquando à me inducta, ceu persona quædam, laudabat, sic eam alloquens.

Sisto me Regina flexanima, subjectissima tibi Figura Subjectio; ut si quid usquam est, quod tuæ nondum potestati fortè subjecerim, id totum nunc tuis pedibus accidens, subjiciam tibi atque submittam. Subjiciunt se quoque mecum Artes omnes, Disciplinæ, Scientiæ, Facultates; nihilque possidere se profitentur, quod tibi non subjectum velint. Triumpha igitur, ingeniorum Imperatrix, & voluntatis humanæ Domina, cùm nihil sit quod non plenè perfecteque subjeceris. Etenim quid nunc est, quod tuis viribus se opponat? An procax hominum in omne nefas effusissimorum protervia? at eam reprimis. An effrenatæ cupiditates ac libidines? at eas frangis? an juveniliter exultans superbia? at coerces. An audacia improborum? at cohibes. Flagitiosorum furores? at exarmas. Conscele-ratorum conatus? Non refutas eos solùm, sed rides. Quid? Homines fortè pertinaciter obfirmati resistent tibi? annon expugnas? Feri & agrestes? nonne mitigas? Immanes ac barbari? num eorum naturam versas, mentem torques, mores immutas, commoves animum, & in omnem partem convertis?

In Geographiæ laudem, Subjectio.

Cùm simus omnes sic à natura comparati, ut loca, in quibus nunquam fuimus, adeundi

miro desiderio teneamur; quid melius cupiditatem hac in parte nostram explere potest, quàm disciplina Geographiæ? aut quæ usquam regio est, quo per hanc artem nobilissimam liberè pergendi potestas non fiat? Vis longè latèque patentes terrarum tractus tempore brevissimo peragrare? jam peragrasti: excelsa montium juga conscendere? jam conscendisti agros oppidis collucentes, littora distincta vilis & urbibus perlustrare? jam perlustrasti. Optas steriles pervadere mutasque solitudines Africæ? Expetis usurpare oculis gemmeas Indici maris oras, aut amœnissimas Americæ regiones, auri argentique venis prædivites? hæc omnia, dum loquor, si tantisper ad Geographiam te convertas, pervasisti? intuitus es, obiisti.

SUSTENTATIO.

SUSTENTATIO *Figura est, quâ suspensos tenemus aliquandiu audientium animos, alia minora recensentes, & rejicientes, donec tandem id, quod quasi animo conditum servabatur, expromimus. Adhiberi autem solet hæc Exornatio, cùm explicaturi sumus aliquid inusitatum, admirabile, aut inexpectatum, nisi fortè quis jocari velit, aut movere risum, ut fecit Martialis hoc Epigrammate:*

Quòd convivaris sine me tam sæpè, Luperce,
Inveni, noceam qua ratione tibi.
Irascar, licèt usque voces, mittasque, rogesque:
Quid facies? inquis, quid faciam? veniam.

Quæ

Qua porrò ratione fieri hæc Figura debeat, præclaro te docebit exemplo Tullius, his verbis insectans infamem Verris avaritiam.

Causa dicta, servi damnati sunt. Quid deindè? quid censetis? furtum fortasse, aut prædam exspectatis aliquam? nolite usquequaque eadem quærere; in metu belli, furandi qui locus esse potest? Etiamsi quæ fuit in hac re occasio, prætermissa est. Tunc potuit nummorum aliquid auferre, cùm accusati sunt, at verò jam damnatis servis quæ prædandi potest esse ratio? produci ad supplicium necesse est; itaque producuntur, & ad palum alligantur. Etiamnum mihi expectare videmini, Judices, quid deindè factum sit? quòd iste nihil unquam fecit sine aliquo quæstu atque præda. Quid in ejusmodi re fieri potuit? quod commodum est? Expectare facinus quàm vultis improbum, vincam tamen expectatione omnium. *Tum subjicio, quo pacto Verres pecuniâ corruptus reos solvi jusserit. Subjiciamus & nos alias ejusdem Exornationis ideas.* *in Verr. 10.*

Honor doctis exhibitus.

Audite, quanto fuerint olim in pretio literæ, quibus homines doctos honoribus ornârint non ipsi modò Reges, sed Tyranni, Platonem Syracusas venientem excepit Dionysius tyrannus; at quâ pompâ? quo apparatu? quâ humanitatis magnificentiâ, & significatione benevolentiæ? Expectatis hìc forsan ei vias fuisse cylindro æquatas, ut Caligulæ? aberratis: aureis persperſas ramentis, ut Commodo? hallucinamini: floribus constratas, ut Heliogabalo?

nihil minus. Quid igitur? Accipite, atque suspicite. Platonem ipsum aureis vehentem quadrigis, aurigans ipse Dionysius, ut urbem triumphabundus introduxit. O splendorem literarum eximium! ô illustrissimum doctrinæ decus! (*Nam huic Figuræ Exclamatio aptè subnectitur.*)

Imperatoris ignavia.

Ducis hujus invictissimi magnitudinem animi, incredibilemq; generositatem demiramini. Videte, quantum finitimis populis terroris injecerit; quâ fortitudine inierit prælium? quantâ felicitate debellârit. Audierat per exploratores hostem celeritate usum, aliquot loca improviso adventu cepisse, jamque oppugnari regni munitissimum oppidum. Ad eum repellendum colligit totum robur Imperii; quis ei victoriam non despondeat? Conscribit numerosum exercitum: quis non pertimescat? Vim tormentorum maximam rotat: quid formidolosius? Copias explicat, buccinæ concrepant, tympanorum ac bombardarum horrifico strepitu omnia latè loca personant: quis obsidionem solvendam non crederet? Denique magnis itineribus contendit ad illud oppidum universo exercitu. Quid deinde sequitur? Ubi in conspectum venit, viditque è stationibus suis erumpentes armatorum globos, accingentium se ad certamen, illicò receptui cani imperat, ipse admissis equo calcaribus primus omnium arripit fugam. O præclarum Imperatorem non tantùm cum Scipionibus & Alexandris conferendum, sed etiam si Superis placet, anteponendum.

Ira-

Iracunda fœminæ facinus.

Hæc nuper fœmina ancillulam cùm ferire vellet, idque non posset commodè, quòd manus haberet impeditas (tenebat enim alterâ speculum, alterâ gemmeum torquem & armillas aureas) quid illam fecisse putatis? Speculum illud, dicet aliquid, in ejus caput impactum, fortè comminuit? nequaquam; nam pretiosius erat, quàm ut tam levi de causa frangeretur. Quid? num pede illam percussit, aut cubito? nimis hoc usitatum est vulgare. Quid igitur facere potuit? neque enim alia videtur esse ratio explendæ iracundiæ, aut doloris ulciscendi. Imò alia est, sed insolita ac nova. Nimirum, dentibus rem agere instituit. An tu dentibus? quonam verò modo, dicam, accipite. Puellam, quæ à tergo erat, ejus ut capillos comeret, coram venire jubet, paret illa: tum verò humanissima hæc mulier in ejus os rostro plusquam canino irruens, nasum impetit, miseramque denasasset dubio procul, nisi avertens opportunè ancilla vultum, pro naso obtulisset aurem, quam furia penè totam mordicus abstulit. O nequitiam inauditam!

Impudicæ fœminæ flagitium.

Fingite animo facinus quàm vultis horrendum & execrabile, cogitate quidquid immanitatis & turpitudinis ad omnem intemperantiam erudita moliri solet impudentia, vincet hujusmodi fœminæ flagitium cogitationem vestram. Nolite hic proinde refricare memoriam parricidiorum, incestuum, sacrilegiorum, quæ aut ab historicis conscripta, aut Poetis

quæ Orationis partes ita delicatè committunt, ut ipsæ commissuræ vix appareant. En tibi nonnullas de usitatioribus connectendi formulas primùm particulas quasdam huic rei inservientes.

Ad hæc, illud etiam considerandum nobis est.

Adde his; Accedit his; Accedit ad hoc. Huc accedit, quæ ille gessit in exercitu.

Huc pertinet; Eodem pertinet: His finitimum est; Huic proximum est: illud, &c. ad hunc ordinem referendum est, quod domo contigit.

Jam verò quid referam? &c. Age verò, explicemus nunc, &c. Quid? quod suos etiam incessit?

Nihil jam dico de illo scelere: Omitto domesticas ejus sordes. Nam illud quid attinet commemorare?

Sed hæc de particulis connectentibus; nunc ad quasdam Transitiones transeamus, è variis Rhetoricæ Locis deductas.

Sed hæc utcunque ignoscenda illud quis ferat!

Audistis gravissima, sed audietis graviora.

Sed hæc privatim; nunc quæ publicè gesta sunt videamus.

Sed hæc juvenis peccavit, nunc senis virtutes audietis.

Quid his immoror; ad id, quod est hujus causæ caput festinet Oratio.

Habes quid in illum contulerim beneficiorum; nunc quam gratiam mihi retulerit, accipe.

Phil. 84. Sed hæc vetera, illud autem recens, Cæsarem meo consilio interfectum.

Sed ne fortè ex multis rebus gestis M. Antonii rem unam pulcherrimam transiliat Oratio, ad Lupercalia veniamus. Nam dissimulat, Patres conscripti, apparet esse commotum, sudat, pallet.

Ibid. Sed arrogantiam hominis insolentiamque cognoscite.

Ibid. 16. At etiam ausus es; quid autem est quod tu non audeas?

Pro Sextio 13. Ad ejus Tribunatum, qui ad sese jam dudum vocat, & quodammodo absorbet Orationem meam, contento studio cursuque veniamus.

Phil. 2. 10. Sed nimis multa de nugis, ad majora veniamus.

Sed nos pariter nimis multa de his Figuris, ad aliam hujus libelli partem veniamus, & de Amplificatione jam disseramus.



PROGYMNASMA IV.

DE

AMPLIFICATIONE.

AMPLIFICATIONIS nomen non hic ego cum Cicerone intelligo graviorem quandam Affirmationem, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem, & quæ nonnisi ad magnas gravesque causas adhibetur;

tur; hæc enim Tyronum, quos informare volumus, captum excedunt: Sed cum Isocrate artem illam intelligo, quæ ex parvis ampla, (unde *Amplificationis* nomen deductum est) ex angustis extensa & lata, (ex quo *Dilatatio* nuncupatur) ex coactis compressisque diffusa & explicata fiunt; unde etiam rei *Explicatio* dici potest. Atque hoc ipsum est, quod hic explicandum suscepi, quodque ut ordinatè fiat, trifariam hoc Progymnasma dividam; ac primùm Præcepta quædam, sed pauca; tum Rationem Amplificandi; denique Exempla quædam Amplificationum proponam.

SECTIO I.

Amplificationis Præcepta.

I.

AMPLIFICARE, non est inani verborum exaggeratione rem augere supra modum, eique plus attribuere, quam veritas concedit; alioqui non video quid discriminis esse possit inter Amplificandum & mentiendum: Sed

II. Amplificare quidpiam dicimus, quoties ea, quæ insunt in ipsa re, aut affinitatem habent cum illa, expromimus dicendo, subjicimus sub aspectum. Sic suas Propola merces amplificare dici potest, cùm, quæ habet variis in cistellis recondita, convoluta & complicata, evolvit & disponit ordinatim singula, exponitque in officina suo quæque loco.

 Simi-

Similiter Orator dilatare dicitur aliquid, cùm ejus partes omnes, alias aliis insertas ac permixtas explicat; ut singulæ appareant, & suum ab aliis segregatæ seorsim obtineant locum. Quod planiùs ut fiat. Adverte.

III. Nullum esse argumenti genus, nullam sententiam, propositionem nullam, quæ, cùm sit quoddam totum seu physicum, seu morale, partes non habet suas, vel physicas & veras, vel morales, hoc est, cogitatione distinctas. Primi generis partes habet hæc propositio: ORBEM PERAGRAVIT UNIVERSUM. Orbis enim veris partibus constat, terrâ scilicet ac mari, provinciis, regnis, variis regionibus. Secundi generis partes habet ista: CAINUS FRATREM INTERFECIT. Nam execrandi hujus facinoris partes saltem animo distingui inter se possunt; Adjuncta nimirum singula, quas vulgò *Circumstantias* dicimus, cujusmodi sunt: Persona, locus, tempus, instrumentum, finis, &c. quæ huic sceleri sunt loco partium. Observa porrò.

IV. Cuivis pronum esse *veras* ac naturales partes totius cujuspiam invenire, quod nimirum cadant sub oculos; at quas *Morales* diximus, non ita facilè deprehenduntur: quippe quæ ab ingenio nostro pendeant, & mentis acie quasi producantur. Itaque requiritur ratio quædam, qua faciliùs investigari & inveniri queant. Hanc verò rationem docet Rhetoricæ ars, quam tibi ut hoc loco tradam, verbis paucissimis adverte.

V. Præcipuos quosque Rhetoricæ Locos, unde Amplificationes petuntur, reduci posse ad

Locum

Locum illum unum, qui *Enumeratio* seu *Distributio partium* appellatur. Quæcunque enim amplificationes fiunt à locis singulis, nihil aliud sunt, quam *Enumerationes* vel Definitionum, vel Adjunctorum, vel Antecedentium & Consequentium, vel Contrariorum & Repugnantium, vel Similitudinum & Exemplorum, &c. quæ Definitiones, Adjuncta, Antecedentia, aliaque id genus non sunt nisi partes illius compositi, seu Propositionis, quam amplificandam suscepimus. Id ut pateat vel ipsis puerulis luce clarius, superesse tantùm videtur, ut

VI. Exempla quædam brevissima ad dictorum confirmationem adducam. Sic igitur dilatione propositio:

Flores oblectant.

Ab Enumeratione Definitionum.

Nihil dicam de verbo, oblectant; *solum ejus Nominativum*, Flores, *dilatabo, à Florum Definitionibus, quæ sunt tanquam partes illius nominis.*

Flores exquisitissima naturæ omnium parentis ornamenta, ocelli hortorum exanimes, odorifera telluris astra, molles vivæque gemmæ, nectareæ roris & mellis officinæ, Nympharum decor & amores, sedes Gratiarum, blandimenta Cupiditatum, amœnitatum omnium illecebrarumque puriorum picturatæ pyxidulæ oculos odoratumque incredibili delectatione demulcent.

Rempublicam conservavit Cicero.

Ab Enumeratione Partium.

Cùm perditissimorum hominum nefarios conatus repressit in consulatu, audaciamque refutavit, M. T. Ciceronis summa vigilantia, & divina dicendi vis; Senatûs auctoritatem debilitatam ac propè oppressam erexit, Patritiorum ordinem amplissimum splendori reddidit, Equites Romanos asseruit in libertatem, plebem vindicavit à servitute crudelissima, ignem ab ædibus prohibuit, sacrilegia & rapinas arcuit ab aris & templis, à mœnibus ruinam avertit, tyrannidem repulit à Curia, vim à fœminis, ferrum à viris, calamitatem propulsavit ab omnibus, peste præsentissimâ Italiam liberavit, Rempublicam denique universam jam præcipitantem & in certum ruentem exitium invicto robore sustinuit, mirabili solertiâ excitavit, & in pristinum summæ dignitatis gradum restituit.

Vides tibi recensitas Partes Reipublicæ singulas.

Judas prodidit Christum.

Ab Enumeratione Adjunctorum.

Partes illius Propositionis hæc Adjuncta sunt. Quis *prodidit?* Quem, Quibus, & Cur *prodidit?* Quibus auxiliis, Quomodo, Ubi, & Quando *prodidit? Ex quibus omnibus in unam collectis longiorem periodum proditionem illam sic expones.*

(*Quis*) Immanis ille furcifer ac latro, tetrum illud horribileque hominis monstrum, ex omni

scele-

scelere concretum, ex omni coagulatum malitia, vilissimus ille, detestabilisque servus, homuncio, transfuga; (*Quem*) Ducem, Dominum ac Deum suum, omnis sanctimoniæ fontem, omnis thesaurum sapientiæ, hujus universitatis Effectorem, summumque arbitrum; (*Ubi*) in horto divinis dudum ipsius vestigiis, precibus ac lachrymis nunc etiam fuso humi sanguine, recens consecrato; (*Quando*) hac eâdem nocte, qua post celebratam cum illo cœnam lutulentos ejus pedes Christus ipse abluerat, & exterserat; (*Cur*) œstro avaritiæ percitus, turpissimâ pecuniæ cupiditate stimulatus & incensus; (*Quomodo*) non apertâ vi, sed dolo irruens, non denuntians palam bellum, sed pacem simulans fictâ salutatione, pestilenti complexu, atroci osculo; (*Quibus*) nefandæ carnificum cohorti quibus stipatus erat, & infensissimis inimicis ejus vitæ jam diu insidiantibus, per inauditam execrabilemque perfidiam vinciendum, excruciandum, ac contrucidandum objecit.

Mitto hic enumerare Locos alios: ex his enim tribus Exemplis satis perspicuum fieri puto, quod suprà dixi; videlicet, omnia Amplificationum capita ad unam Enumerationem Partium referri posse. Alia qui volet Exempla, suo loco inveniet benè multa, omnisque generis.



SECTIO

SECTIO II.

Amplificandi Ratio.

SEquitur, ut post Præcepta, Amplificationis Usum docearis, quâ videlicet ratione quodvis argumentum dilatare debeas, facilique negotio possis. Hæc Rhetoricæ pars est ut omnium præstantissima, maximèque necessaria ita etiam difficillima. Meum est difficultates amovere, aut certè minuere; quod spero me consecuturum, si à me dicenda modo, diligenter perpenderis.

Ad amplificationem duo requiruntur: Materia & Forma: hoc est, ipsæ Res seu Argumenta, quibus ad aliquid probandum utitur, & Modus seu Ratio, quâ res illæ argumentis pertractantur.

Exempli causâ. Sententia hæc tibi probanda & amplificanda proponitur: *Pigritia est fugienda.* Ut injunctum munus exequi valeas, duo tibi præstanda sunt. Primò, invenienda sunt Argumenta plurima, quibus conficias, Pigritiam esse fugiendam. Secundò, scire debes qua ratione inventa illa Argumenta eleganter & ornatè tractanda sint. Utrumque ut percipias, utrumque nunc enitar dilucidare pro virili, sequenti Capite.

CAPUT

CAPUT I.

Ars conquirendi & inveniendi Rationes & Argumenta.

HAnc autem triplici quaſi clave aperio tibi, triplicem explicando Modum inveniendi argumenta & materiam Amplificationis. Primus erit per Locos Oratorios. Secundus per Adjectiva Nomina. Tertius per ea, quæ ſenſibus objiciuntur. At nunc ordiamur à primo.

Primus Modus inveniendi Argumenta.

Per Locos Rhetoricos.

Primus hic Modus communis eſt & uſitatus, cùm ſcilicet conquiruntur Argumenta in Locis Rhetoricis, in quibus nimirum tanquam in quibusdam pyxidibus includuntur. Quemadmodum autem pyxidibus nartheciisque adſcribi ſolent earum rerum nomina, quas continent; ita hi Loci quibusdam notis indicant, quid in quoquo Loco quæri oporteat; v. g. hæc nota ſeu epigraphe, *à Definitione* oſtendit, inquirendas eſſe in illo loco Definitiones rerum, de quibus agitur. *A Notatione nominis*, inveſtigandum eſſe, quid rerum illarum nomina ſignificent. *A Diſtributione partium*, quibus partibus illæ conſtent, & ſic de aliis.

Obſervanda porrò duo ſunt. Primum, ex his Locis alios eſſe exiles plerumque, macros, ſteriles-

rilesque, è quibus vel nullæ, vel exiguæ rationes peti possunt; cujusmodi sunt, à *Notatione nominis*, & à *Conjugatis*: alios feraces, uberes, fœcundos argumentis; quales sunt, *ab Effectibus, à Contrario, ab Enumeratione partium*, &c. Secundum, non ex omnibus Locis ad quidvis probandum erui argumenta posse; Qui enim Loci ad rem unam confirmandam sunt perutiles, ad aliam probandam inutiles erunt: quod enim de ipso soli ingenio vulgò ajunt:

- - - Non omnis fert omnia tellus.

Sic non omnis Locus cuivis argumento rationes suppeditat. Itaque quod in agriculturæ arte faciendum esse monet Poëta, ut consideremus?

Virgil. 1. Georg. *Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuset.*

Propterea quod

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ,
Arborei fœtus alibi, atque injussa virescunt
Gramina.

Idem in hac Arte curandum est, & indagandum, qui Loci argumento, quod suscepisti, convenientiores sint, & qui minus idonei, ut his omissis diligentius excutias illos.

Ac jam exemplo ostendamus unico, qua ratione à singulis Locis Rhetoricæ Argumenta duci debeant.

CASTITAS.

Castitatem, virtutum pulcherrimam adeoque amabilissimam, à Locis illis communibus brevissimè sic evinco.

A Defi-

A Definitione.

Caſtitas, virtutum nitor, vitæ decus, lux honeſtatis, cœleſtis elegantiæ fons, puriorisque formæ formóſa frons, amorem veſtrum, Adoleſcentes, ac venerationem flagitat. (*Vides hic Definitiones Caſtitatis; vide jam Partes, in quibus illa relucet.*)

A Partium Enumeratione.

a Quid enim dignius amore veſtro? Oculorum aciem in ejus oculos advertite: Quid ſplendidius? frontem ſuſcipite: quid ſerenius? videte genas: quid ſuavius? cernite ſinum: quid pudicum magis? caput, collum, brachia, manus, totius demum corporis ſpeciem habitumque intuemini: quid, oro, ſpecioſius cadere ſub aſpectum poteſt?

a *Interrogatio Repetitioni conjuncta.*

A Notatione nominis.

Vel ipſum Caſtitatis nomen, quod dico, prædicat: (*Caſtitas à caſtigando dicta*) cum enim caſtiget illa, coerceat, emendetque proclivitates vitiorum, partes inſuper corporis ſingulas ad juſtum ſic exæquet modum, nulla ut forma abſolutior, nulla ſpecies caſtigatior eſſe queat pulchritudine Caſtitatis.

A Conjugatis.

b Ergò, qui hanc ambitis laudem caſtimoniæ, caſtam agite vitam, caſtè vos ubique gerite, nihil niſi caſtum, niſi pudicum verſet animus, lingua proferat, manus moliatur.

b *Apoſtrophe.*

(*Caſtimonia, caſtè, caſtum, Conjugata ſunt.*)

A Ge-

A Genere & Forma.

Magna quidem species Virtutis ac dignitas est; & omnium hominum decus & gloria: at illius speciei nitor, dignitatique claritas, & illius gloriæ splendor an non est Castitas? *Virtus est genus, Castitas est forma, seu species sub illo contenta.*

A Simili.

Certè ut cæteros vincit flores candore ac decore lilium; ut stellas fulgore obscuras suo Luna: sic pulchritudine videtur Castitas cæteris virtutibus anteire. (*Similitudo patet.*)

A Dissimili.

e Paronomasia. Utque nihil est e cœno voluptatum turpius ac contemptius; ita isto virtutum cœlo nihil augustius existit atque præstantius. (*Cœnum ac Cœlum dissimilia.*

A Causa.

In hoc cœlo ceu in throno suo sedet virgo Deus, castissimorum procreator mentium, (*en causa Efficiens*) quæ tametsi terrenis corporibus copulatæ (*en Materialis*) ab omni tamen contagione sensuum remotæ, labis prorsus expertes sunt, (*en Formalis*) quò puriorem in se perfectioremque divini Numinis imaginem repræsentent. (*en Finalis.*)

Ab Effectu.

Et verò repræsentat æternæ mentis supremam potentiam casta mens, ut cæteras sileam ejus laudes; cùm quod Deus semel effecit, nunquam non facit Castitas, illæsum præstans animum, non tantum corpus, medios inter ignes im-

impuræ fornacis furentibus exæstuantis libidinum flammis. (*Effectus ille Castitatis est admirandus.*)

A Contrario.

Iis nempe flammis, quas obscœna Cupiditas excitat, fovet, alit, incendit; ut quantum ab hoc vitio detrimenti manat ac turpitudinis, tantum ab hac virtute in nos commodorum & honestatis profluere fateamur. (*Illa Cupiditas obscœna Castitati contraria est.*)

Ab Antecedentibus, Concomitantibus, & Consequentibus.

Quidni verò id gloriosè fateremur in ejus gratiam, quam comitantur virtutes innumeræ, antecedit nulla! quam exquisitissimæ gratiarum dotes exornant; quam pretiosissima animi bona & ornamenta consequuntur, & in cujus unius sinum munera simul omnia confluunt, quæ singulas seorsim illustrant. (*Clara hic sunt omnia.*)

Ab Exemplo.

Testis est Regina Virginum, cui Castimoniæ decor incomparabilis tantum gratiæ, tantum majestatis aspersit, ipsum ut Opificem suum, & Effectorem mundi Deum traduxerit in sui amorem & admirationem, purissimoque sinu concluserit. (*Exemplum est Dei Mater.*)

A Comparatione.

Incomparabilem dixi decorem Castitatis; nam, quod cum illa comparem, nihil occurrit usquam: imo plurimæ sese mihi virtutes offerunt: quas ei componam, ita est. Sed nullam ex

ex iis unam reperio, quæ pulchritudinis laude, Castimoniæ, virtutum amabilissimæ, non concedat.

Habes hic Oratiunculam ab omnibus contentam Locis Rhetoricis; è quibus singulis singula ita duxi argumenta, itaq; inter se connexui, ut unum quasi corpus efficiant, cui pro Exordio esse potest primus Definitionis Locus, & pro Peroratione Locus Comparationis ultimus.

Secundus modus inveniendi Argumenta.

Per Adjectiva Nomina.

Modus hic à nemine, quòd sciam, indicatus, nihil quidem speciosum ipsa fronte præ se fert, spero tamen fore ut fatearis, nihil in hoc genere uberius & accommodatius tradi posse. Adverte modò animum.

Nihil est eorum, quæ in disputationem cadere possunt, quod bonum vel malum non sit; quod laude dignum non censeatur, aut vituperationi obnoxium. Illud tu, cujuscunque sit generis, si amplificare voles, argumentis propè innumeris habeto in promtu. *Adjectiva Nomina*, quæ vituperium vitiumque significant; ac tum singula inspice, & eorum sensum perpende; miraberis tot ferè tibi Argumenta objici pene non cogitanti, quod Adjectiva sumpseris. Id verò antequam declarem fusiùs, operæ pretium fuerit his attexere præcipuorum Adjectivorum Nominum Indicem, tum eorum quæ boni, tum eorum quæ mali cujuspiam significationem habent.

bent. Addam etiam, quæ in utramque partem accipi poſſunt, & tam laudi, quam vituperio communia ſunt. Adjiciam Subſtantiva quædam, è quibus item ut ex Adjectivis rationes deduci queant.

Index Adjectivorum Nominum ad Amplificandum aptiſſimus.

Adjectiva Laudis.

Admirabilis.
Amabilis.
Argenteus.
Aureus.
Auguſtus.
Beatus.
Bellus.
Blandus.
Bonus.
Candidus.
Caſtus.
Celebrandus.
Charus.
Clarus.
Clemens.
Comis.
Commodus.
Conſtans.
Contentus.
Deſiderabilis.
Diligens.
Divinus.
Doctus.
Dulcis.
Elegans.
Egregius.
Excelſus.
Fauſtus.
Floridus.
Fortis.
Gemmeus.
Generoſus.
Glorioſus.
Gratus.
Hilaris.
Honeſtus.
Honoratus.
Humanus.
Illuſtris.
Innocens.
Juſtus.
Laudabilis.
Magnificus.
Manſuetus.
Modeſtus.
Nobilis.
Obediens.
Officioſus.
Ornatus.
Perfectus.
Pius.
Politus.
Potens.
Præclarus.
Pudicus.
Pulcher.
Rarus.
Rectus.
Sacer.
Salubris.
Sanctus.
Sanus.
Sapiens.
Serenus.
Splendidus.
Suavis.
Sublimis.
Tranquillus.
Venerandus.
Verus.
Vigilans.
Utilis.

Sub-

Substantiva Laudis.

Adamas.	*Flos.*	*Rex.*
Agnus.	*Gratia.*	*Regnum.*
Ara.	*Laurus.*	*Religio.*
Astrum.	*Lux.*	*Ros.*
Cœlum.	*Odor.*	*Salus.*
Consolatio.	*Pax.*	*Sceptrum.*
Cor.	*Præmium.*	*Sol.*
Corona.	*Purpura.*	*Templum.*
Crystallus.	*Quies.*	*Thesaurus.*
Decus.	*Radius.*	*Victoria.*
Delectatio.	*Ratio.*	*Vita.*

Adjectiva Vituperii.

Accusandus.	*Durus.*	*Inanis.*
Amarus.	*Effœminatus.*	*Incommodus.*
Arrogans.	*Effrænatus.*	*Infamis.*
Asper.	*Egens.*	*Infaustus.*
Atrox.	*Fallax.*	*Infidelis.*
Austerus.	*Ferreus.*	*Ingratus.*
Barbarus.	*Ferus.*	*Injustus.*
Caducus.	*Flagitiosus.*	*Insidiosus.*
Cæcus.	*Fœdus.*	*Insolens.*
Callidus.	*Fœtidus.*	*Intemperans.*
Captivus.	*Funestus.*	*Intolerabilis.*
Contagiosus.	*Furax.*	*Inutilis.*
Contemptus.	*Furiosus.*	*Lethifer.*
Corruptus.	*Horridus.*	*Luxuriosus.*
Crudelis.	*Ignarus.*	*Malus.*
Damnosus.	*Ignavus.*	*Miser.*
Deformis.	*Immodestus.*	*Molestus.*
Demens.	*Improbus.*	*Mutabilis.*
Deplorandus.	*Imprudens.*	*Nocens.*
Desperatus.	*Impurus.*	*Obscurus.*

Odio-

Odiosus.
Parcus.
Parvus.
Pavidus.
Periculosus.
Piger.
Putridus.
Rebellis.
Rudis.
Sacrilegus.
Severus.
Sordidus.
Stupidus.
Tardus.
Temerarius.
Timidus.
Turpis.
Vanus.
Veneficus.
Venenosus.
Vilis.

Substantiva Vituperii.

Aculeus.
Bellua.
Bellum.
Bustum.
Cadaver.
Calamitas.
Carcer.
Catena.
Cœnum.
Colluvies.
Crimen.
Culpa.
Dæmon.
Damnum.
Dedecus.
Dolor.
Fax.
Fames.
Fel.
Fœditas.
Gurges.
Insidiæ.
Morbus.
Mors.
Odium.
Pecus.
Seditio.
Serpens.
Servitus.
Spinæ.
Strages.
Stultitia.
Tyrannis.

Adjectiva Communia.

Absconditus.
Abundans.
Adversarius.
Æternus.
Afflictus.
Amicus.
Aptus.
Ardens.
Armatus.
Audax.
Avidus.
Bellicosus.
Callidus.
Celer.
Credibilis.
Deceptus.
Delicatus.
Facilis.
Fertilis.
Fœcundus.
Immensus.
Immortalis.
Incensus.
Indignus.
Insatiabilis.
Insignis.
Levis.
Liber.
Longus.
Lugubris.
Magnus.
Mœstus.
Necessarius.
Niger.
Novus.
Nudus.
Patiens.
Perseverans.
Plenus.

Primus.	*Similis.*	*Vatum.*
Privatus.	*Solidus.*	*Venalis.*
Robustus.	*Tener.*	*Unus.*
Severus.	*Tristis.*	*Vulgaris.*

Substantiva Communia.

Arbor.	*Collectio.*	*Labor.*
Ars.	*Columba.*	*Lac.*
Arx.	*Compendium.*	*Lex.*
Aula.	*Cunæ.*	*Opinio.*
Basis.	*Cura.*	*Orbis.*
Calor.	*Delitiæ.*	*Pondus.*
Canalis.	*Fama.*	*Radix.*
Campus.	*Fax.*	*Rumor.*
Cardo.	*Flamma.*	*Speculum.*
Causa.	*Fons.*	*Via.*
Clavis.	*Fornax.*	*Voluptas.*

Ex his Nominibus Adjectivis præcipua hæc triginta:

Ad Laudem.

Beatus.	*Honestus.*	*Potens.*
Bonus.	*Jucundus.*	*Pulcher.*
Fortis.	*Justus.*	*Sublimis.*
Gloriosus.	*Nobilis.*	*Utilis.*

Ad Vituperium.

Fallax.	*Injustus.*	*Modestus.*
Fœdus.	*Inutilis.*	*Turpis.*
Incommodus.	*Miser.*	*Vanus.*
Inconstans.	*Malus.*	*Vilis.*

Communia.

Abundans.	*Difficilis.*	*Magnus.*
Facilis.	*Necessarius.*	*Parvus.*

Usum

Usum nunc à me requiris hujus Indicis? accipe. Ponamus, Orationem tibi de Pace scribendam esse, quid facto opus?

1. Colligenda sunt ea omnia, quæ ad illius laudem conferre possunt. Id assequeris autem levissimo negotio, percurrendo vel oculis, vel memoriâ, (si memoriter comprehensum habes Indicem illum; quod momenti esse duco maximi) percurrendo, inquam, *Adjectiva illa Laudis*, (cùm Pax per se laudanda & expetenda sit) nec non *Substantiva* lustrando, illis Adjectivis adjuncta, eaque sumendo, quæ magis argumento conducent, aliis omissis.

2. Si hæc non sufficient, indagabis etiam *Adjectiva communis significationis*; indeque pariter erues, quæ convenientiora videbuntur.

3. Si nec dum illa satis erunt, & à Contrariorum Loco (qui Locus ad probandum valet maximè) Pacem commendare voles. Expendes *Adjectiva & Substantiva Vituperii*, ut ostendas, carere Pacem malis illis omnibus, quæ per hujusmodi Nomina, significantur.

4. Quod observandum duxi, si *Pax*, aut quævis alia res laudanda sit: idem prorsus faciendum moneo, si *Bellum*, aliudve quidlibet sit vituperandum. At amabo, quàm multa censes ab hoc Indice tibi subministratura iri Argumenta? vix credas, nisi id oculis usurpes tuis, & tangas manu. Sit ergo, Exempli gratiâ, laudanda

VIRGINITAS.

Laudem Iliadem, & rationum sylvam supₑ

 pedi-

peditabit Index suprà scriptus, singula ejus vocabula excutere si noris hoc pacto.

Per Adjectiva Laudis.

Admirabilis. Virginitate quid admirabilius, quæ hominem Angelo simillimum reddit, quæ mediis in flammis illibatas servat ab igne nives? &c.

Amabilis. Virginitatis propria hæc laus est: ut enim nulla pulchrior, ita nec amabilior ulla est virtus. Hujus amore pellectus in terras ipse Deus est, in Virginis gremium, &c.

Argenteus. Sordet argenti nitor, & obscurus ejus est candor, hunc si virgineo candori conferas; adeò blande fulget, pretiosè radiat, amabiliter adblanditur.

Aureus. Quod in metallis aurum, hoc inter virtutes virginitas: eas enim splendore vincit, pretio superat, decore antecellit.

Per Substantiva Laudis.

Adamas. Si gemmæ sunt virtutes, quibus æternæ gloriæ diadema texitur! annon virginitatem omnium longe præclarissimam, illarum Reginam, & quasi adamantem esse dices?

Agnus. Agnum illum cœlestem sine macula sequuntur Virgines; quocunque ierit; ad ejusque nuptias & amplexum eas præcipuè vocari quis ignorat?

Ara. Cor nostrum ara est, odoribus jugiter fragrans, thure suavioribus, divinique amoris igne semper ardens, modò hunc ignem sacrum custodiat Vestalis Virginitas.

Astrum. Sublime à terra est, & cœlo proximum, lucidissimum, incorruptum, nulla teme-

temeratum nubecula: Quid virginitati similius?

Per Adjectiva Communia.

Absconditus. Verè thesaurus est hæc virtus, in agro humani corporis absconditus: eam servemus ergò pari curâ, qua thesaurus solet. O si paterent bona, quæ abscondit virginitas in casto sinu?

Abundans. Abundat Virgo omnium copiâ bonorum cœlestium, perennibus abundat gaudiis, delitiis abundat sempiternis.

Adversarius. Qui adversarius Virginitatis est, cum pariter necesse est adversarium esse rationis, virtutis hostem, honestatis inimicum, &c.

Æternus. Voluptates æternas, liquidas ac purissimas hæc Virtus percipit, quod turpes aversetur; obscœnas respuat, vanas contemnat, fluxus & caducas aspernetur.

Per Substantiva Communia.

Arbor. Felix arbor ac ferax Virginitas, in paradiso Dei consita, quàm suavis odoris flores effundit! quàm nectareos, quàm generosos, egregiique saporis fructus producit!

Ars. Hac Arte mirabili quæ non fiunt miracula! E spinis lilia leguntur; nives in igne durant; à corrupta radice incorrupti fructus progerminant.

Arx. Hanc Arcem quàm multi, quàm feroces, quàm importuni & scelerati hostes obsident! eâ expugnatâ conclamatum est: Amitti potest, recuperari nunquam potest.

Aula. Aula cœlestis est hominis animus,

religionis laude præstantis: sed hanc Aulam Virginitas pretiosissimo meritorum apparatu adornat.

His ita explicatis hoc jam restat, ut ea, quæ hic attexo, attendas, consideresq; diligenter.

I. Noluisse me totum lustrare Indicem, quod perfacile fuisset, verùm ex hac particula cuivis judicandum relinquere, quàm levi negotio reliqua nomina eidem argumento attribui possint, simulque docere, qua ratione id fieri oporteat.

II. Noluisse quoq; ex Adjectivis illis & Substantivis ea seligere, quæ Virginitati magis propria videntur, qualia essent inter Adjectiva: *Clarus, Constans, Fortis, Gloriosus, Nobilis, Ornatus, Pius, Pulcher, Rarus, Sacer, Utilis*, & alia plurima. Et inter Substantiva: *Cor, Crystallus, Decus, Flos, Laurus, Lux, Ros, Sol*, & reliqua omnia, quæ annotavi; sed ea sumsi, quæ primo loco occurrunt; ut hinc

III. Advertas, si Nomina illa à me sumpta tametsi disparata pleraque videantur, nec multum argumento suscepto congrua, non tamen inutilia fuêre; quid de aliis convenientioribus cogitandum sit.

IV. Neque mihi fuisse consilium afferre omnia, quæ de quaternis illis Nominibus Virginitati attributis dici potuissent; sed indicare tantum obiter, & quasi quoddam specimen inspiciendum exhibere, quo pacto, præscripto Indice Tyrones uti debeant. Nam hoc nomen, v. g. *Admirabilis*, non uni tantum lineæ, sed paginis implendis materiam sufficeret, si res & locus postularet. Idem de cæteris esto judicium.

V. Ac-

V. Accidere posse, ut nomina illa omnia convenire nequeant cuivis argumento, ideò seligenda esse aptiora. Monui autem jam antea Nomina Vituperii per Contrariorum oppositionem magno usui esse posse ad laudem, & vicissim Nomina laudis ad Vituperationem rei cujuslibet.

VI. Præfatum Indicem adjumento fore non Tyronibus tantùm, sed etiam peritioribus. His quidem longè utilissimum, ut qui lectione & usu magnam eruditionis supellectilem collegerunt, ipso Indice ceu clave depromendam. Illis autem non utilem modò, sed necessarium: quia etsi nondum sibi comparare potuerint illam rerum copiam: multa tamen suggerentur inter recensenda illa Nomina, quæ alioquin nunquam aut certè non sine magno labore ipsi objecta essent.

VII. Denique, quod in hoc de Virginitate argumento feci, in alia quavis materia posse præstari. Sed de his satis.

Tertius Modus inveniendi Argumenta.

Ex iis quæ cadunt sub oculos.

Tantò tertius iste Modus facilior est, quà secundus, quantò secundus facilior quàm primus est; neque enim hîc Indice aut memoriâ opus, sed solùm oculis. Ergò age, corporis ac mentis oculos modò aperi, & Modum illum perfecisti. Ac

Primò, revoca in memoriam quæ proximè de secundo Modo dixi: videlicet, quæcunque in quæstionem venire possunt, re-

duci posse ad duo capita: vel ad *Laudem* (quâ voce tam jucundum & utile quàm honestum intelligo; quidquid enim utilitatem parit aut voluptatem honestam, laudem meretur eo nomine) vel ad *Vituperium*; quo pariter vocabulo omnia quæ molestiam aut damnum quodpiam afferunt, comprehendo.

Secundo. Id ubi advertis ubicunque locorum eris, circumfer oculos, & quæcunque se aspectui objicient, considera. Sic enim habeto, nihil eorum fore, modò intendas pariter animi aciem, nec, quod ajunt, vigilans dormias; nihil, inquam, fermè eorum fore, quæ intueberis, ex quo argumentum deducere statim non possis, sine ulla prorsus contentione mentis.

Tertiò restat solummodò exemplum unum afferam, quo fiat, quod dico, meridianâ luce clarius: Laudanda sit DOCTRINA, simulque vituperanda IGNORANTIA, (quod de *Doctrina* dicam, idem de quavis re laudabili; & quod de *Ignorantia*, idipsum de mala qualibet re dictum puta.) Ac jam respondet: Esne domi, an rure? Domi sum. Quid in domo cernis? Cerno *Gradus*, *Januam*, *Mensam*, *Abacum*, *Aulæa*, *Sedilia*, *Lectum*, *Tabulas*, *Candelabra*, *Speculum*, *Fenestras*. Vis ex omnibus his argumenta petere, tum ad Doctrinæ laudem, tum ad vituperationem Ignorantiæ? singulorum usum & finem attende, eaq; ad tuum institutum accommoda in hunc ferè modum.

GRADUS. *Doctrinæ* opera quibusdam quasi Gradibus ad culmen honoris, ad gloriæ fastigium pervenitur. *Ignorantia* suos etiam habet gradus, quibus devolvitur homo ad infimam conditionem mortalium.

JANUA.

JANUA. *Doctrina* virtuti Januam patefacit; *Ignorantia* vitiis omnibus aditum præbet.

MENSA. *Doctrina* Mensam instruit cognitione rerum præclarissimarum, quibus tanquam cibis exquisitissimis animus reficitur; *Ignorantiâ* verò ceu fame acerbissimâ laborat humana mens.

ABACUS. *Doctrina* instar Abaci auro argentoque cælato ornati, ornamentum hominis est præcipuum; Doctrinæ siquidem beneficio in illius mente pretiosa scientiarum vasa resplendent, &c. At *Ignorans* vilis, pauper, inhonoratus & abjectus est, &c.

AULÆA. *Doctrina* velut Aulæis sumptuosis magnificisq; peristromatis vestitur & decoratur animus; qui per *Ignorantiam* quasi nudus paries, & inornatus deformatusq; contemnitur.

SEDILIA. *Doctrinæ* ope sedet homo velut in solio Judex ac Rex, de rebus omnibus sententiam ferens; *Ignarus* humi jacet, nec erigere se potest, ac belluarum in morem pronus in terram in cœno vitiorum sæpe se volutat.

LECTUS. *Doctrinæ* Lectus est, in quo suaviter quiescit animus; cujus quietis expers *Ignarus* est.

TABULÆ, seu IMAGINES. *Doctrina* Pictura est, omnia menti summa cum voluptate repræsentans; ejus Imaginibus insignitur & illustratur animus: Hoc omni ornamento caret *Ignorans*.

CANDELABRA. *Doctrina* eruditam multiplicemque parit lucem, idemque præstat in hujus vitæ tenebris, quod noctu Candelabra argentea, cereis instructa lucentibus: *Ignorans* perpetuâ est caligine circumfusus.

Speculum. *Doctrina* in Speculo quæcunque objicitur menti nostræ tam quæ à fronte, quàm quæ à tergo sunt, hoc est, futura juxta ac præterita clarissimè cernimus; nosque, quod caput est, ejusdem beneficio cognoscimus & contemplamur. *Ignorans* ne illa quidem videt, quæ usurpat oculis, nihilque minus novit, quàm seipsum.

Fenestræ. *Doctrina* menti est, quod ædibus Fenestræ: per illam non secus ac per istas illuminantur interiora, & exteriora prospiciuntur. *Ignorans* foris ac domi talpa est. *Sic de aliis philosophari licebit, si lubeat.*

Egrediamur jam domo, & rus petamus. Circumspice item, quæ observantur oculis. Quid vides? *Cœlum* video, ac *Solem*, *Montes* quoque, *Campos*, *Vias*, *Prata*, *Arbores*, *Flores*, *Fontem*, *Fluvium*, *Segetes*, *Feras*, *Aves*. Vis adhuc ab his rebus rationes varias invenire? investiga singularum naturam, qualitates, effecta, usum, finem, statimque non pauca tibi argumenta suggerent in hunc ferè modum.

Coelum. *Doctrinâ* illustratur hominis animus ut Syderibus Cœlum. *Ignorantia* atras menti nubes obducit.

Sol. *Doctrinâ* hoc mentibus est, quod Sol est oculis: utque mundus inter aspectabilia vitæ ac mentis expertia nihil habet Sole, sive ad speciem clarius, sive ad dignitatem præstantius, sive ad utilitatem melius; sic inter universa quæcunque non modò sub oculos, sed etiam sub cogitationem cadunt, obtinet Doctrina principatum. *Ignorantis* animus mundus est sine Sole, ac lucis expers.

Mons.

Mons. *Doctrinæ* operâ assurgit homo supra id omne, quod caducum & obnoxium est tempestatum & fortunæ injuriis, indeque tanquam è specula cuncta securus despicit, &c. quantum autem planities & valles infimas excelsissimi montes supereminent, tantum Eruditi *Indoctos* antecellunt.

Ager. *Doctrinæ* Ager est, virtutum omnis generis fundens fruges, si sapienter excolatur: *Ignorantis* animus nihil nisi carduos, noxiasque plantas effert.

Via. *Doctrina* ad immortalitatem nominis certissima & compendiaria Via est: *Ignorantia* verò ad ærumnas, ad dedecus Viam sternit.

Pratum. *Doctrina* instar Prati, quod herbescenti viriditate amœnissimè convestitum, floribusque distinctum varii coloris, mirificè pascit oculos, multiplici rerum intelligentiâ pascit mentem. Quid simile ab *Ignorantia* expectari potest?

Arbor. *Doctrina* quàm ferax, quàm felix Arbor! quales quantosque parit fructus! sed quàm multos? quis enumeret? *Ignorantis* animus infelix, sterilis, quid ero, producit?

Flores. *Doctrinæ* flores quàm suavem exhalant existimationis odorem! quàm omnibus jucundi ac mirabiles accidunt! Nihil floribus habet natura pulchrius; nihil habet homo Doctrinâ præclarius. *Ignorantia* non Floribus, sed vepribus abundat.

Fons. *Doctrina* Fontis instar limpidissimi sedat gloriæ sitim, laudis ardorem temperat, leni undarum fluxu mentem rigat. Contrà quod hortus sine Fonte, hoc animus est *sine scientia.*

FLUMEN. *Doctrinæ* laude homo circumfluens, tanquam piscosissimum Flumen, patiensque navigiorum, quantis, quæso redundat, commodis! quàm varias in omnem vitæ partem utilitates invehit! quàm multiplices opportunitatum fluctus evolvit. *Ignorantia*, & quodvis vitium, si Flumina dicenda sunt, exundat extra rationis alveum officiique ripas, innumerasque strages important.

SEGETES. *Doctrina* auream laudum Segetem profundit: *Ignorantia* in sylvam dirarum veprium insanâ sterilitate luxuriat.

FERAE. *Doctrina* mitigat ferociam; nihil humanius homine docto: *Ignorant*. nihil agrestius, nihil quod ferinos mores magis redoleat.

AVES. *Doctrinæ* subnixa pennis nostra mens nubes supervolat, transcendit astra, cœlos pervadit: Tolle *Doctrinam*, alas incidisti; repat necesse est more serpentum.

Quid multis? nihil fermè occurret oculis, ex quo, si non omninò plumbeum ingenium tibi est, non aliquid eruas ad id amplificandum, quod pertractas. Erit autem exercitatio non inutilis, nec injucunda inter ambulandum, subindè ex obviis rebus argumenta ad hoc Exemplum trahere, quibus sententiam quam tibi in hunc finem proposueris, illustres & amplifices.

CAPUT

CAPUT II.

Ars tractandi & illustrandi Argumenta & Rationes inventas.

NEquaquam satis est, inquit Tullius, invenire quid dicas, nisi id inventum tractare possis. Hoc nunc explicemus ultimum; nam inveniendi Argumenta & Rationes, quæ sunt Amplificationis materia, hactenus edocui, quantum in me fuit. Superest igitur, ut Artem tractandi Argumenta illa, quæ invenisti, tibi non tam Præceptis quam Exemplis explicem. Illud certè in hac Disciplina, in qua versamur, præcipuum ac summum est. *Orat. 76.*

Quid verò illud est, quod hic quærimus? In quo sita est Ars hæc tractandi Argumenta? In eo utique, ut, quam orationem Rhetorices ignarus ac rudis inornatè & incultè proferet, tu mi Candidate, eleganter, & politè, illuminatè, splendidè & luculenter efferas.

In quo consistit, inquiès, Orationis ille splendor & elegantia? Verbo dicam: In usu Figurarum, quem usum spero te percepturum haud difficulter, si quæ sequuntur, accuratè legeris & perpenderis.

Porrò, ut triplicem explicui Modum inveniendi Argumenta, triplicem quoque eadem Argumenta tractandi & exornandi Modum aperiam. Primus erit, *per Figuras insigniores.* Secundus, *per omnes Casus.* Tertius, *per omnia Tempora.* De primo illud haud ex vano dicere

possum, nihil esse in hoc opusculo toto vel melius, vel utilius: nec dubito quin quivis tyro ingenio quantumvis mediocri, perlectis diligenter perceptisque iis, quæ Modus ille continet, non possit quamlibet sententiam ornatè variis modis explicare. De duobus Modis ultimis, ut non inficior, minuta illa esse quæ afferam, neque iis, quæ primus habet, æquiparanda; ita non utilia fore novitiis arbitror, si non contemnentur.

Primus Modus tractandi Argumenta per Figuras illustriores.

Ad Exemplum hanc unicam tractare placet atque illustrare sententiam.

Peccatum fugiendum est: Quia innumeras in hac vita pœnas affert: & æternas in altera.

Accipe quàm multipliciter, Rhetoricæ beneficio, exprimi possit illa Propositio:

1. *Simpliciter, ac sine Exornatione.*

Peccatum insectari debemus immortali odio, & vel ipsius umbram exhorrescere: propterea quòd innumeras in hac vita parit ærumnas, & in altera cruciatus afferre solet sempiternos.

2. *Per interrogationem simplicem.*

Quid peccato detestabilius? quid magis est abominandum? Nonne illud est, quod doloribus in hac vita corpus; angoribusque mentem afficit; æternoque post mortem supplicio

utrum-

utrumque implacabiliter excarnificatum discruciat?

3. Per Interrogationem objurgatoriam.

Quid agis, amens? Quid moliris, scelerate? Quid est, quòd tot flagitiis corpus animumque contaminas? An nescis innumerabiles à peccato miserias invehi? An ignoras illam unam originem esse malorum omnium?

4. Per Interrogationem, de Exemplo.

Quis te, ô beatarum mentium Dux quondam, Princeps Lucifer, quis, inquam, te unà cum tuis asseclis ab altissima cœli regione præcipitem egit in tartarum? Dic tu mortalium, mortisque Parens infortunatissime, quis te à felicissima, supremaque vitæ conditione in infimam deturbavit? Nonne peccatum est?

5. Per Apostrophen, ad ipsum Peccatum.

O peccatum exitiosum! ô maximum unicumque malum! cùm fædum adeò turpeq; sis, cur te non aversamur? cùm summam ac tetram nobis perniciem crees, quamobrem te admittimus?

6. Per Apostrophen, ad Peccatum generatim.

O cæci, ô inconsideratissimi, ô dementiores pecudibus homines, qui tam levi de causa toties, tamque immania scelera patratis! Quid? vosne latet quàm horrenda vos pœna maneat? quantam malorum vim in vestrum caput accersatis?

7. Per

7. *Per Apostrophen, ad Peccantes, speciatim.*

Quàm verè sapienterq; dici solet, Ignorantem esse quicunque peccat! nescire illum quid agat, quibus se malis implicet! Ita est profectò: Nescis impure, nescis, quò tua te nefaria libido rapiat. Nescis, Avare, nescis, quos ad scopulos te allisura sit cupiditas opum: Ignoras, Helluo, quam te in charybdim infortuniorum immergas: Ignoras homo vanissime, præaltis verticibus præcipitia esse proxima, & in altum plerosque tolli, quò lapsu fœdiore ruant.

8. *Per Apostrophen & Deprecationem ad Deum.*

Te Deus, Optime, Maxime, per infinitam tuam illam in humanum genus benignitatem oro, obtestorque, immeritis licet veniam tribue. Excæcat miseros dementia, furor de potestate mentis dejicit; abripiuntur æstu cupiditatum, peccati gravitatem minimè sentiunt, nec quàm fœdis te maculis inficiant, vident; nec quàm impie divinum suum Nomen offendant, advertunt satis, nec quàm horrendis se pœnis obstringant, insani cogitant.

9. *Per Apostrophen & Imprecationem ad Deum.*

O sancte Deus, aspernantur impii tuum Numen, tua sacra contemnunt, religionem violant. Quousque tantam impudentiam malitiamque patiere? Quousque abutentur scelesti patientiâ tuâ?

tuâ? Quin pœnas mature reposcis tot flagitiis debitas? Levia ducunt, quæ in hac vita tolerant, morte atroci plecte perditos æternis obrue catenis rebelles, sempiternis consceleratos suppliciis mulcta.

10. *Per Communicationem.*

Si imminentem à tergo carnificem videres stricto ferro, manuque jam elatâ paratum, tibi cervices amputare, simul ac esset quippiam contra honesti leges à te commissum; quid ageres tum? quidquamne tale perpetrares? Atqui cùm immineat tibi æterna mors, magis te quotidie criminibus inquinas.

11. *Per Exclamationem.*

O Amentiam mortalium: ô stultitiam incredibilem, omnium lacrymis gemitibusque deplorandam! Turpem momenti voluptatem dolor excipit nunquam finiendus: hoc illi sciunt, hoc fatentur, hoc prædicant; & peccant tamen, & flagitia flagitiis cumulant.

12. *Per Præteritionem.*

Ut te à peccando deterream, non hic ego mala enumerabo omnia, quæ culpam consequuntur; quis enim illa vel cogitatione recenseat? Silebo dolores corporis, angores mentis, terrores stimulósque conscientiæ fraudúmque cruciatus, hæc, inquam, præteribo mala omnia: quòd tametsi gravissima, finem habitura sint aliquando. Æterna solùm inferorum supplicia commemorabo, quibus torqueberis, indesinenter, nisi resipiscas.

13. Per

13. *Per Hypotyposin malorum hujus vitæ.*

Enumera, si potes, partem malorum minimam, quæ parit peccatum: Cerne ardentes bello regiones, hæc excitavit Peccatum incendia; Vide exhaustas regiones incolis, quas lues absumpsit; hanc induxit luem Peccatum: Aspice lamentabili strage depastos urbium cives, quos intestina odia in mutuam perniciem armârunt; hæc odia movit peccatum: Intuere quantis morborum cruciamentis, quot ærumnis obruitur hominum genus: hæc damna omnia Peccatum invehit.

14. *Per Hypotyposin malorum alterius vitæ.*

Non te movent ærumnarum fluctus immanes in consceleratorum caput redundantes, dum hujus adhuc fruuntur usura lucis? Descende cogitatione in tartarum: Cerne ignes illos, rotas illas & verbera: cerne voragines præaltas, & sine fundo fossas, mephitim exhalantes intolerabilium, sulphureamque flammam atro mistam fumo, horribiliter evomentes: Aspice, ut laniantur isti, ut torrentur alii, ut discerpuntur illi, ut omnes incredulìter crucientur. Peccatum est, quod tantis illos tormentis addixit.

15. *Per Subjectionem, ab Effectis.*

Si nondum te tartarei hujusce monstri fœditas terret, at saltem exhorresce, quæ mala progignit. Quid enim turbas movet, seditiones excitat, bella generat? nonne Peccatum? Quid?

Quid dolores infert? quid mentis ægritudines, quid morbos, quid cruciatus, quid cædes innumeras? nonne peccatum? Quid naufragia navigantibus, quid pestilentiam urbibus, quid agris vastitatem, quid rebus extremam perniciem, quid mortalibus denique omnibus mortem sempiternam ærumnisque plenam importat? annon mentiar, nisi peccatum esse dixero?

16. *Per Subjectionem, ab Adjunctis.*

Quò te ages, infelix, post conceptum patratumque facinus? quò te recipies, ut fugias sequentem pœnam? quem in locum te abdes, quò Furiæ ardentibus tædis armatæ te non insectentur? non exagitent? Discedes in desertissimas solitudines? te ibi laniabit acerbiùs scelerum tuorum conscientia. Venies in publicum? ardebunt in te odia omnium bonorum. Quem appellabis, qui propulset à tuo capite imminentem pestem? Amicos? improborum amicus nemo, nisi improbus: Affines? quos dedecorâsti: Propinquos? quibus labem aspersisti: Parentes? quos affecisti maculis æternæ infamiæ: Ad bonos beatosque Genios te convertes? exhorrent tuum conspectum: Ad ipsum Deum? quem offendisti, qui pœnas brevi à te infinitas repetet.

16. *Per Subjectionem, à Definitione.*

Quod malum? quod morbi genus? quæ calamitas? quod infortunium esse potest, quod non effluat à Peccato? Plagas times? Terror est. Lacerationes formidas? Ferrum est. Incendia metuis? Flamma est. Naufragia pertimescis?

Pelagus est semper exæstuans: Vitam amans? ah! Mors est infelicitas summa, exitium extremum, terribilis infernus est.

18. Per Prosopopœiam.

Dictis meis fidem non adhibes? Audi quid vociferentur homines illi, quos vel in hac vita conscientia malefactorum divexat, vel qui suppliciis nunquam terminandis torquentur in altera. Peccata sunt, inquiunt, à nobis commissa, quæ nos excruciant; hæ sunt Furiæ, quæ nos quiescere non sinunt; hi carnifices, qui nos dies noctesque dilaniant; hæ flammæ, quibus urimur; hi stimuli, quibus fodicamur; hæc verbera, quibus laceramur; hæ rotæ, quibus miserabilem in modum distrahimur.

19. Per Antitheses.

Exultas miser, exilisq; præ gaudio, vel dum te sceleribus obstringis; vinctus es, & triumphum agis; conceptam in præcordiis mortem contines, & sectaris vitæ delitias; paratur tibi mala crux, & rides; impendet capiti suprema calamitas, nec moveris; discedit tuos ante pedes terra horrendo hiatu, & barathrum lætus insilis. O cæcitatem!

20. Per Antitheses à Comparatione.

Age scelerate, age facinorose; confer voluptatem, quam peccando percipis; cum dolore, quem patrato scelere hauris: Evanescit illa puncto temporis; iste diuturnus, & nisi vitam emendes, sempiternus futurus est. Illa unum solummodò exterioremque corporis partem fallaci titillatione demulcet; hic intimas ossium medul-

medullas permeat. Denique ſtat illa foris; hic totum pervadit hominem, nec corpus torquet modò, ſed animum auget acerbiùs, æternumque cruciat.

21. *Per Conceſſionem.*

Eſto, ſit ita, ut dicis; inſint flagitiis illecebræ, quæ blande animum & corpus devinciant; At catenárum, quibus utrumq; opprimit, nonne gravitatem ſentis? Oſcula, quæ libat ſcelerata voluptas, delicata ſunt molliaque, fateor: At quos ſimul infigit ungues, quæ vulnera infligit, eane tu grata, eane ſuavia eſſe dices? Non injucundè canunt Syrenes fraudulentæ; ita eſt: At quàm crudeliter à cantu ſæviant, nunquid advertis

22. *Per Diſtributionem.*

Illecebroſum quidem eſt peccatum ad voluptatem; ſed crudeliſſimum eſt ad pœnam, execrandum ad ignominiam, turpiſſimum ad fœditatem, formidabile ad terrorem, intolerabile ad patientiam, æternum ad diuturnitatem. Et deinde illud in ſe admittere, quis audeat? eo delectari; in illo vivere? cum illo mori?

23. *Per Diſtributionem & Increpationem.*

Mortalium nequiſſimi, ecquando ſatietis peccandi finem? Nullamne ſtatuetis improbiſſimæ libidini molem? Nulláne vos turpitudinum ſatietas capiet? Ecquæ vos ratio ab inſania, aut ab impudicitia pudor, aut ab effrænata licentia timor, aut à ſcelere pietas, aut à dedecore honeſtas revocabit? Nulláne unquam libido

bido à vestro corpore, nullane vis à manibus, nullumne flagitium à turpissimis sceleratissimisque factis aberit unquam?

24. *Per Dubitationem & Gradationem.*

Quo te nomine appellem, Nota exitiabilis? Morbum? morbis omnibus acerbior es? Pestem? te nulla pestis terrior ac præsentior: Incendium? aliquid es perniciosius: Feram immanem? immanior existis: Depopulationem? quænam tecum depopulatio conferatur? Voraginem horrendam immensamque? leve est: Mortem calamitosissimam? parum est illud quoque. An illa simul omnia te esse dicam? nec satis illud erit etiam: ut enim hæc simul omnia in unum mala confluant, corpori duntaxat perniciem inferunt: Tu grassaris in animum. Et quamvis ad animum illa pervenirent, finem tamen haberent aliquando, Tu nullum cruciandi finem facis.

25. *Per Gradationem & Interrogationem.*

Ubinam tandem aliquando subsistens, Culpa pestilens? quo demum in gradu malorum hærebis? Dolore corpus conficis: annon id satis est? non est satis. Caliginem offundis menti, labefactas judicii vim, frangis ingenii vires, hebetasq; aciem; de statu naturæ totum hominem dejicis; quò ultrà serpes? Etiam mortem affers teterrimam scio ac video: At, sit mors saltem malorum postremum, non erit; ultra mortem quoque Peccatum, immortale malum desæviet.

26. Per

26. *Per Ironiam.*

Immitis injuriusque ſum, qui innocentiſſimorum hominum delitiis officiam; qui importunâ oratione voluptates turbem liquidas, quibus ſe immerſere. Sinamus eos per otium frui conquiſitis tanto labore commodis; oblectent ſe vino, ſtupris, ganeis, cædibus, rapinis. Vos oblectate, per me licet, delicatula capita; voluntate vos in cœno libidinum, obſequimini genio, indulgete cupiditati: Nihil indè mali timendum vobis eſt: Hujus vitæ voluptas æternum eſt paritura gaudium: Præſentes delicias excipiet felicitas, nullis temporum limitibus terminanda; ſpem bonam habete.

27. *Per Explicationem à Simili.*

Videte ſtultitiam peccantium; ut carius celeriusque pereant, ſuis ſibi ſumptibus accerſunt malorum ultimum, venenum miſcent, diluuntque proprio ſanguine, pocula inaurant quo amabiliùs avidiusque exſorbeant mortem: Domos ipſimet ſuas ſuffodiunt, quibus obruantur; Pyras exſtruunt, in quibus ardeant; Nectunt laqueos, queis ſe interimant; Momentaneas aucupantur voluptates, ut ſemper duraturis doloribus crucientur.

28. *Per Synonyma, à Diſſimili.*

Quis ſatis miretur, inconſiderantiamne dicam noſtram, an dementiam? qui ob inane lucrum rei leviſſimæ, nulliusque pretii, curis vigiliisque atterimus vitam? qui fluxam voluptatem multorum eminus annorum labore, unum-

que

que diem, ut vivere beatos liceat, totam consumimus ærumnis ætatem. Ut verò æterna devitemus damna, ut immortale fugiamus dedecus, ne à peccando quidem abstineamus.

29. Per Deprecationem.

Quò, quò ruitis infelices? Ah per salutem vestram precor, absistite: prærupta lubricaque in crepidine versamini præalti præcipiti; quid occlusis luminibus, impetuque male sano præcipites itis? Aperite, oro vos atque obtestor, per quidquid vobis charum est, aperite oculos ac circumspicite tantisper, quàm horribilia vos mala circumstent.

30. Per Cohortationem.

Detestamini ergò, Adolescentes, abhorrete morte pejus & inferno culpam omnem, occasiones peccandi declinate, omni animi solertiâ, omni contentione mentis ac virium. Id unum spectent cogitationes vestræ omnes, ut præstetis vos immunes à noxa, ut devitetis delicta quælibet, ut puram ab omni labe vitam illibatamque traducatis, cùm obscurum jam vobis esse non possit innumerabiles ærumnas, æternaque mala peccantibus impendere.

Plura dicere in hanc sententiam haud est necesse: satis enim jam opinor intelligis, quid facere deinceps possis ac debeas, quoties sententia tibi quædam amplificanda proponetur, quam vario nimirum stylo ac formâ, quam eleganti Figurarum contextu illustrare illam oporteat. Priusquam tamen à Præceptis ad Exempla transeo haud inutile, credo, fue-

fuerit, subnectere hoc loco Rationem aliam dilatandæ sententiæ per omnes Casus.

Alter Modus explicandæ sententiæ per omnes Casus.

Minuta est, ut dixi, non tamen spernenda hæc dilatandi Ratio, cùm scilicet per omnes Casus circumfertur vox illa, quæ Propositionis materia est. Unum sufficiet exemplum brevissimum ad rem declarandam.

Sic hæc explicanda Propositio.

Modestia, amabilissima virtus est.

Sic à singulis Casibus illam exponam.

Nominativus. Modestia virtutum omnium longè pulcherrima, præclarissimaque, tot fulget radiis, tot veneribus ablanditur, nihil ut amabilius fingi queat.

Genitivus. Modestiæ tam gratus ac suavis est decor, tam augusta blandaque species; ut sensus omnis expertem ac rationis eum esse necesse sit, qui ejus amore non ardeat.

Dativus. Modestiæ uni conveniunt universa, quæ singulas commendant virtutes; sic, ut ex omnibus aliis una illa virtus facta fictaque esse videatur.

Accusativus. Modestiam tot dotes commendant eximiæ, ut mortalium fœdissimus ac dementissimus sit habendus, qui eam non coluerit, non amârit.

Vocativus. O Modestia! ô virtus cœlo pri-

rior, Sole micantior! Quis te vel de sola facie novit, tuique desiderio non incenditur?

Ablativus. A Modestia omnis honesti decor efflorescit, omnis decoris flos emanat, purissimæque flammæ fulgur omnis exoritur. Quis illam non ergo colat? non ambiat? non complectatur? Quis eam dictis suis omnibus ac factis, gestu habituque non exprimat?

Tertius Modus dilatandæ sententiæ per omnia Tempora.

Diversitate illâ Casuum, quibus unum idemque nomen dilatari posse diximus, adductus sum ad investigandum, essetne perindè opportunum ad Amplificationem propositionis, in qua non *Nomen*, ut in illo secundo Modo, ubi Modestiam modò laudabamus; sed *Verbum* aliquod foret explicandum, varietatem sequi *Modorum* ac *Temporum* experiri volui; & prima quæ occurrit animo, Propositio ista fuit, quam solemus in amicorum officiosa salutatione crebrò usurpare: *Addictus sum tibi servus*, seu quod idem est: *Optimè tibi cupio*; aut breviùs dicam: TE DILIGO. Duas igitur voculas illas per omnium Modorum Tempora ita circumduxi: quo operæ fructus arbitrari tibi licet.

TE DILIGO.

Possem hujus verbi Nominativum, *Ego*, ejusque Casum, *Te*, dilatare, si opus esset: v. g. EGO, *quem tam multis beneficiis obstrinxisti; in quem tam eximia à te ornamenta profecta sunt,*

cui

tui omnibus in rebus gratificari soles, &c. TE *virorum omnium humanissimum clarissimumq; omni virtutum genere cumulatissimum, decus & ornamentum hujus provinciæ. &c.* Sed nihil opus est: verbum illud unum, DILIGO, explicare placeat hoc modo:

A præsenti Tempore.

Ex animo, intimoque sensu, te, mihi charissime Amice, diligo ut oculos meos, aut si quid oculis charius est. Scio quidem amari te à multis (quæ tua de omnibus bene merendi facultas) omnes tamen in amore vinco, neminique prorsus concedo. Qua verò perpetuâ quasi catenâ beneficiorum, amabilique nexu me tibi obligatum esse profiteor; tuæ in me benevolentiæ respondeo vicissim, quantum in me est; tua causa cupio, quantum parentis mei causa volo; meæque curæ ac cogitationes ad te referuntur omnes, & in te tuisque rebus consumuntur.

Imperfectum.

Erant mihi olim multi in intimis arctissimo nexu devincti: familiaritatem fovebat illam studiorum similitudo, necessitudoque mutuis officiis constituta: fateor, amabamus inter nos vehementer amicitiæ vinculo ita copulati, nihil ut conjunctius esse posset.

Perfectum.

At postquam ab iis me fortuna distraxit, mihique fecit tui copiam; laxari sensim animadverti

verti veteris illius amicitiæ vinculum, delevit è memoria illorum olim familiarium priscas imagines imago tui: Præteritam obscuravit benevolentiam præsentiæ tuæ splendor illustrissimus, non secùs ac exoriente Sole stellarum fulgor evanescit; non quòd contempserim, quod alias amore dignum judicavi; sed quod quæcunque sparsa in singulos amaveram collecta in te uno sum demiratus universa.

Plusquamperfectum.

Et verò, multa quidem & præclara de te, famâ & auditione acceperam, audieram ex iis, quibus familiariter utebaris, te omnibus naturæ donis exornatum adeò liberaliter fuisse ut nemo esse putaretur, qui tecum ullo modo componi posset: sed victam esse, longèque superatam cognovi, cùm te primùm vidi, opinionem illam, quam de te concitâras, egoque conceperam: itaque inflammari me sensi studio tui jam præsentis, quem vel absentem incognitumque mirè dilexeram, nulla ut deinceps ad amorem meum accessio fieri posse videatur.

Futurum.

Quare hærebis tu mihi semper in medullis, singulari te in perpetuum benevolentiâ complectar, nullum in te colendo atque honestando locum aut tempus, nullum studii & observantiæ genus prætermittam: in tua dignitate omnem meam curam industriamque figam, & locabo omnem operam ad honorem tuum, omnem diligentiam conferam, summique beneficii loco ponam, si quam re tibi gratificari potero.

Impe-

Imperativus.

Impera proindè quæ tibi grata videbuntur; quæ tuo animo arriſerint, ſine ulla exceptione manda: tua mihi voluntas lex erit & norma. Quidvis præcipe, quidvis efficiam: jube, ad remotiſſimas etiam mundi plagas ibo: jube me tua cauſa ſpoliem bonis omnibus, ſpoliabo: jube, profundam pro te ſanguinem.

Optativus.

O utinam talem ex me requiras amoris notam, ut fundendus mihi ſit pro te ſanguis! ut tam illuſtri ſignificatione perſpicuum tibi eſſe poſſit meum erga te ſtudium! O ſi adeò honorificata ſe mihi daret occaſio tibi aperiendi animum meum! quàm me felicem fortunatumque judicarem!

Subjunctivi præſens.

Nam quid eſt, quod tui gratiâ non ſuſcipiam? non exequar? non exhauriam? cùm mihi ipſe ſis æquè charus, atque ego ipſe mihi eſſe poſſum? Quid eſſe queat tam arduum, tamque difficiſe, quod te jubente non aggrediar, conſtantiſſimeque conficiam?

Imperfectum.

Currerem, ſi juberes, ad deſertiſſimas orbis oras, vaſtiſſima obirem aquarum terrarumque ſpatia, excelſiſſimarum rupium juga ſuperarem, labores acerbiſſimos quosque non pertimeſcerem, diſcrimina omnia imperterritus ſubirem, ipſam denique mortem non reformidarem; ne-

que sequendi studio, vel obtemperandi celeritate antecelleret.

Perfectum.

Esto fuerint, qui ob amicos multa cupierint, multa fecerint, multa pertulerint; illorum nomina venerata sit antiquitas, ipsorumque fidem atque constantiam eximiis testatam expressamque monumentis transmiserit ad consequentes annos, suspiciendam posteris.

Plusquamperfectum.

Auderem dicere, concessissent mihi profectò ii omnes, si animum perspicere meum potuissent, amoris palmam; seque gloriosè victos à me vel inviti non abnuissent.

Futurum.

Quid ita? quia sic ego in te animatus sum, ut postquam meæ erga te benevolentiæ testandæ causa perfecero, quidquid illi, amore licet incitati vehementissimo, pro suis amicis præstitêre, aut præstare conati sunt, nil me fecisse tamen putaturus sum, quamdiu advertero superesse adhuc quidpiam, quod tui gratiâ navare possim.

Infinitivus.

Ita est; tametsi vires omnes meas in te ornando consumam, meque continenti labore angam atque conficiam, vix ullam tuorum meritorum partem assecutum me esse credam?

neque putabo unquam meo me satisfecisse vel amori, vel muneri.

SECTIO III.

Amplificationum Exempla.

A variis Rhetoricæ Locis ac Figuris.

PRæter eas Amplificationes, quas habes in Progymnasmate de Figuris (quot enim Figurarum illustriorum, quæ Sententiarum *dicuntur, Exempla dedi, tot Amplificationum Exempla sunt) placet hoc loco preferre non pauca à Locis ductas Oratoriis, variisque decoratas Figurarum ornamentis; ut eâdem operâ hujusmodi Locorum usum addiscas, & quo pacto ex iis Amplificationes peti debeant.*

Amplificationes à Definitionibus conglobatis.

Amplificatio *fieri dicitur* à Definitionibus conglobatis, *cùm ejusdem rei variæ definitiones unum in locum congeruntur: undè alio nomine* Congeries, *seu* Frequentatio definitionum *vocatur hic locus. Ita Cicero non satis ha uit,*

 dixisse,

dixisse, incensam esse Curiam; *adjecit definitiones Curiæ plurimas.*

Curiam, *inquit*, incendit, quo quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius vidimus? Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput orbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo Romano concessam uni ordini, inflammari, exscindi, funestari.

Huic Exemplo veteri addamus nova.

Virtutis laus.

Virtutem commendare si cupis, illam esse dices animi Animam nostri *a*, cordisque corculum; & vitæ decus, honestique germen, ac decori florem, mentisque puriores delicias, æternique radium Solis, & felicitatis auroram; & immortalitatis parentem, perennemque fontem bonorum omnium.

a Poly-*syntheta.*

Modestiæ præconium.

Hac virtute quid quæso pulchrius? atque adeo quid amabilius fingi possit? Est quippe animi facies amœna *b*, pignus probitatis, nitor morum, pudicitiæ munimentum, *c* mutum elogium, animæ pictura, taciti hominis commendatio eloquens, humanæ societatis lumen & decus, rapax charitatis illecebra, sedes honoris, vestis virtutum omnium, omnibus nota gentibus & grata lingua, neminique barbara, cunctisque jucundissima.

b Dissolutio.
c *Antithesis.*

Pul-

Pulchritudinis Excellentia.

Non hic ego plebejam illam ac vulgarem pulchritudinem delineo, quam Euripides appellavit, omnis infelicitatis originem; quam vocavit Theophrastus, tacitam fraudem; quam Theocritus, pestem nuncupavit eburneam; quam Comicus, calamitatem omnium acerbissimam esse dixit: sed patritiam, regiam, sacram plenamque mysterii formam loquor, cœlestem Superûm munus, parelium divinitatis, speculum divinæ speciei politissimum, expressam Numinis effigiem, radium ex æterni luminis fonte delibatum, & gratiarum omnium, quas cæteris in rebus Supremus artifex expressit, collectionem perfectissimam, absolutissimumque compendium.

Laërt in Arist. *σιωπικὴ ἀπάτη; ἐλεφάντινος ζημία.* *Tyr. diss. 21. de Amore.*

Puerorum & Scholarum, in quibus docentur, Encomium.

Pueris laudem optas impertiri? Dic Spem illos esse humani generis; *d* Fulcimenta familiarum, rerumque publicarum subsidia, amorumque delicias, corculaque virtutum, vitæ gemmas, & ocellos orbis, terræ stellulas, cœlique flosculos, & Regulos mundi, hæredesque æternitatis, germanosque Christi fratres, & filios Dei.

Dic Scholas, in quibus eos cum literarum rudimentis, religionis elementa, & morum præcepta docemus, aliud nihil esse, quam secretos *e* Regis æterni Hortulos, roseo fulgentes rubore verecundiæ, candidisque pudicitiæ liliis

d *Meteora.*

e *Allegoria.*

Pelagus est semper exæstuans: Vitam amans? ah! Mors est infelicitas summa, exitium extremum, terribilis infernus est.

18. Per Prosopopœiam.

Dictis meis fidem non adhibes? Audi quid vociferentur homines illi, quos vel in hac vita conscientia malefactorum divexat, vel qui suppliciis nunquam terminandis torquentur in altera. Peccata sunt, inquiunt, à nobis commissa, quæ nos excruciant; hæ sunt Furiæ, quæ nos quiescere non sinunt; hi carnifices, qui nos dies noctesque dilaniant; hæ flammæ, quibus urimur; hi stimuli, quibus fodicamur; hæc verbera, quibus laceramur; hæ rotæ, quibus miserabilem in modum distrahimur.

19. Per Antitheses.

Exultas miser, exilisq; præ gaudio, vel dum te sceleribus obstringis; vinctus es, & triumphum agis; conceptam in præcordiis mortem contines, & sectaris vitæ delitias; paratur tibi mala crux, & rides; impendet capiti suprema calamitas, nec moveris; discedit tuos ante pedes terra horrendo hiatu, & barathrum lætus insilis. O cæcitatem!

20. Per Antitheses à Comparatione.

Age scelerate, age facinorose; confer voluptatem, quam peccando percipis; cum dolore, quem patrato scelere hauris: Evanescit illa puncto temporis; iste diuturnus, & nisi vitam emendes, sempiternus futurus est. Illa unum solummodò exterioremque corporis partem fallaci titillatione demulcet; hic intimas ossium medul-

medullas permeat. Denique ſtat illa foris; hic totum pervadit hominem, nec corpus torquet modò, ſed animum auget acerbiùs, æternumque cruciat.

21. Per Conceſſionem.

Eſto, ſit ita, ut dicis; inſint flagitiis illecebræ, quæ blande animum & corpus devinciant; At catenárum, quibus utrumq; opprimit, nonne gravitatem ſentis? Oſcula, quæ libat ſcelerata voluptas, delicata ſunt molliaque, fateor; At quos ſimul infigit ungues, quæ vulnera infligit, eane tu grata, eane ſuavia eſſe dices? Non injucundè canunt Syrenes fraudulentæ; ita eſt: At quàm crudeliter à cantu ſæviant, nunquid advertis.

22. Per Diſtributionem.

Illecebroſum quidem eſt peccatum ad voluptatem; ſed crudeliſſimum eſt ad pœnam, execrandum ad ignominiam, turpiſſimum ad fœditatem, formidabile ad terrorem, intolerabile ad patientiam, æternum ad diuturnitatem. Et deinde illud in ſe admittere, quis audeat? eo delectari; in illo vivere? cum illo mori?

23. Per Diſtributionem & Increpationem.

Mortalium nequiſſimi, ecquando ſacietis peccandi finem? Nullamne ſtatuetis improbiſſimæ libidini molem? Nulláne vos turpitudinum ſatietas capiet? Ecquæ vos ratio ab inſania, aut ab impudicitia pudor, aut ab effrænata licentia timor, aut à ſcelere pietas, aut à dedecore honeſtas revocabit? Nulláne unquam libido

bido à vestro corpore, nullane vis à manibus, nullumne flagitium à turpissimis sceleratissimisque factis aberit unquam?

24. *Per Dubitationem & Gradationem.*

Quo te nomine appellem, Nota exitiabilis? Morbum? morbis omnibus acerbior es? Pestem? te nulla pestis terrior ac præsentior: Incendium? aliquid es pernitiosius: Feram immanem? immanior existis: Depopulationem? quænam tecum depopulatio conferatur? Voraginem horrendam immensamque? leve est: Mortem calamitosissimam? parum est illud quoque. An illa simul omnia te esse dicam? nec satis illud erit etiam: ut enim hæc simul omnia in unum mala confluant, corpori duntaxat perniciem inferunt: Tu grassaris in animum. Et quamvis ad animum illa pervenirent, finem tamen haberent aliquando, Tu nullum cruciandi finem facis.

25. *Per Gradationem & Interrogationem.*

Ubinam tandem aliquando subsistens, Culpa pestilens? quo demum in gradu malorum hærebis? Dolore corpus conficis: annon id satis est? non est satis. Caliginem offundis menti, labefactas judicii vim, frangis ingenii vires, hebetasq; aciem; de statu naturæ totum hominem dejicis; quò ultrà serpes? Etiam mortem affers teterrimam scio ac video: At, sit mors saltem malorum postremum, non erit; ultra mortem quoque Peccatum, immortale malum desæviet.

26. *Per Ironiam.*

Immitis injuriusque sum, qui innocentissimorum hominum deliciis officiam; qui importunâ oratione voluptates turbem liquidas, quibus se immersere. Sinamus eos per otium frui conquisitis tanto labore commodis; oblectent se vino, stupris, ganeis, cædibus, rapinis. Vos oblectate, per me licet, delicatula capita; voluntate vos in cœno libidinum, obsequimini genio, indulgete cupiditati: Nihil indè mali timendum vobis est: Hujus vitæ voluptas æternum est paritura gaudium: Præsentes delicias excipiet felicitas, nullis temporum limitibus terminanda; spem bonam habete.

27. *Per Explicationem à Simili.*

Videte stultitiam peccantium; ut carius celeriusque pereant, suis sibi sumptibus accersunt malorum ultimum, venenum miscent, diluuntque proprio sanguine, pocula inaurant quo amabiliùs avidiusque exsorbeant mortem: Domos ipsimet suas suffodiunt, quibus obruantur; Pyras exstruunt, in quibus ardeant; Nectunt laqueos, queis se interimant; Momentaneas aucupantur voluptates, ut semper duraturis doloribus crucientur.

28. *Per Synonyma, à Dissimili.*

Quis satis miretur, inconsiderantiamne dicam nostram, an dementiam? qui ob inane lucrum rei levissimæ, nulliusque pretii, curis vigiliisque atterimus vitam? qui fluxam voluptatem multorum eminus annorum labore, unumque

que diem, ut vivere beatos liceat, totam consumimus ærumnis ætatem. Ut verò æterna devitemus damna, ut immortale fugiamus dedecus, ne à peccando quidem abstineamus.

29. Per Deprecationem.

Quò, quò ruitis infelices? Ah per salutem vestram precor, absistite: prærupta lubricaque in crepidine versamini prælti præcipiti; quid occlusis luminibus, impetuque male sano præcipites itis? Aperite, oro vos atque obtestor, per quidquid vobis charum est, aperite oculos ac circumspicite tantisper, quàm horribilia vos mala circumstent.

30. Per Cohortationem.

Detestamini ergò, Adolescentes, abhorrete morte pejus & inferno culpam omnem, occasiones peccandi declinate, omni animi solertiâ, omni contentione mentis ac virium. Id unum spectent cogitationes vestræ omnes, ut præstetis vos immunes à noxa, ut devitetis delicta quælibet, ut puram ab omni labe vitam illibatamque traducatis, cùm obscurum jam vobis esse non possit innumerabiles ærumnas, æternaque mala peccantibus impendere.

Plura dicere in hanc sententiam haud est necesse: satis enim jam opinor intelligis, quid facere deinceps possis ac debeas, quoties sententia tibi quædam amplificanda proponetur, quam vario nimirum stylo ac formâ, quam eleganti Figurarum contextu illustrare illam oporteat. Priusquam tamen à Præceptis ad Exempla transeo haud inutile, credo, fue-

fuerit, subnectere hoc loco Rationem aliam dilatandæ sententiæ per omnes Casus.

Alter Modus explicandæ sententiæ per omnes Casus.

Minuta est, ut dixi, non tamen spernenda hæc dilatandi Ratio, cùm scilicet per omnes Casus circumfertur vox illa, quæ Propositionis materia est. Unum sufficiet exemplum brevissimum ad rem declarandam.

Sic hæc explicanda Propositio.

Modestia, amabilissima virtus est.

Sic à singulis Casibus illam exponam.

Nominativus. Modestia virtutum omnium longè pulcherrima, præclarissimaque, tot fulget radiis, tot veneribus blanditur, nihil ut amabilius fingi queat.

Genitivus. Modestiæ tam gratus ac suavis est decor, tam augusta blandaque species; ut sensus omnis expertem ac rationis eum esse necesse sit, qui ejus amore non ardeat.

Dativus. Modestiæ uni conveniunt universa, quæ singulas commendant virtutes; sic, ut ex omnibus aliis una illa virtus facta fictaque esse videatur.

Accusativus. Modestiam tot dotes commendant eximiæ, ut mortalium fœdissimus ac demeritissimus sit habendus, qui eam non coluerit, non amârit.

Vocativus. O Modestia! ô virtus cœlo prior,

rior, Sole micantior! Quis te vel de sola facie novit, tuique desiderio non inceditur?

Ablativus. A Modestia omnis honesti decor efflorescit, omnis decoris flos emanat purissimæque flammæ fulgur omnis exoritur. Quis illam non ergo colat? non ambiat? non complectatur? Quis eam dictis suis omnibus ac factis, gestu habituque non exprimat?

Tertius Modus dilatandæ sententiæ per omnia Tempora.

Diversitate illâ Casuum, quibus unum idemque nomen dilatari posse diximus, adductus sum ad investigandum, essetne perinde opportunum ad Amplificationem propositionis, in qua non *Nomen*, ut in illo secundo Modo, ubi Modestiam modò laudabamus; sed *Verbum* aliquod foret explicandum, varietatem sequi *Modorum* ac *Temporum* experiri volui; & prima quæ occurrit animo, Propositio ista fuit, quam solemus in amicorum officiosa salutatione crebrò usurpare: *Addictus sum tibi servus*, seu quod idem est: *Optimè tibi cupio*; aut breviùs dicam: TE DILIGO. Duas igitur voculas illas per omnium Modorum Tempora ita circumduxi; quo operæ fructus arbitrari tibi licet.

TE DILIGO.

Possem hujus verbi Nominativum, *Ego*, ejusque Casum, *Te*, dilatare, si opus esset: v. g. EGO, *quem tam multis beneficiis obstrinxisti; in quem tam eximia à te ornamenta profecta sunt,*

cui

cui omnibus in rebus gratificari soles, &c. Te *virorum omnium humanissimum clarissimumq; omni virtutum genere cumulatissimum, decus & ornamentum hujus provinciæ. &c.* Sed nihil opus est: verbum illud unum, DILIGO, explicare placet hoc modo:

A præsenti Tempore.

Ex animo, intimoque sensu, te, mihi charissime Amice, diligo ut oculos meos, aut si quid oculis charius est. Scio quidem amari te à multis (quæ tua de omnibus bene merendi facultas) omnes tamen in amore vinco, neminique prorsus concedo. Qua verò perpetuâ quasi catenâ beneficiorum, amabilique nexu me tibi obligatum esse profiteor; tuæ in me benevolentiæ respondeo vicissim, quantum in me est; tua causa cupio, quantum parentis mei causa volo; meæque curæ ac cogitationes ad te referuntur omnes, & in te tuisque rebus consumuntur.

Imperfectum.

Erant mihi olim multi in intimis arctissimo nexu devincti: familiaritatem fovebat illam studiorum similitudo, necessitudoque mutuis officiis constituta; fateor, amabamus inter nos vehementer amicitiæ vinculo ita copulati, nihil ut conjunctius esse posset.

Perfectum.

At postquam ab iis me fortuna distraxit, mihique fecit tui copiam; laxari sensim animad-

verti veteris illius amicitiæ vinculum, delevit è memoria illorum olim familiarium priſcas imagines imago tui: Præteritam obſcuravit benevolentiam præſentiæ tuæ ſplendor illuſtriſſimus, non ſecùs ac exoriente Sole ſtellarum fulgor evaneſcit; non quòd contempſerim, quod alias amore dignum judicavi; ſed quod quæcunque ſparſa in ſingulos amaveram collecta in te uno ſum demiratus universa.

Plusquamperfectum.

Et verò, multa quidem & præclara de te, famâ & auditione acceperam, audieram ex iis, quibus familiariter utebaris, te omnibus naturæ donis exornatum adeò liberaliter fuiſſe ut nemo eſſe putaretur, qui tecum ullo modo componi poſſet: ſed victam eſſe, longèque ſuperatam cognovi, cùm te primùm vidi, opinionem illam, quam de te concitâras, egoque conceperam: itaque inflammari me ſenſi ſtudio tui jam præſentis, quem vel abſentem incognitumque mirè dilexeram, nulla ut deinceps ad amorem meum acceſſio fieri poſſe videatur.

Futurum.

Quare hærebis tu mihi ſemper in medullis, ſingulari te in perpetuum benevolentiâ complectar, nullum in te colendo atque honeſtando locum aut tempus, nullum ſtudii & obſervantiæ genus prætermittam: in tua dignitate omnem meam curam induſtriamque figam, & locabo omnem operam ad honorem tuum, omnem diligentiam conferam, ſummique beneficii loco ponam, ſi quâ in re tibi gratificari potero.

Imperativus.

Impera proindè quæ tibi grata videbuntur; quæ tuo animo arriserint, sine ulla exceptione manda: tua mihi voluntas lex erit & norma. Quidvis præcipe, quidvis efficiam: jube, ad remotissimas etiam mundi plagas ibo: jube me tua causa spoliem bonis omnibus, spoliabo: jube, profundam pro te sanguinem.

Optativus.

O utinam talem ex me requiras amoris notam, ut fundendus mihi sit pro te sanguis! ut tam illustri significatione perspicuum tibi esse possit meum erga te studium! O si adeò honorificata se mihi dares occasio tibi aperiendi animum meum! quàm me felicem fortunatumque judicarem!

Subjunctivi præsens.

Nam quid est, quod tui gratiâ non suscipiam? non exequar? non exhauriam? cùm mihi ipse sis æquè charus, atque ego ipse mihi esse possum? Quid esse queat tam arduum, tamque difficile, quod te jubente non aggrediar, constantissimeque conficiam?

Imperfectum.

Currerem, si juberes, ad desertissimas orbis oras, vastissima obirem aquarum terrarumque spatia, excelsissimarum rupium juga superarem, labores acerbissimos quosque non pertimescerem, discrimina omnia imperterritus subirem, ipsam denique mortem non reformidarem; ne-

que sequendi studio, vel obtemperandi celeritate antecelleret.

Perfectum.

Esto fuerint, qui ob amicos multa cupierint, multa fecerint, multa pertulerint; illorum nomina venerata sit antiquitas, ipsorumque fidem atque constantiam eximiis testatam expressamque monumentis transmiserit ad consequentes annos, suspiciendam posteris.

Plusquamperfectum.

Auderem dicere, concessissent mihi profecto ii omnes, si animum perspicere meum potuissent, amoris palmam; seque gloriosè victos à me vel inviti non abnuissent.

Futurum.

Quid ita? quia sic ego in te animatus sum, ut postquam meæ erga te benevolentiæ testandæ causa perfecero, quidquid illi, amore licet incitati vehementissimo, pro suis amicis præstitêre, aut præstare conati sunt, nil me fecisse tamen putaturus sum, quamdiu advertero superesse adhuc quidpiam, quod tui gratiâ navare possim.

Infinitivus.

Ita est; tametsi vires omnes meas in te ornando consumam, meque continenti labore angam atque conficiam, vix ullam tuorum meritorum partem assecutum me esse credam? neque

neque putabo unquam meo me satisfecisse vel amori, vel muneri.

SECTIO III.

Amplificationum Exempla.

A variis Rhetoricæ Locis ac Figuris.

PRæter eas Amplificationes, quas habes in Progymnasmate de Figuris (quot enim Figurarum illustriorum, quæ Sententiarum *dicuntur, Exempla dedi, tot Amplificationum Exempla sunt) placet hoc loco proferre non pauca: à Locis ductas Oratoriis, variisque decoratas Figurarum ornamentis; ut eâdem operâ hujusmodi Locorum usum addiscas, & quo pacto ex iis Amplificationes peti debeant.*

Amplificationes à Definitionibus conglobatis.

AMPLIFICATIO *fieri dicitur* à Definitionibus conglobatis, *cùm ejusdem rei variæ definitiones unum in locum congeruntur: undè alio nomine* Congeries, *seu* Frequentatio definitionum *vocatur hic locus. Ita* Cicero *non satis habuit,*

 dixisse,

dixisse, incensam esse Curiam; *adjecit definitiones Curiæ plurimas.*

Curiam, *inquit*, incendit, quo quid miseriùs, quid acerbius, quid luctuosius vidimus? Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput orbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo Romano concessam uni ordini, inflammari, exscindi, funestari.

Huic Exemplo veteri addamus nova.

Virtutis laus.

Virtutem commendare si cupis, illam esse dices animi Animam nostri *a*, cordisque corculum; & vitæ decus; honestique germen, ac decori florem; mentisque puriores delicias, æternique radium Solis; & felicitatis auroram; & immortalitatis parentem, perennemque fontem bonorum omnium.

a Poly- *syntheta.*

Modestiæ præconium.

Hac virtute quid quæso pulchriùs? atque adeo quid amabiliùs fingi possit? Est quippe animi facies amœna *b*, pignus probitatis, nitor morum, pudicitiæ munimentum, *c* mutum elogium, animæ pictura, taciti hominis commendatio eloquens, humanæ societatis lumen & decus, rapax charitatis illecebra, sedes honoris, vestis virtutum omnium, omnibus nota gentibus & grata lingua, neminique barbara, cunctisque jucundissima.

b *Dissolutio.*
c *Antithesis.*

Pul-

Pulchritudinis Excellentia.

Non hic ego plebejam illam ac vulgarem pulchritudinem delineo, quam Euripides appellavit, omnis infelicitatis originem; quam vocavit Theophrastus, tacitam fraudem; quam Theocritus, pestem nuncupavit eburneam; quam Comicus, calamitatem omnium acerbissimam esse dixit: sed patritiam, regiam, sacram plenamque mysterii formam loquor, cœleste Superûm munus, parelium divinitatis, speculum divinæ speciei politissimum, expressam Numinis effigiem, radium ex æterni luminis fonte delibatum, & gratiarum omnium, quas cæteris in rebus Supremus artifex expressit, collectionem perfectissimam, absolutissimumque compendium.

Laërt in Arist. *σιωπινὴ ἀπάτη; ἐλεφάντινος ζημεία.* *Tyr. diss. 21. de Amore.*

Puerorum & Scholarum, in quibus docentur, Encomium.

Pueris laudem optas impertiri? Dic Spem illos esse humani generis; *d* Fulcimenta familiarum, rerumque publicarum subsidia, amorumque delicias, corculaque virtutum, vitæ gemmas, & ocellos orbis, terræ stellulas, cœlique flosculos, & Regulos mundi, hæredesque æternitatis, germanosque Christi fratres, & filios Dei.

d Meteora.

Dic Scholas, in quibus eos cum literarum rudimentis, religionis elementa, & morum præcepta docemus, aliud nihil esse, quàm secretos *e* Regis æterni Hortulos, roseo fulgentes rubore verecundiæ, candidisque pudicitiæ liliis

e Allegoria.

liliis pulchrè radiantes, selectarum esse seminaria stirpium, & elegantiarum pulvillos, urbanitatumque areolas, fontesque honestatis limpidos, & speciosas humanitatis officinas, & emporia sacra, pretiosioribus auro mercimoniis, terris cœloque celeberrima.

Invidiæ Pictura.

Quid est Invidia? O vitium abominabile! Audi quid sit. Invidia est *f* malum, genitum à bono; caligo est à splendore oriens; à pulchritudine nata deformitas; à risu lachryma fluens. Rivus est fellis à fonte mellis; progerminans à planta honestatis, nequitiæ fructus; proprius ab externa gloria manans, intestinum infortunium, quod fortuna creavit prospera. Umbra est, non corporum, sed animorum, ægritudo voluntaria, crux fixa malevolis, & necessarius virtutis hostis.

f Antitheta frequentata.

Calvini Elogium.

Quæris à me, quid hoc hominis fuerit quem hic depingo? Dicam: *g* Non homo, sed simulacrum fuit hominis, bonorum odium, dux improborum, perditorum magister, ganeorum instructor, sceleratorum coryphæus, fraudum peritus artifex, dolorum fabricator pessimus. Helluo & sacrilegus & infamis, gurges vitiorum, sentina turpitudinis, vorago nequitiarum, cloaca fœdissimarum libi-

g Metaphoricæ definitionis.

libidinum, Christianæ Reipublicæ pestis, Religionis labes, vitæ pernicies, ruina virtutum, disciplinæ clades, malorum disseminator, orbis incendium, mundi portentum, naturæ dedecus, luxuriosus scurra, lenoque impurissimus, plenus inconsideratissimæ temeritatis; atque ut verbo dicam, inferni monstrum.

---- quo tartara nunquam
Effudêre, Deo irato, truculentius ullum.

A Definitione mista.

Quando versamur in hoc Definitionis loco, non prius ad alium transferre Orationem placet, quàm duplicem Amplificationis ideam, omnium facilè præclarissimam, quæ à Definitione peti possunt, exposuero. Utramque habet Cicero, cujus verba ita proferam, ut ea tantùm, quæ ad artificium pertinent, relictis aliis; sim allaturus, quò scilicet clarior & proclivior earum imitatio tyronibus proponatur.

Quid sit Consul.

Consulem describit Tullius, ut ostendat Pisonem eo nomine indignum esse; primùm per Negationem, *explicando* quid non sit Consul, *his verbis:* In Pison. 23.

Tu etiam mentionem facies consulatus tui, aut te fuisse Romæ Consulem dicere audebis? Quid?

Quid? tu in lictoribus, in toga & prætexta esse consulatum putas? His tu ornamentis & insignibus consulatum declarari censes? (*En jam per affirmationem, quid sit esse Consulem*) Animo Consulem esse oportet, consilio, fide gravitate, vigilantia, curâ; totó denique munere consulatus, (*Tum ingerit pugnam contrariorum*) Ego Consulem esse putem, qui Senatum esse in Republica non putavit? & sine quo Romæ ne Reges quidem esse potuerunt? (*addere poteris eorum loco, quæ fusiùs persequitur*) Consulem eum esse putem, qui patriæ conservatorem ejecit, qui eversione legum vexavit Rempublicam, qui avaritiâ, libidine, crudelitate cives sceleratissimos superavit? &c. Qui latrones igitur, siquidem vos Consules? Qui prædones, qui hostes, qui proditores, qui tyranni nominabuntur? Magnum nomen est, magna species, magna dignitas, magna majestas Consulis. Non capiunt angustiæ pectoris tui, non recipit levitas ista, non egestas animi, non infirmitas ingenii sustinet, non insolentia rerum secundarum tantam personam, tam gravem, tam severam.

Quid sit populus Romanus.

Hæc item Amplificatio Definitione *constat*; per Negationem & Affirmationem. *Sed hoc habet peculiare, quòd media inseritur* Ironia. *Describit ergo primùm Cicero*, Quid non sit populus Romanus, *sic*:

Pro domo sua 89. An tu populum Romanum esse illum putas, qui constat ex iis, qui mercede conducuntur?

qui

qui impelluntur ut vim afferant Magistratibus? ut obsideant Senatum, optent quotidiè cædem, incendia, rapinas? (*deinde addit Ironicam exclamationem*) O speciem dignitatemque populi Romani! quam nationes exteræ, quam gentes ultimæ pertimescunt, multitudinem hominum ex servis conductis, ex facinorosis, ex egentibus congregatam! (*tum subjicit quid sit*) Illa fuit pulchritudo populi Romani, illa forma quam in campo vidisti tum, cùm etiam tibi contra Senatus auctoritatem dicendi potestas fuit. Ille, ille populus est Dominus Regum, victor atque Imperator omnium gentium, quem illo clarissimo die scelerate vidisti, tum cum omnes Principes civitatis, omnes ordinum, atque ætatum omnium suffragium se, non de civis, sed de civitatis salute ferrè censebant.

Ad utriusque imitationem Exempli definire poteris quid sit Christianus, quid Rex, quid Pater, quid Discipulus, quid Miles, aliaque ejus generis.

Amplificationes, à Partium Enumeratione.

Hic Locus ad amplificandum est omnium aptissimus, cum ad illum alii fermè omnes revocari queant, ut superiùs ostensum est; nihilque ferè sit, quod in partes suas non distribui facilè possit. En Exempla.

Senex deformis.

Turpissima est, *inquis*, hujus senis, & tetra species. *At ego, enumerando partes corporis singulas, tuam illam phrasin ita diffundam.*

h Polysyntheton. Quis non exhorreat senem *h* illum retorridum, cadaverosum, capularem, scapulas habentem arcuatas in fornicem, hiantesque & aridas fauces, oculosque lippitudine riguos, fœtidasque nares, buccasque fluentes, dentesque tremulos, nasumque simum, sulcatamque frontem, recurvumque mentum, genasque luridas, auriculasque flaccidas, aduncasque manus, falcatosque pedes, pectusque pulicibus scatens, caputque cimicibus putens.

Animus pulcher in pulchro corpore.

Quid efficiat animus ille in suo corpore, significare si volueris, ita fermè dices:

Corpori suo venustatem, robur, majestatemque conciliat animus pulcher.

Pulchrè quidem sed quantò elegantius si in hunc modum eloquaris.

Distributio. Simul ac subiit corpus suum generosus ac pulcher animus, & per interiora diffusus est, Deus immortalis! ut repentina luce fulgurat! ut splendet! ut micat! ut animat! ut accendit! ut movet omnia! Statim omnes aptè confortat artus ad decorem; omnes componit motus ad dignitatem; omnes concinnat partes ad harmoniam, ad honestatis leges omnia membra

bra perfectissimè dirigit, vigorem ingenerat menti, ardorem pectori instillat, veneres aspergit in ore, afflat honores oculis, illigat labiis lepores, collo decus affundit, genis pudoris flammulas, capillis venustatem, fronti speciem, capiti majestatem, absolutè demum per universum corpus radios pulchritudinis floridissimè circumfundit.

Amplificationes ab Effectu.

Ad hunc Locum transferri potest exemplum proxime allatum; in illo enim tam enumerantur effecta, quàm in duobus sequentibus.

Vitii & Virtutis effecta.

Nulla, *inquies*, mala sunt, quæ non exoriantur à pestilente fonte vitiorum: nulla dona, quæ virtus non afferat.

Benè sed nimis exiliter: expone quæ mala illa sunt, & quæ bona.

Indè vitii delinea fœditatem, quòd rationi adversetur, *a* quòd contaminet animum, quòd divinum Numen offendat; quòd auctorem suum diris excruciet modis *b* angore stimulet, curis exedat, metu percellat, furiis lancinet, suppliciis torqueat exanimetque doloribus maximis nullo sermone satis explicandis. Tum quòd leges, quòd instituta, quòd fœdera, cæteraque humanæ societatis sanctissima

a *Repetitio.*

b *Dissolutio & Disjunctio.*

c Synonyma. ma jura violet, *c* pervertat, labefactet, exscindat, perdat, extinguat. Denique *d* quod pestem Rebuspublicis, provinciis calamitatem, *d Adjunctio.* perniciem regnis, urbibus exitium, familiis damna innumera, singulis denique hominibus universum malorum agmen importet.

Virtutum autem si ornare cupis, dic illam *e Antitheta.* esse, *e* quæ mœstos recreat, ægros reficit, jacentes erigit, excitat afflictos, miserosque beat: quæ splendorem rebus obscuris, vilibus pretium, abjectis dignitatem, vulgaribus honorem, humilibus excelsitatem, contemptis commendationem accersit, omnibusque venerationem conciliat.

Geographiæ laus.

Mira sunt quæ facimus Geographiæ beneficio? quam artem, si laudare cupis, conversâ in illam Oratione, ejus Effecta *sic recensere poteris.*

f Apostrophe. *f* O artium præclarissima, *g* quibus te literarum monumentis extollemus, qua prædica- *g Dubitatio.* tione celebrabimus, quo tibi laudem genere pro tuis in nos beneficiis grates referemus? nostris enim ut servias oblectationibus & emolu- *h Hyperbaton.* mentis, facis mundi compendium, *h* omnia omnibus loca locis conferis, remotas regiones proximis implicas; exterisque ac dejunctissimis *i Antitheses.* nostras innectis. *i* Per te coërcentur tempestatum vicissitudines, dispersa congregantur, admoventur distantia, immota transvehuntur, concluduntur in puncto montes, exiguisque lineis flumina ingentia terminantur. Per te Asiam atque

atque Africa transferimur in Europam; orbem in novo lustramus veterem, Australes plagas in Septentrione, Orientem in Occidente, & vicissim Occidentem in Oriente, sine ulla tamen ordinis perturbatione obimus. Tuâ operâ quæ miracula, sed jam sine miraculo patrantur! figitur fluminum lapsus; firmantur, quæ naturâ fluunt: Sistitur, quod semper volvitur; quod globosum est, explicatur; retinetur, quod stare nescit; quodque nonnisi suis libratum fundamentis sustineri potest alienâ vi nutuque, ac sine fundamentis consistit.

Amplificationes à Consequentibus.

AMPLIFICATIO *fit ab hoc loco, cùm ea, quæ rem quampiam consequuntur, exponimus. Ut si adversus Auctorem belli faciendi mala enumeres, quæ bellum sequi solent; videlicet:*

1 Exhaustum ærarium, abacta pecora, proculcatas segetes, incensos vicos & villas, desertos agros, eversa mœnia, compilatas domos, direpta templa, fractam laboribus juventutem, tot adolescentium mores licentiâ depravatos, tot virgines indignè constupratas, tot orbos senes, tot viduas matronas: oppressas præterea leges, extinctas arces, corruptam disciplinam, obliteratam religionem, con-

1 Distributio partium. Ex 4. ad Heren. & Erasmum de cop.

confusa divina humanaque omnia tibi uni accepta referimus, si belli auctor fueris.

Solis occasum consequentia.

m Hypotyposis. *n Allegoria à funere petita.* *o Similiter cadens.* *p Isocolon.*

m Cerne ut occidente die quasi *n* natura omnis esset extincta sepultaque tenebris, amicitur veste funebri mundus; ut accensæ micant toto æthere funestæ faces; ut cœlum, quod manè præ lætitia colliquescebat in rurem melleum, serò solvitur in noxium fletum; ut evanescit orbis pulchritudo, ut obsolescit splendor urbium, camporumque amœnitas, *o* & plantarum viror, & florum decor, & totius telluris honor; ut triste silentium cuncta tenent, dum solæ noctuæ, soli bubones, vespertiliones ac ranæ infestant omnia ferali cantu, sibilis horrisonis, infaustis stridoribus, & coaxationibus malè ominosis. Intereà cæteras animantes stupor ac pavor occupat *p* volucres gemunt in nidulis, pecudes latitant in antris, feræ fremunt in cavernis, & homines jacent in lectis oppressi somno, sopore obruti, &c.

Conditionum æqualitatem consequentia.

Si nullum esset potentiæ, nullum dignitatis & auctoritatis discrimen, sed æqualiter homines omnes idoneâ bonorum copiâ fruerentur, (quod futurum fuisse præstabilius Thales censebat) quid sequeretur? hoc nimirum: ut cùm pares essent omnes futuri opibus & potentiâ

tentiâ, reperiretur nemo, qui audaciam improborum posset reprimere, compescere furorem, libidinem ac petulantiam coërcere. *q* Atque ita volitarent passim homines illi, quos immanis acerbaque natura ad flagitia stimulat, amentiâ incensi, inflammati libidine, audaciâ terribiles? & quò furor impelleret, quò cupiditas incitaret, eò sine ullo formidinis sensu continuò raperentur. *r* Nam quid est, quod tunc nefarios illorum conatus posset frangere? pœnarum timor? at quis irrogaret? Leges? at quis ferret aut tueretur? Mulctæ irrogatio? at quis diceret? quis infligeret?

q Hypotyposis.

r Subjectio.

Hoc certè jam habemus, ut latebras quærant qui peccare volunt, lucem fugiant, opportunitates aucupentur; suppliciorum quippe metu, & legum vinculis irretiti tenentur, & judicia reformidant eorum, qui auctoritate præstant: Qui si non essent, quid esset? cur scelerati homines sua vitia tegerent, flagitia occultarent, aliorum vitæ ac pudicitiæ insidiarentur: Quin potiùs propositâ sibi certâ impunitatis spe quàm maximam esse peccandi illecebram, nemo nescit; *s* ruerent in scelus præcipites, in omni flagitiorum cœno volutarentur, & perfractis per summam licentiam pudoris ac naturæ repagulis, non modò non tenebras quærerent, & integumenta suorum criminum, sed in turpissimis ac nequissimis rebus frequentissimâ celebritate, & clarissimâ luce lætarentur.

s Expolitio & Gradatio.

Volu-

Volatum Consequentia, si alatus esset homo.

Longè beatiorem fore mortalium vitam, si essemus omnes pennis instructi, satis indicat communis illa omnium volandi cupiditas, & publica vox: *t* O utinam, inquiunt, alatus nunc essem! O si darentur pennæ mihi! Fecissent Superi similiter atque aves volare nunc possem!

t Synonyma.

Quid enim faceres, quæret aliquis, si aliger esses? rogas? quid verò facere non possem? *u* nobilissimas orbis universi partes percurrerem, provincias obirem, lustrarem regiones & oppida, tranarem fluvios, flecterem promontoria, maria transmitterem, immensa terrarum aquarumque spatia celeritate admirabili, incredibilique delectamento pervolarem.

u Similiter cadens & desinens.

Quid præterea? *x* Ambularem quò liberet, pedem inferrem quò placeret, omnibus me locis præsentem sisterem; pervaderem infestas barbaris oras sine metu; obsessas hostium munitiones perrumperem sine formidine; & per invias solitudines, per vastos sylvarum recessus, per abrupta montium juga, difficilesque aditus *y* elusis custodibus, irrisis vigilibus, neglectis præsidiis, contemptis excubiis, arces, castella, turres, propugnacula, civitates tutus invaderem, securus abirem.

x Isocolon.

Enumeratio partium.

y Similiter cadens

z Atque hæc quidem, si in exteris placet peragrari regionibus; nam si domi remanere delectat, & eas aves imitari, quæ terris tempestatibus vertunt solum; non minor sanè, imò liquidior existet voluptas, tum maximè, cum rela-

z Transitio.

relaxandi animi gratiâ nos ad volatilem deambulationem cum familiaribus conferemus. Tunc enim modò leni alarum remigio amicos salutatum per urbem volitabimus; modò podiis insidentes, aut mœnianis; aut fenestris ædium inspicere poterimus, quæ fiunt in conclavibus & cubiculis; qua delectatione haud scio an ulla possit in vita esse limpidior. Nunc ubi remiserit hyemis inclementia, impellente Zephyro, & vocante aura in hortos & viridaria confluemus, ibiq; florescentibus insistentes arborum ramis, aut cum lusciniis canemus, in amœno secessu, sub umbella frondium; aut inter vepreta tonsilesque sylvas cum passeribus, aliisque aviculis colludemus: quo quid ad sensuum animique oblectationem jucundius?

a Sed hæc ad voluptatem; quid commoda memorem volatu provenientia? Fac eum hominem alatum esse, quantam tunc, Deus immortalis utilitatum messem colliget? Sanè in Cretensibus licet labyrinthis, difficultatumque Mæandris inextricabilibus includatur cum Dædalo, indè alarum beneficio evadet liber cum eodem, & velocitate mirabili b quo illum vocabunt negotia, quo incitabit amor, quo spes impellet, quo rapiet cupiditas, quo feret innata propensio, nullo labore, nullis impendiis nulla commeatus comparandi cura, iniquitate locorum nulla prohibente viam, aut retrahente peregrinationis consilium, sine animi molestia, aut corporis defatigatione pervolabit.

a *Transitio.*

b *Repetitio.*

Ampli-

Amplificationes ab Adjunctis.

Antonii vomitum amplificat Tullius ab Adjunctis personæ, loci, temporis, circumstantiarum his verbis:

2. Phi- lipp. 63. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini Hippiæ nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu vomere postridie. *c Exclamatio.* c O rem non modò visu fœdam, sed etiam auditu! Si inter cœnam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In cœtu verò populi Romani negotium publicum gerens Magister Equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustris esculentis vinum redolentibus, gremium suum & totum tribunal implevit.

Puerorum describitur ab Adjunctis mala indoles.

Pueri bestiolarum in morem nihil aliud ambiunt, quàm quod blanditur oculis, aut arridet palato, aut sensum aliud quapiam delectatione permulcet. *d Similiter cadens & desinens.* d Qui animum in ea perpetuò cogitatione defixum habent, ut mentem nugis obruant, ingluviem cupediis expleant, ridicula venentur, papiliones aucupentur, jocis incumbant, ineptiis indulgeant, dies noctesque levissimis oblectatiunculis conterant: qui rotâ figulari mobiliores stare

loco

loco nesciunt, mente vagi, animi volucres, ingenio plumei, linguâ lubrici, indole petulci, modo turbulenti, assueti tripudiis, passim palantes, concursantes, subsilientes, seseque in omnem partem nullo non loco ac tempore turbinis instar agitantes: qui levitate ipsâ leviores amant hodiè, cras odêre; nunc blandiuntur, postpaulò obmurmurant; rident modò placidè, ac derepentè torvè plorant & quem manè suaviantur, vesperi, si vires juvaret audacia, unguibus appeterent, dentibusque furibundi dilaniarent.

e Præteritio interrogationi juncta.

e Nihil dico de sordibus: nam quid puero negligentius? Trade illi prætextam auro splendidam, luto mox reddet inquinatam. Mitto socordiam: nam quid vecordius? Propone sceptrum, sceptro præponet calculos, & posthabebit nucibus coronam. Stuporem prætereo: nam quod stolidius? Doce, quid sit honestum, surdo canis; enarra fabellam, aures arrigit illicò.

Adolescentium præclara in scholis indoles.

f Interrogatio & Repetitio.

g Definitiones.

At vobis, Adolescentes urbanissimi f quid solertius: Quid comius? Quid ingeniosius? quid magis illecebrosum, & magis adblandiens? Vos g Musarum amores, Parnassi Christiani decus, Reipublicæ nostræ lumina, Gymnasiorum estis ornamenta. Vos, specie venusti, elegantiâ liberales, ornatu comptuli, omnium pellicitis oculos & corda; & quorum benevolentiam statu-

h *Enumeratio partium.* h staturæ dignitate, splendore frontis, capillorum cicinnis, aptâ corporis habitudine membrorumque omnium concinnè inter se lepideque nexorum pulcherrimâ conformatione colligitis, pulchriorum decore laudum, animique commendatione nobiliori penè cogitis ad obsequium.

i *Antitheses.* i Vos, non importuni, ut illi pusiones, de quibus dicebam modò sed festivi; non inepti, sed commodi; non insulsi, sed urbanitate conditi; non sordidi, sed lauti; non stupidi, sed argutissimi, l quo genere officii vestros non demeremini præceptores? quæ non præbetis argumenta vestræ in vos observantiæ? quam studii significationem non adhibetis? Ut illos colitis! ut amplectimini! ut dicto estis audientes! ut vos ad illorum mores nutumque fingitis! m Lætitiamne illi præferunt? adridetis. Doloremne? unà doletis. Ornatene dicunt? applauditis. Appositene docent? laudibus effertis. Acutene docent? sine fine miramini. Quid multa? n summo studio paretis jubentibus, obsecundatis adhortantibus, fertis objurgantes, redamatis amantes, absentibus gratum præstatis memoremque animum, præsentibus exhibetis venerationem ac reverentiam.

l *Repetitio.*

m *Subjectio.*

n *Similiter cadens & desinens.*

Amplificationes à Contrariorum Frequentatione.

2. Phil. 304. *Est contrariorum, seu Antithetorum frequentatio, cùm multa sibi adversantia congeruntur. Mirabilem habet Tullius Amplificationem ab hoc loco ductam, cùm describens ea, quæ in Varronis villa*

villa fiebant ab Antonio homine impurissimo, ita sequitur.

At quàm multos dies in ea villa turpissimè es perbacchatus? Ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur. O tecta ipsa miseria! quàm dispari domino, (quanquam quomodo iste dominus?) sed tamen quàm à dispari tenebantur! Studiorum enim suorum Marcus Varro voluit esse illud, non libidinum diversorium. Quæ in illa villa antè dicebantur? quæ cogitabantur? quæ litteris mandabantur? jura Populi Romani, monumenta Majorum, omnis sapientiæ ratio, omnisque doctrina. At verò te inquilino (non enim domino) personabant omnia vocibus ebriorum, natabant pavimenta vino, madebant parietes, ingenui pueri cum meritoriis, scorta inter matresfamilias.

In Judam proditorem.

Perge, scelerate proditor, perge, *l* quo cœpisti pede, Caput generis humani perdere, pestem moliri in Auctorem vitæ, Lupis adornare convivium, purissima carne Agni sanctissimi; Solem mittere in lethales umbras, Veritatem tradere vinctam in manus calumniæ, & triginta argenteis, per inhumanitatem planè ferream, sacrum humani generis Redemptorem, emptoribus sacrilegis videre. O excæcate, qui solùm ut *m* loculos consulas, oculos habes. O imprudentissime Nundinator, & ô ex avaritia Prodige; qui inventum in horto thesaurum omnis sapientiæ, non abscondisti, illum ut tibi emeres, sed potiùs ut perderes prodidisti.

l Antithesis.

m Paronomasia.

O Pul-

Pulchritudinis potentia.

Jam si pulchritudinem laudare placet, ejusque amplificare potentiam, sic eloqueris.

Illa est, quæ corporeo fragilique throno insidens, secura dominatur in animos, & quantumvis ab omni sensuum contagione remotos suis legibus obnoxios reddit. Illa est, *n* quæ lepore suo pertinacissimos flectit, quæ ignibus suis inflammat frigidissimos, quæ lautitiâ gratiarum ferreos emollit, humanitate frangit barbaros; mitigat urbanitate agrestes, suavitate feros domat, solo aspectu stupidissimos excitat ad sui venerationem & obsequium.

n Antitheses & Paronomasia.

Tyrannidem exerceri diceres, adeò cuncta sibi sine lege subjicit, nisi amorum potiùs bella gereret, quàm armorum jure; si insidiis, non illecebris grassaretur, si tela inficeret veneno, & non ambrosiâ; vulneraret spinis, non rosis; & sagittæ, quas ad cor adigit, aliunde mitterentur, quam ab arcu oculorum.

Tyrannum crederes, si spicula non essent oscula; si delitiis, non tormentis; gratiâ, non terroribus; nectare, non cruore; non laqueis, sed lenociniis; voluptate, non clade; leporibus, non machinis; veneribus, non vulneribus nos illa non adoriretur; & faces aliàs vibraret, quam quas accendit amor; & hostem, quem oppugnat, non converteret in amplexum potius, quàm in fugam.

Pugnat siquidem virago illa victrix animorum *o* pugnat in otio, vincit in pace, triumphat oculis, tacendo tonat, aspectu fulgurat; & uno, non dicam impetu, sed intuitu, pectus invadit,

o Disjunctio.

vadit; cor obsidet, expugnat animum, sibique tributarium facit. Quid? quod sine voce loquitur; sine vi vim affert, sine catenis allicit, sine præstigiis immutat mentem, & vidisse, vicisse est; & visam esse, triumphasse.

Testis Helena p testis Phryna q testes innumeri, sed tamen, illa jam palo alligata, atque obruenda lapidibus, oculorum fulgure, de lictorum manibus lapides excussit: Hæc manifesti comperta criminis, jamque multis præjudiciis irretita, simul ac discissa veste aperuit, sinum, præclusit ora judicum, & pro se perorante formâ, cunctorum sententiis absoluta est. Ut vel inde verum fieret, quod Lyricus Poeta r r de hoc eximia naturæ dote ingeniose cecinit, fuisse videlicet pulchritudinem mortalibus à natura datam s ut eâ lancearum, scutorumque loco uterentur; ferrumque, atque ignem vincere, qui decore præstat.

p *Euripidis Scholia*
q *Plutarch. in Hyperide.*
r *Anac. Od. 2.*
s Ἀντ' ἀσπίδων ἁπάντων. Ἀντ' ἐγχέων ἁπάντων.

Amplificationes à Comparatione.

Locus hic tum maximè Amplificationi subservit cùm multa inter se per comparationem opponuntur; ideoque ad Contrariorum locum reduci potest. Terna Exempla adjectam, ad idem argumentum pertinentia. Comparabo nimirum inter se. 1. Puerorum & Adolescentium indolem. 2. Utrorumque Magistros item componam. 3. Instituetur denique contentio inter eas res, quæ doceri solent in scholis: Quod argumentum idcircò sæpius retracto, quod personis, quæ

 frequ-

frequentiùs usuræ sunt his elucubrationibus, conveniat magis.

Pueritia & Adolescentia ita comparantur, ut illa huic præponatur.

a *Apostrophe. Definitiones.* a O Adolescentia, feralis ætas, funestissima vitæ pars! quantùm nostris Academiis obes, obfutura es, obfuisti! Tu innocentiæ profligatrix, Tu expugnatrix pudicitiæ, Tu nostrorum pernicies alumnorum, musarum labes, morum corruptela, virtutum pestis, scholarum calamitas, disciplinarum liberaliorum exitium: Tu fruteta nostra depopularis, exuris viridaria, violaria violas, roseta ita vastas, ut, floribus evulsis, tristes nobis relinquas spinas, dum colligendarum frugum tempestatem adesse commodam putabamus.

b *Allegoria ab Agricultura.* Ita enim profectò se res habet. b Primâ fronte Adolescentia, frugibus percipiendis idonea videtur ætas, aptior certè quidem quàm puerilis; quod secùs est. Non enim solùm amœnitate florum cultura puerorum jucundior est, quàm Adolescentium, verùm etiam ubertate frugum utilior.

Et quippe Adolescentis ingenium ferax quidem, sed infelix *Ager*, densiorem in sylvam dirarum veprium *fruticans*; ad quem, sationi commodæ præparandum, quantùm operæ, Deus immortalis de evellendis nocentibus, pestiferisque plantis cupiditatum, quibus vernans ætas illa sylvesci; coërcendaque insanâ illâ perversarum, quibus progerminat, animi affectionem luxuriæ; quantum necesse est na-

 vare-

vare negotii! At puerilis animus, instar *Humi subactæ atq; puræ*, quæ nunquam recusat cultoris imperium, parato semper, mollitoque gremio sparsum à præceptore semen excipit, spontaneasq; fundus fruges nunquam sine usura reddit, quod accepit.

Accedit ad hæc Puerorum mira docilitas; Adultorum verò penè intractabilis indoles: c Illi enim tanquam *Arbuscula* in suum semper ordinem directæ, si tantisper deflectant à linea, molli digito diriguntur, & flectuntur in quamvis partem sine vi: Hos contra jam obduratos annis *stipites*, carneosque *truncos*, si semel tortuosi & abnormes excreverint, quæ ratio corrigat? quæ manus inflectat? quæ solertia restituat in pristinum statum? *c Allegoria ab Arboribus.*

Illos *d* mollioris instar *Argillæ*, in quaslibet trahit figuras Plastes perita manus, cereosque fingit, atque refingit animos, & sedens placidusq; ductilem ac sequacem in omnes partes indolem labore nullo tractat, nutuque temperat, & ungue perpolit: At istos, asperitate *saxeos*, obstinatione *marmoreos*, quis efformet in statuas? quis animet in viros? quis scabris splendorem afferat, nisi insitam pervicacissimæ duritiem mentis, obsistentem scalpri conatibus, summâ contentione brachiorum, assiduaque malleorum repetitione & agitatione perfringat? *d Allegoria à statuaria.*

e Illi veluti *puræ Tabulæ* nihil habent, quod penicillum remoretur coloresque respuat. Hi, ceu *Telæ* atramento *illatæ* oppletæque pulvere, artificis frustrantur industriam, & operam miserè corrumpunt. *e Allegoria à pictura.*

Præceptores Puerorum & Adolescentum ita comparantur, ut illorum conditio, quàm istorum, potior appareat.

Quam læta, quam amœna est, felicissimi Præceptores, puerilis provincia, quæ vobis obtigit, vestræque charitati commissa est! Vestra secùs, quam impedita, quam molesta, quam plena negotii, graviorum Doctores artium!

Allegoria à Pastoris officio ducta. Vos purissimo stipati grege puerorum, Pastorum instar, *Agnellos* tegitis expertes cornuum, illibato vellere nitidos, gestiente naturâ ludibundos & alacres, innoxioque dente saluberrimas Latinorum novalium plantas, per florulenta Musarum viridaria, depascentes: Vos, *vervoces* plerumque scabiosos, Caprosque turpes, vitiis olidos, petulcos, petulantes, barbigeros, atque cornigeros agitis in uberrima solidarum pascua scientiarum, impudenti ingratoque cornu arietantes, & ipsum sæpè ferientes Custodem gregis.

Allegoria ab avium educatione. Vos jucundissimè circumvolitantes *Passerculos*, & suaviculos sine felle *Columbulos*, tenerrimosque sine ungue *pullos*, sub geminas pietatis & eruditionis alas colligitis, sensimque ad volandum excitatis, ad veræ laudis apicem: Vos verò, *Milvos, Accipitres, Struthiocamelos*: leviora dicam, vos *Palumbos*, vos *Anates*, atque *Pullastros*, pretiosis doctrinæ granis, magno labore alitis, qui vestris deinde beneficiis saginati, maledico subinde rostro, unguibusque impiis, in ipsos sæpè Nutritios, ac progenitores insiliunt.

Vestras

Vestras ego dum Scholas cogitatione perlustro, pueritiæ cultores beati, mihi in *Hortulo* quodam versari videmini, elegantissimè consito, pervenustis collucente flosculis, mirâ herbularum varietate picturato; in quo si quis exauditur garritus, si quod murmur excipitur, garritus est gratissimus Aviculárum & rivulorum lene murmur, lapillis occursantibus obloquentium, aut tener Agnorum balatus, aut blandæ querimoniæ Turturum, aut gemebundæ voces Columborum; Vestras autem dum oculis, animoque pererro Exedras, Tutores juventutis infelices, non scholas, sed *sylvas*, (date veniam, si paulò liberiùs loquar) *sylvas*, inquam cernere me puto, senticetis asperas, monstris infestas, ferisque infames: ubi haud infrequenter tumultuantur Onagri, & Vulpes obganniunt, & Molossi latrant, grunniuntque Sues, Anguesque venenati sibilant. In quibus, ut planiùs dicam, nebulones audaculi blaterant, protervi ringunt, delicati torpent, ignavi jacent, somnolenti oscitant, fœtent obscœni, tument arrogantes, vani sese jactant, se insolentes efferunt, seditiosi turbas cient, & jurgiosi rixas movent.

Allegoria in hortis & sylvis.

Disciplinæ, pueris & Adolescentibus tradi solitæ, inter se comparantur.

Ad ea veniamus quæ Pueris & Adolescentibus condiscenda præscribi solent, quantumque inter se discrepent, & mutua utrarumque rerum contentione colligamus.


Illis Grammaticæ quisquilias, putidasque rudimentorum minutias explanamus; qua videlicet ratione, sint maritanda verba verbis, & nominibus illiganda nomina & propaganda conjugio phrasium, & copulatione particularium familia vocabulorum: Istis, Eloquentiæ divinam vim aperimus, æternæ Sapientiæ veneranda placita patefacimus, augustiora rerum adyta, arcanaque naturæ penitiora, sub aspectum subjicimus, & in propatulo collocamus.

Illos docemus, quo verba modo inflectenda sint; Hos, quo modo à vitiis deflectendum. Illos, quo pacto nomen; Hos, quâ ratione culpam declinent. A nobis discunt illi, vocum; Isti, morum concordiam. Senos illi nominum; innumeros isti humanæ vitæ casus examinant. De literarum illi Elementis balbutiunt; Isti de mundi Elementis peracutè philosophantur. Illorum denique linguam acuimus; Istorum efformamus animos: Illi ne inquinatè dicant; Isti, ne inquinate vivant, dicantque benè & melius agant.

Videsis luculentum amplificationis Exemplum. Ab Exemplorum frequentatione, *sub hujus libri finem, in Panegyrico Laudis.*



PARS



PARS III.

DISSERTATIO
DE
NOBILISSIMO
DICENDI GENERE;
HOC EST,
DE PANEGYRICO,
SEU
LAUDATIONE.

CUm triplex ſit dicendi Genus, ut alibi diximus, Demonſtrativum ſcilicet, Deliberativum, & Judiciale; conſtat, præſtantiſſimum juxta atque utiliſſimum illud eſſe, quod primo locó nominavimus. Proinde de hoc inſtituam nunc diſputare, quantùm ſatis viſum fuerit ad informationem Candidati noſtri, miſſis aliis duobus, utpotè minùs in uſu poſitis, & ab ſcholarum communi exercitatione remotioribus. Præterquam quod haud ſanè operoſum fuerit Rhetori, qui Demonſtrativum hoc noverit Genus cum laude tractare, pari ſecum laudem Judiciali & Deliberativo exercere, cùm uſus poſcet.

Eſt & alia ratio, cur hoc potiùs laudativum

Genus susceperim explicandum tyronibus Eloquentiæ. Nimirum *inter dicendi Rudimenta numeratur laudatio*, ut habet Quintilianus, *quod* scilicet *in ea juvenili redundantia detur locus, ipseque ornatuum excessus permittatur facilè.* Hanc propterea exercitationem juventuti commendat Cicero à *quasi nutricem Oratoris nondum adulti & perfecti, cujus educata nutrimentis Eloquentia, ipsa se posteà colorat & roborat in aliis dicendi generibus.* Verùm, priusquam rem aggrediamur, varias præmittamus appellationes, huic Generi tribui solitas.

a Orat. 3742.

Laudativi Generis Appellationes variæ.

Varia sortitur nomina hoc dicendi Genus: Nam & Laudativum, seu Exornativum dicitur, & Panegyricum appellatur, & Epidicticum sive Demonstrativum vocant. Enucleemus hæc nomina.

1. LAUDATIVUM appellatur & EXORNATIVUM, *à meliori* sui *parte*, (inquit Cicero, partit. 69.) quæ est laudatio; rarius quippe in vituperatione versatur; nihilque fermè vituperat, nisi ut aliud magis commendet.

1. PANEGYRICON vocatur; & laudationes illæ, quæ olim in conventu populi & sacris celebrationibus, in Deorum aut heroum honorem habebantur, PANEGYRICI dictæ sunt, à nomine Græco Panegyris, quod conventum publicum significat: Ex quo factum, ut etiam nunc quævis oratio in laudem alicujus

jus instituta, PANEGYRICUS vulgò nominetur.

3. EPIDICTICUM dicitur, seu DEMONSTRATIVUM, quod totum ad pompam natum videatur: Nam ἐπιδεικνύσθαι dicebantur in ludis & certaminibus Oratores, Poetæ, Citharœdi, &c. quoties de palma cum æmulis, magnâ hominum frequentiâ certarent. Est autem idem ἐπιδεικτικὸν Græcè, quod *Demonstrativum* Latinè, à verbo ἐπιδείκνυμι ostendo, demonstro; quod quasi inquit Cicero b *ad ostentandum & inspiciendum delectationis causa comparatum est*. Et rectè audit, *delectationis causa*; nullus enim ferè alius Epidicticæ Eloquentiæ scopus est, quàm ut honestam voluptatem creet auditori. Non est tamen inanis voluptas illa, & cassum quiddam; laudando siquidem & vituperando demonstramus, quid honestum, quid turpe sit. Atque adeo quid amplectendum, quidve respuendum.

SECTIO I.
LAUDATIONIS MATERIA.
Seu
De iis, propter quæ Laus tribuitur.

APpendicem hanc dividimus bifariam. Prima pars, Materiam laudationis; altera,

Formam complectetur. A prima ducemus initium, ubi perstrinxerimus.

Quænam illa sint quæ laudari possint?

Q. Quæ sunt res illæ, quæ cadunt sub laudem?

R. Res omnes quidem, sed omnium maximè Virtus, & quæ cum illa sunt connexa? ut vitium contra vituperandum, & quæ cum illo conjuncta sunt. c

a Cicer. part. 71. Q. Quæ sunt ea, quæ cum virtute aut vitio conjuncta esse dicis?

R. Ea omnia, quæ communiter dicuntur, Animi, corporis, & fortunæ bona. Nec enim fugere te potest trita illa bonorum partitio, in ea quæ exornant animum; in ea, quæ corpus commendant; & in ea, quæ à fortuna tribuuntur.

Q. Recense quæso illa singularius?

R. Incipio à minoribus, nimirum à fortunæ bonis, quæ sunt præ cæteris, Nobilitas, Opes, Honores, Fama nominis. Corporis autem bona, Sanitas, Robur, Pulchritudo. Animi verò bona, bonorum omnium maxima sunt. Scientia & virtus.

Q. Quid? Suntne illa Bona omnia obnoxia Vituperationi?

R. Sunt profectò, si unam excipias Virtutem.

Q. Quid? ita verò? Nam si verè bona sunt, uti bona dicuntur, non video, cur vituperanda unquam videantur?

R. Bona sunt, & bona dici debent, sed eatenus, quatenus ut monebam modo, cùm virtute

sunt

sunt copulata; si enim ad vitia, ad scelera illis abutimur, bona non sunt, sed mala maxima.

Q. Quid de illis rebus sentiendum, quæ neque cum virtute, neque cum vitiis conjuncta esse possunt, cujusmodi sunt animalia omnia, plantæ, metalla, sidera, regiones, oppida, cæteraque hujus generis, naturæ atque artis opera; laudarine & vituperari aliquando possunt?

R. Distinctione utendum est: Naturæ quidem opera, quod perfecta sint, (nihil enim effecit Deus, quod in suo genere non sit expletum suis numeris) vituperabile nihil habent: at vero artefacta, cùm sæpissimè imperfecta existant, & in iis desiderari multa possint, vituperio notari queunt. Quin etiam animalia quædam noxia, steriles agros, regiones desertas atque horridas, aliaque hujusmodi vituperare quandoque solemus, non Divinam carpendo providentiam, quod sacrilegium foret inexpiabile, sed incommoda commemorando, quæ nobis afferunt. Cæterùm tam laudatio, quàm vituperatio propriè ad hominem referuntur; quem idcirco laude afficimus, aut vituperio, ut qui audiunt, metu dedecoris avocentur à vitiis, & cupidine laudis inflammentur ad amorem virtutis.

Expone mihi jam quæso, quæ sit laudationis materia, i.e. quænam sint illa, è quibus laudatio efflorescit, & propter quæ laus tribuitur.

R. Faciam libenter, ubi monuero tripartitam esse laudationis materiam. Etenim vel res ipsæ extra hominem positæ, ut artes, urbes, animantes, &c. vel facta quædam singularia, vel denique personæ ipsæ laudantur. Itaque ut ordinatè

& clarè tibi patefaciam, quid sit in hoc triplici rerum genere materia laudationis, in tria capita partiemur hanc partemprimam.

CAPUT I.

Rerum ab homine sejunctarum laudatio.

RES istæ, quia infinitæ sunt numero attingi à me non possunt universæ, idcirco paucas è præcipuis generibus proferam, in quibus laudationis capita, hoc est, argumenta ipsa laudum, quæ illis tribuuntur, indicabo.

Laus virtutis generatim spectata.

Æquum est, initium ut sumamus à virtutis laude, cum sine illa nihil quidquam, teste Tullio *d* sit laudabile, imò nec laudari possit, *e* eique uni laus debeatur. Ex his porrò capitibus & locis laudabis virtutem.

d *1. Tuscul.*
e *de Or. 343.*

I. A DEFINITIONE. Quid est virtus? Bonorum omnium fons & parens; malorum omnium remedium; felicitatis absolutæ origo unica; thesaurus honestatis & honoris inexhaustus. Quid est virtus? Naturæ absolutio est *f* & eorum, quæ communis illa parens inchoavit, delineavitque quasi rudi penicillo, numeris omnibus expleta perfectio. Aut si mavis, Tullii verbis tibi respondeam *g* nihil aliud est, quam *in se perfecta & ad summum* per-

f *Stobæ.*
g *1. de Leg. 25.*

perducta natura. Quid est virtus? Audi Platonem: h *Virtus est sanitas, vitium verò morbus.* Doctorem audi meliorem ac majorem, Magnum Gregorium; i *Medicamentum virtus est & vitium vulnus.*

h *de Republ.*
i *In Moral.*

II. A NOTATIONE NOMINIS. Virtus à viro nomen mutuata est, l quasi vir nemo esse possit, qui virtute non sit ornatus.

l *Cic. 2. Tusc. 43.*

III. AB EFFECTIS. 1. Sola virtus nobiles ac liberos facit. m *Vitium contra ignobiles, ignavos ac servos.* 2. Mirabiles sui amores excitat. *Nihil est,* inquit Tullius n *virtute amabilius, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum, quippe cùm propter virtutem & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodam modo diligamus; cujus ea est vis, ut eam, quod majus est, in hoste etiam amemus & colamus.* Beatos efficit, quos ornat. o *Beatus esse,* inquit idem Orator, *sine virtute nemo potest, cujus tanta est vis, ut non possit unquam esse vir bonus, non beatus.* Neque verò quidquam aliud ad felicitatem desiderat virtus, præter se p *Se ipsâ enim ad beatè vivendum contenta est.* Immortalitatem nobis impertit. *Una res est virtus,* ait Seneca q *quæ nos immortalitate donare possit.*

m *Plato de Rep.*
n *de Amicit.*
o *In Pison*
p *Cic. 5. de fin.*
q *de immal. mort.*

IV. AB ADJUNCTIS. 1. Potentia virtutis summa est. *Sola virtus* r *in sua potestate est;* *omnia præter eam subjecta sunt fortunæ dominationi.* s *Omnia alia caduca & mobilia sunt, virtus est una altissimis defixa radicibus, quæ nullâ unquam vi labefactari potest.* t *In tempestate quieta est, & lucet in tenebris, & pulsa loco, manet*

r *4. ad Herenn.*
s *4. Philip. 13.*
t *Pro Sext. 62.*

tamen

tamen atq; hæret in patria, splendetq; per se semper, nec alienis unquam sordibus obsolescit. Dives est virtus, *qua præditi qui sunt* u *soli sunt divites, soli enim possident res fructuosas & sempiternas. Et omnia adsunt bona*, inquit Plautus, *penes est virtu,* Honesta est virtus, imò honesta est ipsa, nihilque honore & laude dignum præter illam. x *Verum decus*, inquit Tullius, *in virtute positum est.* 4. Pulchra est y *Nihil est, mihi crede*, ut idem, *virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius.* z *Quis est, qui non admiretur splendorem, pulchritudinemq; virtutis? adeò pulchra est, ut vel ipsius simulacra rudiaq; lineamenta adumbrata in animalibus, non possimus non amare, atque suspicere. Hinc fit ut ipsa etiam vitia, quò se nobis commendent, virtutis speciem subinde induant. Nam & prudentiam malitia, & magnitudinem animi superbia, & liberalitatem effusio, & fortitudinem audacia, & avaritia temperantiam, & religionem superstitio imitatur.*

u Cicer. Parad. ult.
x Epist. 10.
y Epist. 9. 14.
z 2. Offic. & in Partit.

V. A Consequentibus. *Virtuti perfectæ*, inquit Aristoteles *a*, *condignus honor haberi nequit. Eam*, inquit Tullius *b*, *necessariò gloria sequitur.*

a In Rhet.
b 1. Tusc.

VI. A Simili. Quod Sol in cœlo, hoc in homine virtus. Præclarè Cicero *c*, *Ut obscuratur*, inquit, *& effunditur luce Solis lumen lucernæ; sic rerum corporearum æstimatio splendore virtutis & magnitudine obscuretur & obruatur, atq; intereat necesse est.*

c 3. offic.

VII. A Testimonio & auctoritate Sapientium *d*; cujusmodi est, quod de Gorgia proditum

d Laert.

ditum est, qui percontantus Socratem, beatumne putaret Persarum Regem, hoc responsum tulit. *Nescio hercle*, inquit, *quantum virtutis habeat.* Neminem scilicet beatum existimavit homo prudentissimus nisi qui omni virtutum genere esset instructissimus.

Laus virtutis speciatim considerata.

Etsi, quæ hactenus de laude virtutis generatim sumptæ attulimus, cuilibet singulari virtuti attribui possint; propria tamen ac certa sunt capita, quibus virtutes singulæ seorsim spectatæ commendari possunt.

Q. Quænam illa capita sunt, quæso edissere?

R. Illa sunt 1. Ejus honestas & excellentia. 2. Ejusdem necessitas. 3. Effecta. 4. Comparationes. 5. Contraria. 6. Causæ. 7. Similitudines. 8. Effata Sapientum. 9. Emblemata. 10. Exempla, seu historiæ. Singula hæc exponamus in exemplo. Priùs tamen, quàm illud inchoem, unum monendus es, mi Candidate, videlicet exemplum hoc, itemque alia, quæ deinceps adjungam, non habitura Orationis ornatum illum, quem requirit ars eloquentia: hæc enim prima pars quam explicamus materiam laudationis exhibet, non formam, hoc est, argumenta laudum proponit: nuda, nullis verborum ac sententiarum ornamentis illustrata. Hic igitur spectare noli dictionis elegantiam, sed tantùm vim & varietatem rationum.

Castitatis encomium.

Facilè tibi fuerit ab his, quæ modò indicavi, capitibus illud contexere.

I. *Ab honestate & excellentia*, exponendo nihil

nihil esse naturæ magis congruum, nihil convenientius rationi ac Deo gratias, hominibusque magis venerandum & admirabile, quam castitatem.

II. *A Necessitate.* Usque adeò necessaria hæc virtus omnibus est, omnique tempore ac loco, ut ejus expertes prohibendi sint regni cœlestis aditu.

III. *Effectus* recensendi, quos virtus hæc parit. 1. In corruptionem naturæ præstat corruptibili. 2. Homines Angelis simillimos efficit. 3. Conciliat non corpori solùm, sed menti decorem ac dignitatem incredibilem. 4. Fœdus & amicitiam singulari quadam ratione jungit inter ipsum hominem ac Deum, illius animam Divini sponsi sponsam reddens.

IV. *Comparatio* fiat inter castitatem & virtutes cæteras, v. g. fortitudinem, pietatem, &c. demonstrando nihil esse castitate fortiùs, quippe quæ hostem omnium ferocissimum, ac potentissimum, carnem nimirum nostram domat, Pietatem, virtutesque alias, etsi eximias per sese, castitate si destitutæ fuerint, gratas esse Deo non posse. Exponatur item, si lubet hâc unâ castitatis virtute multas contineri, à quibus sejungi ea non possit, v. g. patientiam, modestiam, continentiam, orationis studium, contemplationem rerum divinarum, aliasque plurimas.

V. *A Contrario* vitio laudabitur, si proponatur luxuriæ fœditas, dedecus, fœtor, turpitudo, indignitas, gravitas, nullis verbis satis explicanda, nullo pœnarum genere satis expianda.

VI. *A Causis*, finali, efficiente, ac materiali

quo

quo pacto nempè ingentibus promissis à Deo factis pellecta humana mens, spe potiundi sempiterni gaudii metu æternorum suppliciorum, quibus impudici torquentur, obscœnas voluptates respuat, libidinem frænet jejuniis, & assiduâ precatione, accuratâque imprimis sensuum custodiâ, occasiones peccandi declinet, coerceat oculorum intemperantiam, turpes cogitationes exhorreat.

VII. *Similitudines* accersendæ; oculos mentis circumferendo per ea, quæ in rebus creatis præclarissima sunt. Dices, castitatem cæterarum virtutum immistam choro, esse veluti lunam inter minora sidera, esse lilium inter flosculos, esse in gemmis adamantem, & in metallis aurum, &c.

VIII. *Effata*, seu sententiæ sapientissimorum hominum proferendæ. Unum de infinitis accipe è celeberrimo Ecclesiæ Doctore Hieronymo in commendationem virtutis, quam prædicamus. *Quacunque*, inquit, *virtute polleas, quibuscunq; operibus niteas, si cingulo careas castitatis, omnia per terram trahes*, hoc est, defluent velut in cœnum ornamenta cætera, non secùs ac vestis pretiosa exundans per lutulenta loca conspurcatur, nisi cingulo collecta fuerit. In Epist.

IX. *Emblemata* adducenda Emblema porrò castitatis esse potest Rosa spinis septa; hanc enim virtutem tuetur ac munit asperitas vitæ. Aut Apes? illas enim libido non progenerat: d *Adest inimica virtutum voluptas castis sine labore corporibus, & solæ omnium animalium non edunt fœtus, sed faciunt, purissimoque ac floriulento rore adolescunt.* Aut Mus ponticus, d Quintil. Decl. 13.

qui

qui adeò munditiei est amans, ut latibuli sui aditu sordibus inquinato per venatores capi, occidique se potius sinat, quam fœdari.

X. *Exempla*, seu historias selectiores licebit adjicere, quibus probetur, quam exquisitis etiam in hac vita præmiis, quantisque honorum prærogativis ornata castimonia fuerit, vel apud Ethnicos.

XI. Poteris denique ingenii quasi penicillo virtutis, quam laudas, imaginem depingere, atque etiam velut animare, ipsique sermonem affingere, iisque instruere adjunctis, quæ veris duntaxat personis conveniant; cujusmodi sunt parentes, patria, nobilitas, pulchritudo, divitiæ,&c. ut si dicas, castitatis patriam cœlum esse; Deum, qui *seminator casti consilii* dicitur; habere parentem & sponsum Christum; quæ nobilitas major? quod genus illustrius? Ejus porro pulchritudo tanta est, ut superos etiam in sui amorem & admirationem traducat. Est enim admirabilis ejus majestas, & divina totius corporis dignitas. In ejus ore cœlestis pudor insidet, demissos habet modestissimè oculos, sinus purissimus candidior argento, stolâ est obnuptus aureâ; sinistrâ palmam, dextra fasciculum liliorum ac rosarum retinet. Caput coronâ præfulget gemmeâ, pulcherrimis illuminata unionibus: radiat è cervice peplum ad terram defluens, ex argenteo textili floribus aureis distincto.

Hoc aliaque id genus ubi descripseris, explicanda erunt singillatim, & indicandum, quid significent. Cæterum, eadem planè ratione, quâ castitas, aliæ exornari virtutes possunt, iis solùm

solùm vel omissis, vel immutatis quæ uni castitati congruunt; & adjectis, quæ virtutibus singulis convenire judicabuntur.

Q. Quid autem, si non laudatio, sed cujusdam vitii vituperatio instituenda erit, quid faciam?

R. Facies item, ut me nunc fecisse vidisti: Idem omninò tenendus erit ordo, contraria tantùm afferendo iis, quæ de virtute dicta sunt. Explicabis videlicet illius vitii turpitudinem, nomina quibus insignitur; pœnas quibus afficitur, cruciatus quos infert, dedecus quod inurit; quibus suppliciis punitum olim fuerit, quibus corpus animumque spoliet bonis, quàm facile sit ei se mancipare; quàm difficile sit illud excutere; quàm multis aliis aperiat vitiis aditum, cui res sit illud simile, illo qui vitio laborat, innumeris aliis obnoxium esse. Comparabit hoc vitium cum aliis vitiis, ostendo, vel æquale esse omnibus, vel etiam gravius. Componens item illud cum virtute contraria, fœditatem cum honestate, turpitudinem cum pulchritudine, detrimenta cum incommodis, effecta cum effectis, adjuncta cum adjunctis, &c. Effingere demum poteris ejus imaginem, subjicereque eam sub oculos, ad cujus aspectum auditores exhorrescant.

Laus artis, ac scientiæ.

Hi sunt præcipui fontes, è quibus artis aut scientiæ hauriri laus potest.

1. Ejus *Nobilitas*, quæ tum ab illius antiquitate ac felici progressu; tum à dignitate materiæ, quam tractat; tum ab ejusdem inventoribus

ac

ac professoribus, si fuerint ingenio clari, & magno in honore habiti; tum à libris de illa conscriptis æstimari solet.

2. Ejus *Utilitas*, enumerando commoda, quæ in omnem vitæ partem invehit, aut honestas oblectationes, quas creat.

3. Ejus *Necessitas*, explicando, quàm difficilè arte illa carere possimus; quæ sequerentur damna, si non fuisset inventa.

4. Ejus *Facilitas & Difficultas* laudis materiam præbere facilè potest. Quod enim eximium utileque est, si aliundè levi labore comparari queat, præcipuam inde commodationem meretur. Itemque si difficile vel acquiratur vel exerceatur, in laude quoque ponitur, ea quippe natura est rerum præclarissimarum, ut nonnisi à præclaris præcipiantur.

Eloquentiæ encomium.

NOBILITAS. Quid eloquentia nobilius? cujus ortum qui investigarunt, illam appellavêre cœleste semen, ac delibatum ex æterni luminis fonte radium: quæ tum primum in lucem prodire visa est, suamque prodere vim, præstantissimamq; naturam, cùm dispersos per sylvas, & ferarum more palantes homines ad civilem cultum adduxit, & in societatem vitæ convocavit. Quid eloquentiâ præstabilius, ac potentius? cujus beneficio possumus dicendo tenere hominum cœtus; versare & movere omnem in partem animos, & oratione modò vehementi & concitatâ in pertinaces irrumpere, modò suavi-

ac

ac placidâ in molles influere, non facetâ mentes laxare, aliàs subtristiori contrahere, nunc ad libitum inflammare, nunc inflammatos restinguere, audientium denique voluntates impellere quo velimus, deducere unde velimus, flectere in quam partem velimus; ut nobis exultantibus subsiliant; commiserantibus ingemiscant, objurgantibus indignentur, commendantibus diligant; irascentibus exardescant, exornantibusque suspiciant; & admirantibus obstupescant. Quid eloquentiâ mirabilius ac divinius? quæ non pellicit solùm hominum mentes. Herculeisque ex ore catenulis devincit, & quò libuerit, trahit blandissimaq; sibi servitute mancipat, uti modò dicebamus, omnemque in partem convertit, sed ipsamet etiam omnem in formam sese vertens, omnia fit, ut dominatum in omnes exerceat, simul ac enim illapsa est per aures in auditorum pectora, quid amabo non efficit? Accendendi sunt? Ardet in flammam; illustrandi? in lucem funditur; percellendi? fulgetris emicat; commonendi? tonitrua movet; incitandi? qui stimulos acutior? coercendi? quod validiùs frænum? demulcendi? quæ sirenula blandior? expugnandi? quæ machina potentior?

UTILITAS. Eloquentiæ utilitatem infinitam, commodaque innumerabilia æstimare si cupis, Respublicas orbis universi percurre animò, optimis constitutas legibus, sanctissimisque temperatas institutis; has constituit, has temperavit eloquentia. Domos, affinitates, amicitias, fœdera, connubia cogitatione perlustra; hæc omnia sancivit, junxit, stabilivit, extruxit eloquentia. Ejus ope & armis instru-

structi, præsidium amicis, opem alienis, supplicibus auxilium porrigimus ac tendimus: ejus beneficio subvenimus egentibus, excitamus afflictos, jacentes erigimus, calamitosos miseriis liberamus, reis salutem damus: bonos tuemur, lacessimus ac profligamus impios; subsidia virtuti terrorem vitiis, exitiumque afferimus.

NECESSITAS eloquentiæ quanta sit, ex enumeratis modò commodis quivis intelligat, iis enim careremus omnibus, si eloquentiâ careremus.

DIFFICULTAS in eloquentia comparanda tanta est, ut cum cæteris in artibus ac scientiis pene innumerabiles extiterint, qui eas eximia cum laude tractarint, professique sint, perraros numerare liceat Oratores tolerabiles. Cujus paucitatis causam non aliam assignat Tul-
e De Or. lius, e nisi ipsius artis *quandam incredibilem*
16. *magnitudinem ac difficultatem*; quod nimi-
f 19. rum f *ex illa rebus universis constet eloquentia*,
g 20. *quibus in singulis elaborare permagnum est*, g & quod *nemo possit esse omni laude cumulatus Orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque ar-*
h 21. *tium scientiam consecutus*. h *Vis enim Oratoris professioque ipsa benè dicendi, hoc suscipere ac polliceri videtur, ut omni de re, quæcunque sit proposita, ab eo ornatè copioseque dicatur.*

Laus Urbis.

Si laudanda tibi urbs fuerit, explicanda erunt hæc capita.

1. Ejus *Origo*; quando, à quo, & qua occasione fundata sit, quamdiu steterit ac floruerit illæsa

illæsa atque integra: si autem fortè conciderit aut labefactata sit, quâ ratione & quoties fuerit restaurata.

2. Ejus *Situs*; sitne colli imposita, an littori fluminis, ad radices montis sita, an in patenti planitie; & quam spectet cœli regionem, Orientem an Occidentem, Septentrionem an Meridiem?

3. Ejus *Figura*, quæ sit, porrecta in longum, an quadrata, an vero rotunda, &c.

4. Ejus *Ædificia*, ex qua materia sint, & qua forma, humiliane an excelsa: quæ in ea plateæ, quæ fora, quæ templa, quæ palatia, qui aquæductus atque fontes, quæ vicorum descriptio & celebritas.

5. Ejus *Munitiones*; castella, turres, fossæ, mœnia, propugnacula, quam firma sint arte seu natura loci.

6. Ejus *Agri*, quàm amœni, quam feraces & uberes, quo genere frugum niteant, an irrigentur amnibus interfluentibus, an villis pagisque colluceant.

7. Ejus *Incolæ*; in quibus consideranda religio, & in religione ritus; tum probitas morum, humanitas, legum observantia, ratio administrationis, optimarum artium studium, ac militaris, opificumque industria.

Laus Animalium.

Ab his capitibus laudari possunt Animalia.

1. Pulchritudo & elegantia corporis: qualis in Pavone, in Cygno, aliisque pluribus animantibus cernitur; cui pulchritudini conjuncta est aliquando quædam quasi membrorum

 digni-

dignitas & majestas, regiaque generositas, qualem in Equo, in Aquila, in Gallo gallinaceo, ac maximè in Leone miramur;

2. Robur virium; quo Elephantes, Boves & Cameli præstant.

3. Laboris patientia, Bobus, Asinis, cæterisque jumentis ingenita.

4. Agilitas, quâ inter volucres Aquilæ & Accipitres; inter quadrupedes Cervi, Lepores, Canes & Equi præcipuè pollent.

5. Cantus, quo aves pleræque, Lusciniæ præsertim præcellunt.

6. Humani sermonis imitatio; quâ valent Psittaci, Picæ, Corvi, &c.

7. Fides & amor in Dominos; qua laude hominem canis sæpe antecedit.

Exemplis nihil hic opus. Ad ea veniamus, quæ in usu quotidiano sunt, & quæ cum homine conjuncta sunt.

CAPUT II.

Factorum singularium Laudatio.

Q. Quænam illa sunt capita laudum, quibus illustrari facilè possit singulare quodpiam facinus?

R. Adjuncta sunt, seu ut vocant, Circumstantiæ, quæ vel semper ac necessariò, vel plerumque rem illam, quam suscepimus exornandam, antecedunt, comitantur & consequuntur.

Q. Quæ porrò illa sunt Adjuncta?

R. Se-

R. Septena hæc, trito hoc comprehensa versiculo:

Quis? Quid? Ubi? Quibus auxiliis? Cur? Quomodo? Quando?

Ex his septem, quod primo loco ponitur, ad *Personam* refertur, uti vides: Reliqua sex Rem ipsam spectant, propter eaque dicitur *Adjuncta rei*. Ac jam ad illorum explicationem descendamus.

Adjunctorum explicatio.

Quis.

Primum hoc adjunctum *Quis*, indicat, ut jam dixi, personam ipsam, quæ facinus, quod laudamus, edidit. In hac porrò persona expendenda sunt nonnulla ipsi convenientia, quæ idcirco appellantur *Adjuncta Personæ*. Sunt autem hæc: Nomen, Natura, Educatio, Fortuna, Habitus, Affectio, Consilium, Facta, Dicta, enucleemus singula.

NOMEN. In Nomine considerandum est. 1. An aliquid significet ad illud factum pertinens quo laudare volumus. v g. Si eximium illud Charitatis exemplum prædicas, quod S. Ignatius exhibuit, cum ut avocaret libidinosum hominem à flagitio se media hieme aquis immersit collotenus, poteris ab ipso Nomine *Ignatii*, quod *Ignem* sonat, sic illud ornare. Ardebat Ignatii pectus, perinde ac ipsum quod gerebat. Nomen igni cœlesti; obscœnos Veneris ignes extincturus immersit se in gelidum stagnum, &c. 2. Attendendū erit, an id Nominis fuerit ei divinitus impositum. 3. An à parentibus illud acceperit, qui pari laude floruerint. 4. An idem nomen personæ aliæ olim gesserint, simile decus conse-

cutæ. 5. Quas complectatur laudes nomen hujusmodi, & an cæteris collatum nominibus antecellat. 6. An impleverit nominis mensuram, qui illud gerit, juxta illud Ovidianum:

Maxime, qui tanti nominis mensuram
imples.

Hoc est, qui non solum nomine, sed etiam factis Maximus es.

NATURA. Eâ voce intelliguntur Parentes, Patria, Sexus, Ætas, Conditio, corporis & animi dotes. Perpendendum autem 1. an parentes exemplo præluxerint. 2. An ejusdem nationis ac loci homines extiterint, parem adepti laudem. 3. An ætatis vires id facinus, quod laudamus, excedat. 4. An sexui conveniat, an illum etiam vincat 5. An conditioni respondeat. 6. Sitne ille, qui hoc factum edidit, robustus an imbecillis famâ decorus, & firma valetudine, an secus. 7. An ingenio valeat, an indolem sortitꝰ sit præclaram & liberalem. 8 An multis virtutibus præstet.

EDUCATIO, hæc suggerit examinanda, 1. Educatusne fuerit honesto loco, urbe celebris, apud homines probus, an contra. 2. Quâ ratione educatus, quâ diligentiâ, quantâ curâ, quibus moderatoribus usus, & quàm prudentibus; qnos audierit præceptores, quam eruditos & pios, quos amicos & familiares habuerit. 3. Quibus artibus imbutus? quibus disciplinis dederit operam, & quo fructu; quibus denique moribus sit instructus.

FORTUNA: Fueritne fortunâ usus prospera an adversa; sitne dives, clarus, potens, felix, honoratus, an non; & quo pacto se gerat in ea vitæ conditione, quâ utitur.

HABI-

Habitus, (qui ex Tullii mente est *animi aut corporis constans & absoluta aliqua in re perfectio, ut virtutis aut artis præceptio alicujus, aut quævis scientia, quæ industriâ comparantur;* indagandum proponit, quibus scientiis quibus virtutibus sit ornatus is, quem laudamus. *1. de Inv. 36. & 1. Acap. 37.*

Affectio (quæ ex eodem Tullio *est animi & corporis ex tempore, aliqua de causa commutatio: ut lætitiâ, dolor, molestia, cupiditas, morbus, debilitas & alia*) suppeditat laudis argumentum, si ostendatur, eum, qui laudatur non parere suis cupiditatibus, sed moderationem in omni vita adhibere; sic ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus, eumque non impellat amor, non abducat odium, non dejiciat timor, lætitia non sternat, mœror non conficiat, labor non frangat, voluptas non emolliat.

Consilium. Si demonstrabitur, cum, cujus factum aliquod celebramus, non casu, non impulsu alieno, non coactè, sed sponte ac consultò, deditâque operâ id egisse.

Facta. Recensenda erunt quæ fuerint ab illo præclarè gesta, & quæ nunc facit, & quæ olim facturus est: illaque omnia minora esse dices facinore illo, quod celebras.

Dicta. Qui ejus sermones esse soleant, & qua de re. Quas habuerit Orationes, quos libros ediderit, quid litteris mandârit, & quæ de illa opinio sit existimatio.

Quid.

Particula hæc explicandum esse monet; quid & quale sit illud, quod prædicare constituimus.

1. Sit ne res illa *honesta*, & rationi congrua.

2. Sit ne *necessaria*, & imperata vel ab hominibus, vel à Deo; ita ut non possit omitti sine gravi damno aut dedecore; & in ea vertatur incolumitas, honor & salus, non unius tantum, sed plurimorum, sed totius Reipublicæ, an contra in arbitrio posita.

3. Sitne *utilis ac jucunda*, & cui; & quam utilitatem voluptatemq; afferat; brevemne tantùm & caducam, an vero perennem & æternam. An multa alia secum bona invehat, & quæ illa sint. Quantus inde hostibus metus, & malis mœror; quantum bonis emolumentum & oblectamentum; quantum patriæ ac parentibus decus & gaudium, quanta Superis lætitia, quanta ipsi Deo laus & gloria evenire soleat.

4. Sitne *excellens*, & magno in pretio habita apud sapientes rerum æstimatores. An comparari ei possit ulla res alia, & an cæterarum omnium pretium, dignitatem ac decus in se una complectatur.

5. Sitne *difficilis*, torque septa laboribus ac periculis, ut vix fieri posse credatur.

6. Sitne *rara & inusitata*, aut etiam sine exemplo, quam multi antea magna contentione ambierint, frustraque conati sint perficere. Futura ne sit imposterum minus rara, quod tali virtutis heroicæ provocati exemplo posteri, nec edocti solum, sed animati etiam & inflammati similia facinora generose molituri & aggressuri sint.

Ubi.

Hoc est, quo in loco peractum illud sit, quod prædicamus; ad ejus enim commendationem pluri-

plurimùm conducet, si difficili loco gestum fuerit, in quo nemo antea potuerit idem præstare.

Quibus auxiliis.

Fueritne adjutus ab aliis, an solus id peregerit. Habueritne comites ac socios gloriæ adeptæ, an nullos. Quòd si habuerit aliquos, quantum præ illis eminuerit ejus ardor & virtus, quam facilè palmam omnibus præripuerit.

Cur.

Finis explicandus, quem sibi proposuit, quam honestus, quam gloriosus, quam illustris, quam utilis, quo præstantior nullus spectari potuit.

Quomodo.

Laudis materiam præbet hoc adjunctum, si res peracta sit novo & inusitato modo, ingenioso, difficili, incredibili, omniumque convenientissimo, qui non nisi à magno viro, magnaque virtute adhiberi & observari poterat.

Quando.

Ostendendum erit quam oportunè & suo tempore facinus illud susceptum, promotum, perfectumque sit; quam feliciter perductum fuerit ad optatum finem, etsi difficillimum esset, tempus, quam etiam necessarium, tali ut tempore fieret, si nullo alio tam benè, aut tam facilè fieri potuisse demonstretur.

Sed hæc clariùs in exemplo patebunt, quod subjicimus.

Alexis sponsam deserentis Encomium.

Non hîc Alexim commendabo à vita inter mendicorum quisquilias, in summa egestate & contemptu acta, procul à patria, procul à parentibus: Non laudabo illum, quòd redux in patriam exceptus à patre tanquam hospes, tanquam mendicus, domi suæ ignotus; derelictus, spretus ad mortem usque latuerit. Factum illud unum placet extollere, cum nuptiali nocte relictâ sponsa se subduxit à paterna domo, ut vocantem Christum sequeretur.

Quis.

Adjuncta persona superius explicata accommodemus ad Alexin.

A Nomine. Nomen *Alexis*, ab Græca voce ἀλεξέω dicitur, quæ *arceo* significat. Quasi nomine suo moneretur & impelleretur ad arcendum & depellendum, quidquid abstrahere illum poterat à divino cultu. Arcuit enim, fortiterque ab se repulit maximam potentissimamque illecebram, sponsæ pulcherrimæ & amantissimæ amorem. Id nominis, Christianorum nemo, quod sciamus, ante illum tulit, nec meruisse visus est; quis enim tentare ausus fuerat quòd ille perfecit?

A Natura. Quis Alexis? Adolescens claro genere natus, patriâ Romanus (Romanum autem esse magna facere & pati quis ignorat?) educatus delicatissimè, quippe qui stirpis nobilissimæ, opulentissimæque familiæ spes una erat: & hæres unicus; omnibus naturæ muneribus ita cumulatus, nihil ut in eo requiras quo non

non abundet. Eminebat dignitate formæ: ætatis flos explicare se tum primum cœperat: is erat oris decor, & conformatio totius corporis: ea virtutis indoles, ingeniique suavitas, ut omnium in se oculos & corda converteret.

A Fortuna. Neque vero Naturæ defuit Fortuna in Alexi exornando. Thesauros in ejus sinum profudisse universos diceres; nam & omni opum genere circumfluens, & nobilitate conspicuus, & illustri famâ notus, & charus omnibus, in spem magnam adolescebat, & ad honores vocabatur amplissimos

Ab Habitu. At fortunæ, naturæque dona Virtus excitavit, illustravitque nunquam intermoritura splendore gloriæ, quis enim illo religiosior? quis modestior? quis humanior? quis temperantior? quis castior? quis prudentior.

Ab Affectione. In summa, quâ uti potuisset licentiâ, nihil Alexi moderatius: in mediis quotidianæ vitæ deliciis & affluentia omnium rerum nihil continentius. Mira comitas pari gravitate conjuncta? quidquid ageret diceretve, ita temperabat, ut cunctis admirationem moveret, habeturque vulgò absolutæ moderationis exemplum, & ornamentum patriæ clarissimum.

Talis cum Alexis esset, mirum non est quòd cum viri Principes Generum, & lectissimæ virgines Sponsum certatim expeterent. Uni tandem cæterarum præclarissimæ ea felicitas obtigit, ut cum Alexi sacro matrimonii nexu jungeretur. Itaq; sponsalia fiunt, nuptiæ celebrantur, ducitur Sponsa in ædes Alexis, adornato

geniali epulo discumbitur, lætis acclamantium, & fausta omnia precantium vocibus domus personat.

Quid.

Quid interea Alexis, quid molitur? quid agit? Interea dum novorum conjugum propinqui sibi gratulantur, dum plaudunt amici, dum exultant parentes, dum gaudio Sponsa triumphat incredibili, clam se à turba subducens Alexis, foras se proripit, urbem, patriam, parentes, Sponsam derelinquit; voluptates liquidissimas honestissimasque respuit, puriores vitæ delicias aspernatur, opes, thesauros, pretiosam supellectilem, domum splendidam, honores maximos, spes omnes, vitæ commoda omnia contemnit, aversatur, horret, proculcat, deserit.

Honestas facti. Hoc verò, inquies, inconsideranter, injuste factum: id ratio, id natura prohibet. Imò verò id suadet ratio, hoc natura jubet, ut cœlo terram, auro lutum, pretiosis vilia, & honestati voluptatem, æternisque gaudiis momentanea, divinæque voluntati fallaces nostras cupiditates postponamus.

Necessitas. At Christus id non imperat: Ita est, non imperat id quidem homini, sed ad hanc laudem nos hortatur exemplis, consiliis incitat, promissis impellit, præmiis allicit. Necessarius non est humanarum ille rerum contemptus fateor, si agatur de salute consequenda; at verò si de summo gloriæ gradu, si de felicitatis apice, si de thesauro cœlestium bonorum adipiscendo, necessarium nemo sapiens neget.

Utili-

Utilitas. Qualem enim thesaurum Superi! quàm innumera immensaque bona percepit Alexis ex contemptione bonorum! quantam gloriæ segetem ex infimo abjectissimoque vitæ genere, ad quod se dimisit! quam uberem! quam exundantem cœlestium deliciarum copiam ex ipsis ærumnis laboribusque, quos perpessus est? Peritura neglexit commoda, at sempiterna sibi peperit: Latuit ignobilis, paucorum spatio annorum; at decus adeptus est immortale. Vanos abdicavit honores; at veros, at æternos est consecutus. Sed à parentum conspectu suavissimo, castissimoque Sponsæ complexu, & patriæ charissimæ amore divulsit; at omnium bonorum parenti Deo sese adstrinxit arctius, nominisque sui memoriam in omnia sæcula dissipavit, parentibusque attulit gaudium sempiternum, Sponsæ gloriam, patriæ honorem, posteris admirationem, ipsique Deo æternæ gratulationis materiam.

Excellentia. Nec mirari quisquam debet, tot bona, tamque incredibilia ex hoc uno facinore dimanare. Quid enim præclarius propter Deum, Alexis, quid excellentius, quid admirabilius efficere potuit? quam ut ejus amore suorum charitati & amplexibus præferret exilium, divitiis egestatem, pudorem elegantiæ, nitori sordes, quieti labores immensos, contemptum gloriæ, deliciis dolores acerbissimos anteponeret, & Sponsæ nobilissimæ amorem ardentissimum amori castimoniæ posthaberet?

Difficultas. O robur animi invictum! O inauditam fortitudinem! potuisse domum lautissi-

ac professoribus, si fuerint ingenio clari, & magno in honore habiti; tum à libris de illa conscriptis æstimari solet.

2. Ejus *Utilitas*, enumerando commoda, quæ in omnem vitæ partem invehit, aut honestas oblectationes, quas creat.

3. Ejus *Necessitas*, explicando, quàm difficilè arte illa carere possimus; quæ sequerentur damna, si non fuisset inventa.

4. Ejus *Facilitas* & *Difficultas* laudis materiam præbere facilè potest. Quod enim eximium utileque est, si aliundè levi labore comparari queat, præcipuam inde commodationem meretur. Itemque si difficile vel acquiratur vel exerceatur, in laude quoque ponitur; ea quippe natura est rerum præclarissimarum, ut nonnisi à præclaris præcipiantur.

Eloquentiæ encomium.

NOBILITAS. Quid eloquentia nobilius? cujus ortum qui investigarunt, illam appellavêre cœleste semen, ac delibatum ex æterni luminis fonte radium: quæ tum primum in lucem prodire visa est, suamque prodere vim, præstantissimamq; naturam, cùm dispersos per sylvas, & ferarum more palantes homines ad civilem cultum adduxit, & in societatem vitæ convocavit. Quid eloquentiâ præstabilius, ac potentius? cujus beneficio possumus dicendo tenere hominum cœtus; versare & movere omnem in partem animos, & oratione modò vehementi & concitatâ in pertinaces irrumpere, modò suavi-

ac placidâ in molles influere, non facetâ mentes laxare, aliàs subtristiori contrahere, nunc ad libitum inflammare, nunc inflammatos restinguere, audientium denique voluntates impellere quo velimus, deducere unde velimus, flectere in quam partem velimus; ut nobis exultantibus subsiliant; commiserantibus ingemiscant, objurgantibus indignentur, commendantibus diligant; irascentibus exardescant, exornantibusque suspiciant; & admirantibus obstupescant. Quid eloquentiâ mirabilius ac divinius? quæ non pellicit solùm hominum mentes. Herculeisque ex ore catenulis devincit, & quò libuerit, trahit blandissimaq; sibi servitute mancipat, uti modò dicebamus, omnemque in partem convertit, sed ipsamet etiam omnem in formam sese vertens, omnia fit, ut dominatum in omnes exerceat; simul ac enim illapsa est per aures in auditorum pectora, quid amabo non efficit? Accendendi sunt? Ardet in flammam; illustrandi? in lucem funditur; percellendi? fulgetris emicat; commonendi? tonitrua movet; incitandi? qui stimulos acutior? coercendi? quod validius frænum? demulcendi? quæ sirenula blandior? expugnandi? quæ machina potentior?

Utilitas. Eloquentiæ utilitatem infinitam, commodaque innumerabilia æstimare si cupis, Respublicas orbis universi percurre animo, optimis constitutas legibus, sanctissimisque temperatas institutis; has constituit, has temperavit eloquentia. Domos, affinitates, amicitias, fœdera, connubia cogitatione perlustra; hæc omnia sancivit, junxit, stabilivit, extruxit eloquentia. Ejus ope & armis instru-

structi, præsidium amicis, opem alienis, supplicibus auxilium porrigimus ac tendimus: ejus beneficio subvenimus egentibus, excitamus afflictos, jacentes erigimus, calamitosos miseriis liberamus, reis salutem damus: bonos tuemur, lacessimus ac profligamus impios; subsidia virtuti terrorem vitiis, exitiumque afferimus.

NECESSITAS eloquentiæ quanta sit, ex enumeratis modò commodis quivis intelligat, iis enim careremus omnibus, si eloquentiâ careremus.

DIFFICULTAS in eloquentia comparanda tanta est, ut cum cæteris in artibus ac scientiis pene innumerabiles extiterint, qui eas eximia cum laude tractarint, professique sint, perraros numerare liceat Oratores tolerabiles. Cujus paucitatis causam non aliam assignat Tul-
e De Or. lius, e nisi ipsius artis *quandam incredibilem*
16. *magnitudinem ac difficultatem*; quod nimi-
f 19. rum f *ex illa rebus universis constet eloquentia,*
g 20. *quibus in singulis elaborare permagnum est*, g & quod *nemo possit esse omni laude cumulatus Orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque ar-*
h 21. *tium scientiam consecutus*. h *Vis enim Oratoris professioque ipsa benè dicendi, hoc suscipere ac polliceri videtur, ut omni de re, quæcunque sit proposita, ab eo ornatè copioseque dicatur.*

Laus Urbis.

Si laudanda tibi urbs fuerit, explicanda erunt hæc capita.

1. Ejus *Origo*; quando, à quo, & qua occasione fundata sit, quamdiu steterit ac floruerit illæsa

illæsa atque integra: si autem fortè conciderit aut labefactata sit, quâ ratione & quoties fuerit restaurata.

2. Ejus *Situs*; sitne colli imposita, an littori fluminis, ad radices montis sita, an in patenti planitia; & quam spectet cœli regionem, Orientem an Occidentem, Septentrionem an Meridiem?

3. Ejus *Figura*, quæ sit, porrecta in longum, an quadrata, an vero rotunda, &c.

4. Ejus *Ædificia*, ex qua materia sint, & qua forma, humiliane an excelsa: quæ in ea plateæ, quæ fora, quæ templa, quæ palatia, qui aquæductus atque fontes, quæ vicorum descriptio, & celebritas.

5. Ejus *Munitiones*; castella, turres, fossæ, mœnia, propugnacula, quam firma sint arte seu natura loci.

6. Ejus *Agri*, quàm amœni, quam feraces & uberes, quo genere frugum niteant, an irrigentur amnibus interfluentibus, an villis pagisque colluceant.

7. Ejus *Incolæ*; in quibus consideranda religio, & in religione ritus; tum probitas morum, humanitas, legum observantia, ratio administrationis, optimarum artium studium, ac militaris, opificumque industria.

Laus Animalium.

Ab his capitibus laudari possunt Animalia.

1. Pulchritudo & elegantia corporis: qualis in Pavone, in Cygno, aliisque pluribus animantibus cernitur; cui pulchritudini conjuncta est aliquando quædam quasi membrorum

dignitas & majestas, regiaque generositas, qualem in Equo, in Aquila, in Gallo gallinaceo, ac maximè in Leone miramur.

2. Robur virium; quo Elephantes, Boves & Cameli præstant.

3. Laboris patientia, Bobus, Asinis, cæterisque jumentis ingenita.

4. Agilitas, quâ inter volucres Aquilæ & Accipitres; inter quadrupedes Cervi, Lepores, Canes & Equi præcipuè pollent.

5. Cantus, quo aves pleræque, Luscíniæ præsertim præcellunt.

6. Humani sermonis imitatio; quâ valent Psittaci, Picæ, Corvi, &c.

7. Fides & amor in Dominos; qua laude hominem canis sæpe antecedit.

Exemplis nihil hic opus. Ad ea veniamus, quæ in usu quotidiano sunt, & quæ cum homine conjuncta sunt.

CAPUT II.

Factorum singularium Laudatio.

Q. Quænam illa sunt capita laudum, quibus illustrari facilè possit singulare quodpiam facinus?

R. Adjuncta sunt, seu ut vocant, Circumstantiæ, quæ vel semper ac necessariò, vel plerumque rem illam, quam suscepimus exornandam, antecedunt, comitantur & consequuntur.

Q. Quæ porrò illa sunt Adjuncta?

R. Se-

R. Septena hæc, trito hoc comprehensa versiculo:

Quis? Quid? Ubi? Quibus auxiliis? Cur? Quomodo? Quando?

Ex his septem, quod primò loco ponitur, ad *Personam* refertur, uti vides: Reliqua sex Rem ipsam spectant, proptereaque dicitur *Adjuncta rei.* Ac jam ad illorum explicationem descendamus.

Adjunctorum explicatio.

Quis.

Primum hoc adjunctum *Quis*, indicat, ut jam dixi, personam ipsam, quæ facinus, quod laudamus, edidit. In hac porrò persona expendenda sunt nonnulla ipsi convenientia, quæ idcirco appellantur *Adjuncta Personæ.* Sunt autem hæc: Nomen, Natura, Educatio, Fortuna, Habitus, Affectio, Consilium, Facta, Dicta, enucleemus singula.

NOMEN. In Nomine considerandum est. 1. An aliquid significet ad illud factum pertinens quo laudare volumus. v g. Si eximium illud Charitatis exemplum prædicas, quod S. Ignatius exhibuit, cum ut avocaret libidinosum hominem à flagitio se media hieme aquis immersit collotenus, poteris ab ipso Nomine *Ignatii*, quod *Ignem* sonat, sic illud ornare. Ardebat Ignatii pectus, perinde ac ipsum quod gerebat. Nomen igni cœlesti; obscœnos Veneris ignes extincturus immersit se in gelidum stagnum, &c. 2. Attendendum erit, an id Nominis fuerit ei divinitus impositum. 3. An à parentibus illud acceperit, qui pari laude floruerint. 4. An idem nomen personæ aliæ olim gesserint, simile decus conse-

cutæ. 5. Quas complectatur laudes nomen hujusmodi, & an cæteris collatum nominibus antecellat. 6. An impleverit nominis mensuram, qui illud gerit, juxta illud Ovidianum:

Maxime, qui tanti nominis mensuram imples.

Hoc est, qui non solum nomine, sed etiam factis Maximus es.

NATURA. Eâ voce intelliguntur Parentes, Patria, Sexus, Ætas, Conditio, corporis & animi dotes. Perpendendum autem 1. an parentes exemplo præluxerint. 2. An ejusdem nationis ac loci homines extiterint, parem adepti laudem. 3. An ætatis vires id facinus, quod laudamus, excedat. 4. An sexui conveniat, an illum etiam vincat 5. An conditioni respondeat. 6. Sitne ille, qui hoc factum edidit, robustus an imbecillis famâ decorus, & firma valetudine, an secus. 7. An ingenio valeat, an indolem sortit9 sit præclaram & liberalem. 8 An multis virtutibus præstet.

EDUCATIO, hæc suggerit examinanda, 1. Educatusne fuerit honesto loco, urbe celebris, apud homines probus, an contra. 2. Quâ ratione educatus, quâ diligentiâ, quantâ curâ, quibus moderatoribus usus, & quàm prudentibus; qnos audierit præceptores, quam eruditos & pios, quos amicos & familiares habuerit. 3. Quibus artibus imbutus? quibus disciplinis dederit operam, & quo fructu; quibus denique moribus sit instructus.

FORTUNA: Fueritne fortunâ usus prospera an adversa; sitne dives, clarus, potens, felix, honoratus, an non; & quo pacto se gerat in ea vitæ conditione, quâ utitur.

HABI-

HABITUS, (qui ex Tullii mente est *animi aut corporis constans & absoluta aliqua in re perfectio, ut virtutis aut artis præceptio alicujus, aut quævis scientia, quæ industriâ comparantur*; indagandum proponit, quibus scientiis quibus virtutibus sit ornatus is, quem laudamus. *1. de Inv. 36. & 1. A cap. 37.*

AFFECTIO (quæ ex eodem Tullio *est animi & corporis ex tempore, aliqua de causa commutatio: ut lætitiâ, dolor, molestia, cupiditas, morbus, debilitas & alia*) suppeditat laudis argumentum, si ostendatur, eum, qui laudatur non parere suis cupiditatibus, sed moderationem in omni vita adhibere, sic ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus, eumque non impellat amor, non abducat odium, non dejiciat timor, lætitia non sternat, mœror non conficiat, labor non frangat, voluptas non emolliat.

CONSILIUM. Si demonstrabitur, cum, cujus factum aliquod celebramus, non casu, non impulsu alieno, non coactè, sed sponte ac consultò, deditâque operâ id egisse.

FACTA. Recensenda erunt quæ fuerint ab illo præclarè gesta, & quæ nunc facit, & quæ olim facturus est: illaque omnia minora esse dices facinore illo, quod celebras.

DICTA. Qui ejus sermones esse soleant, & qua de re. Quas habuerit Orationes, quos libros ediderit, quid litteris mandârit, & quæ de illa opinio sit existimatio.

Quid.

Particula hæc explicandum esse monet; quid & quale sit illud, quod prædicare constituimus.

1. Sit ne res illa *honesta*, & rationi congrua:

2. Sit ne *necessaria*, & imperata vel ab hominibus, vel à Deo; ita ut non possit omitti sine gravi damno aut dedecore; & in ea vertatur incolumitas, honor & salus, non unius tantum, sed plurimorum, sed totius Reipublicæ, an contra in arbitrio posita.

3. Sitne *utilis ac jucunda*, & cui; & quam utilitatem voluptatemq; afferat; brevemne tantùm & caducam, an vero perennem & æternam. An multa alia secum bona invehat, & quæ illa sint. Quantus inde hostibus metus, & malis mœror; quantum bonis emolumentum & oblectamentum; quantum patriæ ac parentibus decus & gaudium, quanta Superis lætitia, quanta ipsi Deo laus & gloria evenire soleat.

4. Sitne *excellens*, & magno in pretio habita apud sapientes rerum æstimatores. An comparari ei possit ulla res alia, & an cæterarum omnium pretium, dignitatem ac decus in se una complectatur.

5. Sitne *difficilis*, torque septa laboribus ac periculis, ut vix fieri posse credatur.

6. Sitne *rara & inusitata*, aut etiam sine exemplo, quam multi antea magna contentione ambierint, frustraque conati sint perficere. Futura ne sit imposterum minus rara, quod tali virtutis heroicæ provocati exemplo posteri, nec edocti solum, sed animati etiam & inflammati similia facinora generose molituri & aggressuri sint.

Ubi.

Hoc est, quo in loco peractum illud sit, quod prædicamus: ad ejus enim commendationem pluri-

plurimùm conducet, si difficili loco gestum fuerit, in quo nemo antea potuerit idem præstare.

Quibus auxiliis.

Fueritne adjutus ab aliis, an solus id peregerit. Habueritne comites ac socios gloriæ adeptæ, an nullos. Quòd si habuerit aliquos, quantum præ illis eminuerit ejus ardor & virtus, quam facilè palmam omnibus præripuerit.

Cur.

Finis explicandus, quem sibi proposuit, quam honestus, quam gloriosus, quam illustris, quam utilis, quo præstantior nullus spectari potuit.

Quomodo.

Laudis materiam præbet hoc adjunctum, si res peracta sit novo & inusitato modo, ingenioso, difficili, incredibili, omniumque convenientissimo, qui non nisi à magno viro, magnaque virtute adhiberi & observari poterat.

Quando.

Ostendendum erit quam oportunè & suo tempore facinus illud susceptum, promotum, perfectumque sit; quam feliciter perductum fuerit ad optatum finem, etsi difficillimum esset, tempus, quam etiam necessarium, tali ut tempore fieret, si nullo alio tam benè, aut tam facilè fieri potuisse demonstretur.

Sed hæc clariùs in exemplo patebunt, quod subjicimus.

Alexis sponsam deserentis Encomium.

Non hîc Alexim commendabo à vita inter mendicorum quisquilias, in summa egestate & contemptu acta, procul à patria, procul à parentibus: Non laudabo illum, quòd redux in patriam exceptus à patre tanquam hospes, tanquam mendicus, domi suæ ignotus; derelictus, spretus ad mortem usque latuerit. Factum illud unum placet extollere, cum nuptiali nocte relictâ sponsa se subduxit à paterna domo, ut vocantem Christum sequeretur.

Quis.

Adjuncta persona superius explicata accommodemus ad Alexin.

A Nomine. Nomen *Alexis*, ab Græca voce ἀλεξέω dicitur, quæ *arceo* significat. Quasi nomine suo moneretur & impelleretur ad arcendum & depellendum, quidquid abstrahere illum poterat à divino cultu. Arcuit enim, fortiterque ab se repulit maximam potentissimamque illecebram, sponsæ pulcherrimæ & amantissimæ amorem. Id nominis, Christianorum nemo, quod sciamus, ante illum tulit, nec meruisse visus est; quis enim tentare ausus fuerat quod ille perfecit?

A Natura. Quis Alexis? Adolescens claro genere natus, patriâ Romanus (Romanum autem esse magna facere & pati quis ignorat?) educatus delicatissimè, quippe qui stirpis nobilissimæ, opulentissimæque familiæ spes una erat: & hæres unicus; omnibus naturæ muneribus ita cumulatus, nihil ut in eo requiras quo non

non abundet. Eminebat dignitate formæ: ætatis flos explicare se tum primum cœperat: is erat oris decor, & conformatio totius corporis: ea virtutis indoles, ingeniique suavitas, ut omnium in se oculos & corda converteret.

A Fortuna. Neque vero Naturæ defuit Fortuna in Alexi exornando. Thesauros in ejus sinum profudisse universos diceres; nam & omni opum genere circumfluens, & nobilitate conspicuus, & illustri famâ notus, & charus omnibus, in spem magnam adolescebat, & ad honores vocabatur amplissimos.

Ab Habitu. At fortunæ, naturæque dona Virtus excitavit, illustravitque nunquam intermorituræ splendore gloriæ, quis enim illo religiosior? quis modestior? quis humanior? quis temperantior? quis castior? quis prudentior.

Ab Affectione. In summa, quâ uti potuisset licentiâ, nihil Alexi moderatius: in mediis quotidianæ vitæ deliciis & affluentia omnium rerum nihil continentius. Mira comitas pari gravitate conjuncta? quidquid ageret diceretve, ita temperabat, ut cunctis admirationem moveret, habeturque vulgò absolutæ moderationis exemplum, & ornamentum patriæ clarissimum.

Talis cum Alexis esset, mirum non est quòd cum viri Principes Generum, & lectissimæ virgines Sponsum certatim expeterent. Uni tandem cæterarum præclarissimæ ea felicitas obtigit, ut cum Alexi sacro matrimonii nexu jungeretur. Itaq; sponsalia fiunt, nuptiæ celebrantur, ducitur Sponsa in ædes Alexis; adornato

 genia-

geniali epulo discumbitur, lætis acclamantium, & fausta omnia precantium vocibus domus personat.

Quid.

Quid interea Alexis, quid molitur? quid agit? Interea dum novorum conjugum propinqui sibi gratulantur, dum plaudunt amici, dum exultant parentes, dum gaudio Sponsa triumphat incredibili, clam se à turba subducens Alexis, foras se proripit, urbem, patriam, parentes, Sponsam derelinquit; voluptates liquidissimas honestissimasque respuit, puriores vitæ delicias aspernatur, opes, thesauros, pretiosam supellectilem, domum splendidam, honores maximos, spes omnes, vitæ commoda omnia contemnit, aversatur, horret, proculcat, deserit.

Honestas facti. Hoc verò, inquies, inconsideranter, injuste factum: id ratio, id natura prohibet. Imò verò id suadet ratio, hoc natura jubet, ut cœlo terram, auro lutum, pretiosis vilia, & honestati voluptatem, æternisque gaudiis momentanea, divinæque voluntati fallaces nostras cupiditates postponamus.

Necessitas. At Christus id non imperat: Ita est; non imperat id quidem homini, sed ad hanc laudem nos hortatur exemplis, consiliis incitat, promissis impellit, præmiis allicit. Necessarius non est humanarum ille rerum contemptus fateor, si agatur de salute consequenda; at verò si de summo gloriæ gradu, si de felicitatis apice, si de thesauro cœlestium bonorum adipiscendo, necessarium nemo sapiens neget.

Utili-

Utilitas. Qualem enim thesaurum Superi! quàm innumera immensaque bona percepit Alexis ex contemptione bonorum! quantam gloriæ segetem ex infimo abjectissimoque vitæ genere, ad quod se dimisit! quam uberem! quam exundantem cœlestium deliciarum copiam ex ipsis ærumnis laboribusque, quos perpessus est? Peritura neglexit commoda, at sempiterna sibi peperit: Latuit ignobilis, paucorum spatio annorum; at decus adeptus est immortale. Vanos abdicavit honores; at veros, at æternos est consecutus. Sed parentum conspectu suavissimo, castissimoque Sponsæ complexu, & patriæ charissimæ amore divulsit; at omnium bonorum parenti Deo sese adstrinxit arctius, nominisque sui memoriam in omnia sæcula dissipavit, parentibusque attulit gaudium sempiternum, Sponsæ gloriam, patriæ honorem, posteris admirationem, ipsique Deo æternæ gratulationis materiam.

Excellentia. Nec mirari quisquam debet, tot bona, tamque incredibilia ex hoc uno facinore dimanare. Quid enim præclarius propter Deum. Alexis, quid excellentius, quid admirabilius efficere potuit? quam ut ejus amore suorum charitati & amplexibus præferret exilium, divitiis egestatem, pudorem elegantiæ, nitori sordes, quieti labores immensos, contemptum gloriæ, deliciis dolores acerbissimos anteponeret, & Sponsæ nobilissimæ amorem ardentissimum amori castimoniæ posthaberet?

Difficultas. O robur animi invictum! O inauditam fortitudinem! potuisse domum lau-

tissimam, omni deliciarum genere affluentem, potuisse parentem optimum, honoribus clarum, pietate conspicuum, annis venerabilem; curas omnes & cogitationes in filii unici amplificanda dignitate consumentem, in illo uno collocantem spes omnes generis ac familiæ, potuisse matrem charissimam, Romanarum decus matronarum, quæ ipsum omni tempore ac loco foveret in oculis, de ipso diu noctuque cogitaret; potuisse Sponsam splendore nimis insignem forma præclarissimam, virtute præstantem, ipsiusq; Alexis Sponsi amore flagrantem potissimo, potuisse tantum honoris, tantum gratiæ; tantum dignitatis & gloriæ, tot illecebras; tot copias, tot opes delitiasque spernere, respuere, refugere, abdicare, potuisse tantum laborem vincere, tantam superare difficultatem, tantos perrumpere obices; cujus quæso roboris fuit, cujus magnitudinis & virtutis, cujus generositatis & fortitudinis?

Sine exemplo. Quis tale ante illum facinus edidit? Quis vel hujus rei tantæ cognationem suscepit? Quis tam excelsam, tam exaggeratam & inusitatam virtutem delineavit animo? Solus es, Alexi, tecum nemo venit in partem tantæ gloriæ, solus tecum ipse certas, tibi uni debetur laus illa maxima; aut si alius præter te quisquam similem ambivit coronam, si par aliquando meruit obtinuitque præmium, te secutus ambivit, exemplo incitatus tuo meruit, tuis insistens vestigiis obtinuit. Tu ductor, tu antesignanus, tu posteris exemplar reliquisti quod mirarentur, tu secuturis patefecisti aditum, tu pugnaturis animum

mum addidisti, subministrasti arma, iter aperuisti ad victoriam, & muniisti viam ad triumphum. Fieri nimirum posse putaverunt, quod à te gloriosè factum putavissent, & ausi sunt cum hoste congredi, quem te tanta cum laude vicisse recordarentur.

Ubi.

At quo in loco conflixisti, Alexi? non in patente campo, sed inclusus parietibus domesticis, non in arena, sed in aula, & in ipso nuptiali cubiculo, ipsiusque in conspectu thalami genialis, quem tibi amor & pudor straverant, ipsos inter circummicantes, & lenocinanti fulgore rutilantes abacos, aulæa, laquearia, tabulas.

Quando.

Cùm maximè audires festis parentum & amicorum vocibus & gratulationibus personantem domum, & plaudentes Sponsæ propinquos, & exultantes famulos, & triumphantem gaudio familiam, cùm tecum ipse decertâsti, teque ipse vicisti, cùm abjectis vanitatis armis arreptâque secreto fugâ, voluptatis castra deserens, abiisti paterna domo; cum fatalia Cupidinis tela; cùm pulcherrimæ lenocinia conjugis; cùm amorem parentum & patriæ charitatem; (*quibus auxiliis*) inermis, egens, spoliatus, profugus; (*cur*) unus divinæ gloriæ causâ, æternæque salutis consequendæ gratiâ exarmâsti, fregisti, superâsti.

CAPUT III.

Personarum Laudatio.

PArtiemur hoc Caput in duo Membra: dicendum enim primo loco de quarumdam personarum Laudatione speciatim; tum generatim, quæ quibusvis exornandis conveniant.

MEMBRUM I.

De quarundam personarum Laudatione speciatim.

Laus Pueri.

PUERI laudem hæc capita absolvunt.

1. *Genus* est tum paternum, tum maternum, & virtutum utriusque similitudo; ut si dicas nobilitas splendorem, quem traxit à parentibus, speciosiùs effulgere in ipsius pueri fronte ac moribus: patris generositatem emicare in ejus oculis; in vultu spirare matris modestiam &c.

2. *Forma elegans*, quam si commendare liceat. Finxit hunc puerum natura blandissimum ad gratiam, elegantissimum ad dignitatem, ad venustatem comptulum, ad delicias mundulum, ad amœnitatem & amorem ore politulum, capillo crispum, oculis hilarem, cute mollem, risum festivu, &c.

3. *Ingenii solertia*, & mira docilitas, quam seu in arripiendis optimarum artium elementis, seu in acute dictis subinde profert. Dices, ejus animum instar alabastri nitidissimi, aut pyxidis eburneæ sinum habere semper explicatum in fundendis à Magistro suavissimis disciplinarum liberalium, suavissimisque liquoribus.

4. *Motuum festivitas*, quæ ipsi omnium benevolentiam parit; quâ fit, nihil ut illo amabilius fingi queat, adeo totus ex liquidiori suavitate conditus, totus est ex ingenua liberalitate concretus. Inest (inquies) in hoc puero mellei dulcoris vis maxima, leporumq; delicatiorum numerus ingens, venerumq; tam grata copia, & risuum amabilitates ita festivæ, odorque ingenuitatis innocentissimus, quem toto ore continenter exhalat, usque adeo suaveolens, ut non possit illum non ferre oculis, & in amoribus non habere, qui ejus aspectu & consuetudine jucundissimâ fruitur.

5. *Virtutes* huic teneræ ætati convenientes: ut pudor, morum innocentia, puerilium ludorum contemptus; itemq; maturioribus annis quæ propriæ sunt, si eas imitabitur & exprimat, ut prudentia, gravitas, &c. Pudor (inquies) purpureum illud candidi ingenii argumentum, ita hunc puerum commendat, ut ad rei subturpioris vel aspectum, vel etiam auditum, ipsius statim faciei lilia rubore roseo modestissimè suffundantur. Morum innocentia tanta est, ut vel levissimæ noxæ refugiat umbram, ut minimam mendacioli labem quasi capitale crimen exhorreat. Ea est gravitate, ut si ex moribus, non

non ex ore illum æstimes perfectæ jam ætatis virum, non puellum tenellum re credas cernere, adeò nihil in gestu leve, nihil in sermone ineptum & vanum, nihil in factis puerile deprehendas.

6. *Spes* rerum maximarum. Quales, quantosque fructus efferet generosus hic surculus, simul ac diffuderit ramos, protulerit brachia? Quantam hoc illustre sidus in ætatis aurora tam pulchrè rutilans, pleno annorum meridie gloriæ lucem diffundet?

Sed de puerili persona satis; veniamus ad aliarum laudationem, cujus summa duntaxat perstringo capita. Ex iis enim, quæ de pueri laude diximus, facile colligas, quæ de aliis dici possunt.

Laus Adolescentis.

In Adolescente laudare poteris. 1. Virtutes animi, quæ commendant hanc ætatem, quales præcipuæ sunt Dei timor, observantia in parentes, morum urbanitas, magnanimitas ad res asperas. 2. Vires ingenii, quas prodit; quarumvis artium facilis & firma perceptio, & scientiarum difficiliorum intelligentia. 3. Corporis dotes videlicet robur virium, oris decor & dignitas. 4. Virtus etiam non vulgaris erit adolescentis, si virtus adolescentiæ velut innatis careat; cujusmodi sunt animi levitas, iracundiæ fervor, rumor arrogantiæ, temeritas præceps, inflammata cupiditas.

Exemplum adolescentis lectissimi tibi dabit Distributio in Figuris sententiarum. Alterum invenies inter Amplificationum exempla, quæ fiunt ab effectis.

Laus Viri.

Quia virilis ætas firma & florentissima est, abundatque magnis virtutibus, nec cupiditatibus tam facile servit, virum non poteris laudare ornatiùs, quàm si ostenderis multas & summas in eo virtutes esse, & nullis, aut certè, paucis obnoxium esse vitiis. Quænam porrò virtutes illæ sint, subdam paulo post.

Laus Senis.

Senem commendabis. 1. Ab animi constantia, quæ non infringitur debilitate virium, morbis & incommodis senectutis. 2. A pietate singulari, & religionis præstantia. 3. A prudentia magno rerum usu comparata, & à maturitate judicii in consilio dando præsertim elucescentibus. 4. A virtutis absolutæ perfectione, nihil ut optare liceat in homine sapientissimo & meritis cumulato, quòd in illo sene requiras. 5. Ad has laudes accedet laudum non minima, si nullis deturpetur vitiorum labe, quibus ætas illa obnoxia est.

Laus Principis.

Suas habent, propriasque laudes viri, Fœminæque Principes, quam hominum vulgus non recipit, à me idcircò seorsim hic enumerandas.

Viri Principis laudatio his constare virtutibus debet. 1. Pietate in Deum, liberalitate in subditos, clementia in reos, humanitate in omnes. 2. Solicitudine in administranda publica re; justitia in protegendis innocentibus,

tibus, & coërcentibus improbis; virtute bellicâ, in hostibus domandis, modestiâ in frænandis cupiditatibus, magnificentiâ in ædificiis publicis, in largitionibus, &c.

Fœminæ Principis hæ sunt laudes, 1. Claritas generis. 2. Sancta, piaque primæ ætatis educatio. 3. Prolis fœcunditas, optimaque institutio liberorum. 4. Observantia erga maritum. 5. Animi moderatio, pudor, integritas vitæ, liberalitas, æqualitas in rebus prosperis, & constantia in adversis, Religionis propagandæ ardens studium.

MEMBRUM II.

De quarumvis personarum Laudatione generatim.

Fons omnium laudum, quæ cuivis homini attribui possunt, à triplici bonorum genere fluit; videlicet à fortunæ, corporis & animi bonis.

Fortunæ bona.

Nihil tam malè boni meretur nomen, ac ea quæ vocantur fortunæ bona. Præterquam enim quod sine illis veram laudem consequi omnes possunt, eam insuper naturam habent, ut sæpiùs obsint, quam prosint, & vitiorum plerùmque instrumenta aptiora sint, quam virtutum. Si quis tamen iis rectè uti noverit, is non exiguam laudis materiam reportabit. Hæc autem fortunæ bona revocari omnia possunt

sunt ad hæc tria: nobilitatem, divitias, & honores.

Nobilitas. Nobilem si laudas, excurrendum erit ad ipsas avorum laudes; tum ostendes, cum, quem tibi celebrandum proposuisti, illis esse persimilem, æquâsse, aut superâsse majorum virtutem, illorumque præclare facta clarioribus rebus gestis obscurasse. Nobilem si vituperas, dices, eum non respondere majorum virtuti ejusque ignaviâ fieri, ut dehonestetur gloria familiæ, & vitiis vitæ offundi tenebras generis splendori. Si, quem laudas, Nobilis non est, docebis, solam virtutem nobilitatem esse; quidquid in Nobilibus præter illam est, vanum esse & inane nomen; multò esse ad laudem præstantius nobilitatem peperisse, quam acceptam corrupisse, facere ut per te alii noscantur, quam tu per alios, non nasci veram nobilitatem, sed fieri, non ab ortu peti, sed à factis.

Divitiae. Potissima est divitiarum commendatio, si cum virtute conjungatur, & liberalitas ab iis velut à fonte profluat; si videlicet opum operâ subveniatur necessitati miserorum si oppugnentur vitia, virtutesq; remunerentur si ad salutem tum propriam, tum alienam divinamq; gloriam referantur. Divitem igitur laudabis in hunc fere modum. Caeca non fuit fortuna, cum te prodigâ manu muneribus cumulavit suis. Nequaquam id adscribi casui debet sed consilio, non tribui favori, sed meritis: ille enim tuus licet animus per se beatus, nullius admodum rei adminiculo egerat ad propriam felicitatem, ad alienam tamen requiri, te ut suis

suis augere donis, quod illustri virtutum documento luculenter à te comprobatum est, quàm multos siquidem è miserrima vita conditioneq; abjectissima tuis excitatos opibus recreâsti! Quàm multæ tuâ liberalitate sustentatæ familiæ! Quàm multorum egestati consultum! Quot templa, quot ædificia tuis exstructa sumptibus! Quot virgines, quarum pudicitia periclitabatur, tuo beneficio elocatæ! quam præclara insigniaque benignitatis tuæ monumenta, quocunque intulisti pedem, reliquisti? quam multi, qui ad te calamitosi adierant, felices à te recesserunt! Non eos videlicet imitaris, qui divitiis ad libidinem abutentes, locupletes se non putarent, nisi egenos facerent quam plurimos? nec felicitatem sperarent satis cumulatam se posse consequi, nisi quam aliorum miseria peperisset.

HONORES. Honoris nomine intelligi potest, vel splendor quidam nominis & gloriæ, quæ solet esse præmium virtutis, & quæ sola, ut ait Tullius, brevitatem vitæ posteritatis memoriâ consolatur. Atque hoc honoris genus, quia in virtutis laude consistit non numeramus in bonis fortunæ. Alterum honoris est genus, quod in dignitatibus ponitur; & illud à fortuna pendere dicimus. Porrò ab honoribus laudabitur aliquis. 1. Si dignitatem aut honorem, quem gerit, acceperit ab ea persona, quæ dignas tantum promovere soleat. 2. Si non favoris, auræ & gratiæ subnixus aliis evexerit sese ad magistratum aut imperium, sed meritis suis per omnes honorum gradus ascenderit. 3. Si nimium non fuerit in petendis honoribus ambitio-

tiosus? sed invitus ac pene coactus oblatos admiserit. 4. Si adhibuerit in gerendo honore moderationem, nec infra se positos superbè despexerit; sed potius comitet sed ad infimum quemque demiserit. 5. Si cum laude delatis honoribus fuerit perfunctus.

Corporis bona.

In bonis corporis terna hæc numerari alio jam loco diximus: sanitatem, robur, & pulchritudinem, quæ ad hominis laudem eatenus conferunt, quatenus ad usum optimum referuntur.

SANITAS est: inquit Tullius, cum ea congruunt inter se, è quibus constamus, ex quo bona illa habitudo oritur & constitutio atque temperatio, viriumque firmitas & robur ad corporis & animi exercitationes: ut ad equitationem, ad venationem, ad militiam, ad studium, aliaque hujus generis. Itaq; ut tantùm per effecta cognoscitur, ita etiam per effecta laudatur. A sanitate facilis emanat laus, si ostendatur ea nasci ex vitæ temperantia, ex voluptatum moderatione, & in continentia victu.

ROBUR, quod cum sanitate fermè ita conjunctum est, ut ab illa sæpe non distinguatur, laudem habet, si cum animi fortitudine copuletur; & virium utamur firmitate vel pro defensione amicorum, vel pro salute patriæ.

PULCHRITUDO laudis materiam præbet, cum pudicitiam, modestiam, & fortitudinem adjunctas habet, tantoque majorem præbet, quantò illarum concordia rarior est. Pauca de pulcherrimo argumento accipe.

Pla-

Platonis fuit lex, ut ad Rempublicam capessendam eligerentur, qui formæ dignitate cæteris præstarent. Eadem erat olim quorundam apud Indos populorum sententia, qui neminem ad Regiæ dignitatis culmen extollerent, nisi qui pulchritudine reliquos omnes anteiret. Idem censuit Euripides, cum dixit, eximiam oris speciem Imperio dignissimam esse: πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Et verò Regium scimus diadema dedisse Ario Batzani suam pulchritudinem, itemque Bassiano, & Cajo Pisoni, & Cæsari detulisse despondisseq; Imperium, & Hispaniam Scipioni subigendam tradiderat. Cur enim verò suos non faceret pulchritudo Reges, cùm sit ipsamet Regnum augustissimum, si Socratem audiamus, exiguis licet temporum limitibus conscriptum; ὀλιγοχρόνιος τυραννίς; si Carneadi vero credimus: regnum non egens satellitio, ἀδορυφόρητον βασιλεία; nihilque vel ad constitutionem, vel ad conservationem imperii decorâ formâ præstabilius esse videatur. Et quid enim oro, est ad perfectam Principis speciem necessarium, quod non subministret? An regia quædam corporis dignitas in eo esse debet, qui regni gubernacula moderatur? quid pulchritudine venerabilius ad majestatem, & ad dignitatem præstantius? opus est eos tibi conciliare, in quos exercere cupis imperium? quid melius id efficiet, quam pulchritudo? Potentia requiritur ad reprimendos hostes? quid illa potentius? Felicitas ad subigendos? quid illa felicius? Facilitas ad alliciendos? quid humanius pulchritudine fingi queat? *Pulchritudinis*

nis species, inquit Heliodorus, *eâ vi pollet, ut prædonum ipsorum, moresque efferos ducat in obsequium.* *Formosos*, inquit Iovius, *etiam barbaricæ manus verentur, & admirabili aspectu immanis oculis mansuescit.* Sic enim sumus à natura facti, ut nihil tam amemus, quàm quæ sunt pulchra, & quæ oculis non adrident, respuamus animo, &, quod ajebat Isocrates, formosis benevolentiâ conjungamur. Eos solos, quemadmodum Deos, non defatigamur colendo, & libentiùs iis famulamur, quàm imperamus aliis; majoremque gratiam habemus, si multa imperent, quàm si nihil faciendum præcipiant. Servitutem apud illos profitemur voluntariam, nosque tum demum beatos, maximeque liberos credimus, cum servimus. Cave igitur putes, exiguam mereri laudem corporis pulchritudinem, quòd nimirum cæcutientis naturæ munus videatur esse, bonis sæpius denegatum, quàm improbis. Non cæcutit, natura, mihi crede, sed longo sapientique usa consilio convenientem fingit animo sedem, dignum hospite domicilium construit, & pulcherrimæ menti pulcherrimum corpus adornat. Certè sicut rosæ & lilia, cæterique patritii flores non oriuntur in desertis agris, sed in hortis apprime cultis; ut non habitant in vilibus casis tuguriisque viri principes, sed in magnificis ædibus, splendidissimisque palatiis: sic in deformi corpore pulcher habitare non solet animus, nec cum invenusta forma conjungi sine magno sui pudore quemadmodum cùm plebeja, turpique virgine nuptias inire, non

potest

potest sine summo dedecore pulcherrimus, & nobilissimus adolescens. Itaque corpus habeat nobilis animus necesse est augusta specie decorum, quod suæ nobilitati conveniat, in quo ut in propria idoneaque domo diversetur, ubi sedeat ut in throno, ubi ut in suggestu doceat, ubi fulgeat ut in cœlo Sol, ubi radiet ut in templo Numen, in quo decertet ut in stadio, in quo triumphet ut in curru, & præsit ut Prætor in curia, & velut in solio Princeps suam solus privatam Rempublicam moderetur.

Animi bona.

Duo tantum numerantur animi bona: scientia & virtus. De utraque pro instituto pauca delibemus.

SCIENTIA humanorum bonorum, inquit Nazianzenus *a* primum ac præcipuum est: τῶν παρ' ἡμῶν ἀγαθῶν τὸ πρῶτον cibus est animæ, inquit Nyssenus *b* τῆς ψυχῆς βρῶμα; fons est bonorum omnium, ait Xenopho *c*. πηγὴ τῶν καλῶν. Quin ipsa etiam virtus, & morum honestas longè redditur nobilior, si litteris conjuncta fuerit; imo ne stare quidem potest quarundam virtutum natura sine intelligentia scientiarum: ut prudentia & sapientia, quæ præsentia ordinat, futura prævidet, & præterita recordatur. Laudem porro meretur maximam, qui optimarum artium studiis eruditus est: Si nec à litterarum cognitione popularem captet auram, nec inflatus tumore vanissimo se insolenter efferat, aliosque præ se contemnat; sed modeste de se,

a *Orat.* 2.

b *Homil.* 7.

c *Lib.* 7. *Cyrop.*

se, suisque studiis, honorifice de aliis sentiens ac loquens, nemini se anteponat, submittat se potius omnibus, quantum dignitatis quam obtinet, & decori ratio patietur. 2. Si disciplinarum quas callet, vim omnem conferat ad patrocinium miserorum, ad insectationem improborum, ad ornamentum reipublicæ, ad virtutis commendationem, ad propagationem divinæ gloriæ. 3. Si doctrinæ, quâ est ornatus, respondeat virtus; si quantum cognitione, tantùm excellat actione, utque rerum intelligentiâ, ita gestorum gloriâ emineat inter alios.

VIRTUS, bonorum omnium facilè princeps verarum omnium laudum origo, per se una laudabilis, sine qua nihil est laudabile, per quam ornantur omnia, quæ splendorem rebus obscuris, vilibus pretium abjectis dignitatem, vulgaribus honorem, contemptis commendationem accersit Virtutum porrò nobilissimæ, & ad laudem illustriores hæ sunt. Prudentia, Temperantia, Castitas, Clementia, Liberalitas, Fortitudo & Magnitudo animi; Quibus, aliisque virtutibus quo quis instructior erit, hoc laudabilior existet. Ac jam satis superque dictum de materia Laudationis, de ejusdem forma breviter disserendum nunc nobis est.



Q *PARS*

PARS ALTERA.
LAUDATIONIS FORMA,

hoc est,

MODUS AC STYLI RATIO, QUA PANEGYRICUS INSTITUI DEBET.

IN hac Laudationis forma & ratione, quam aggredimur explicare, multò sanè plus negotii & artis est, quam in adinveniendis Laudum argumentis, sicut enim haud magnâ opus est industriâ in eruendo è pariis lapidicinis marmore, aut exscindendo Cedri trunco vel Ebeni, aut in effodienda informis argenti, aurive massa è penetralibus terræ; at verò, ut marmor illud animetur in statuas, vel arcuetur in fornices, vel rotundetur in columnas; ut lignum illud subtili elaboratum artificio effingatur in simulacra varia, ut illud aurum in tenuissimas foliorum ducatur bracteolas, ut in fila trahatur, ut in vasa & coronas, aliaque id genus emblemata figuretur, ingens profectò, requiritur ingeniosæ manus industria. Haud aliter usu venit in polienda Laudum materia & inducenda huic materiæ forma eloquentiæ. Conabor tamen rudi penicillo delineare nonnulla, quæ ad hujus artis informationem quandam imbibendam animo, non inutilia, nec verò difficilia, uti spero futura sint. Hanc ob rem, secanda nobis erit hæc secunda Pars in

qua-

quaterna capita, quorum primum ornamenta ad laudationem generatim spectantia; Secundum, varias laudationum Ideas. Tertium, Panegyrici artificium; Quartum, varia orationum genera in laudativo dicendi genere, quam potero breviſſimè, clariſſimeque complectetur.

CAPUT I.

De ornamentis ad Laudationem spectantibus.

CUm ſit hoc Orationis Genus, judice Tullio, d *inſigne ac florens, pictum & expolitum* ſeréque e *ad voluptatem auditori*, *& ad delectationem referatur*: illigandi in illo ſunt omnes verborum & ſententiarum lepores, ut monet idem Orator eodem loco, hoc eſt, nulla eſt dictionis elegantia, nulla ſermonis pulchritudo, quæ blandiri auribus poſſit, ſuavíque illapſu titillare animos, quæ adhibenda hoc loco non ſit. Hoc ipſum præcipit, alter dicendi Magiſter. Fabius, f his verbis: *Illud genus*, inquit, *oſtentationi compoſitum, ſolum petit audientium voluptatem, ideoque omnes dicendi artes aperit, ornatumque orationis exponit.* Quare, quidquid erit ſententiis populare, verbis nitidum, figuris jucundum, tranſlationibus magnificum, compoſitione elaboratum, debemus hic intuendum dare. Itaque

d *Orat.* 96. e *Partit.* 72.

f *Inſtit.* 8. c. 3.

I. Verba ſint nitidiſſima, lenia, ſonantia, ſplen-

splendida vel nata cum rebus accommodatè, vel externa & adventitia verecundè; quæ festivitatem in leporibus, in gravioribus majestatem, temperationem in mediis: ubique præ se ferant amplitudinem Cedro dignam; è quibus existat amabilis illa suavitas, & exquisita pompa dictionis, quæ audientium tenere mentes & oblectare jucundissimè solet.

II. Sententiæ interferantur graves ac peracutæ, animi plenæ ac spiritus, in quibus multò plùs intelligatur quam appareat, multò plus cognitionis & sapientiæ, quam orationis & copiæ includatur; quæ animos subinde vellicent; nec sine delectatione pugnant, feriantque.

III. Figuris radiet oratio, iisque quasi conspersa flosculis, aut distincta gemmis, illuminetur ac respondeat. Eâ tamen arte intexantur, ut vix appareant; ita mitigentur, ut nihil sapiant declamatorium; nihil puerile redoleant.

IV. Concinnitas, quæ maximam vim habet ad capiendos & illaqueandos cum voluptate auditores, orationi concilianda est; quam tribus modis Tullius g fieri docet; 1. Cum paria paribus respondent, ut cum ita loquitur; h *At verò qui auctoritate; qui fide, qui constantiâ: qui magnitudine animi, consiliis audacium restiterunt, ii graves, ii principes, ii duces, ii auctores hujus dignitatis atque imperii semper habiti sunt.* 2. Cum opponuntur contraria, ut ibidem idem Orator. i *Mihi omnis oratio si cum virtute, non cum desidia, cum dignitate, non cum voluptate, cum iis qui se patriæ, qui suis civibus, qui laude, qui gloriæ, non qui somno & conviviis ad delectationem natos arbitran-*

g *Orat.* 165.
h *Pro Sext.* 139
i *Ib.* 38.

bitraxtur. 3. Cùm casus sunt in exitu similes, ut cum idem ait: *An oppidorum turpis amissio, An sociorum direptio, an agrorum depopulatio, an Thessalonicæ munitio, an obsessio militaris viæ.*

Ex his omnibus intelliges, eum, qui ad hoc dicendi genus appellit mentem, curare id præcipuè debere, ut quæ dicit, grato quodam orationis flore vestita proponat, multisque suavitatis condimentis temperet, sententiisque exquisitis ornet, cum insigni varietate doctrinæ; cui rei maximè inserviunt Definitiones conglobatæ, Partium enumerationes; Adjunctorum, Effectorum, & contrariorum congeries, graviaque & acutè dicta, fluentesque periodorum exitus.

CAPUT II.

Variæ Laudationum Ideæ.

NE actum hoc loco agere videar, videsis hujus, quem tenes manibus, Libri Progymnasma secundum, tertium & quartum, in quibus Figurarum & Amplificationum omnis generis exempla tradidi non pauciora sanè quàm præcepta, ad multiplicem Laudationis Ideam. Atque ut te figuris dicam, certum est esse nullam ex iis quæ habentur illustriores, cujus præsidio non exornari commodè possis laudabile facinus; quam in rem consule Progymnasmatis tertii Caput 2. §. *De primo modo*

tractandi argumenta per Figuras nobiliores. Ne tamen hoc loco tibi præbere videar ansam insimulandi me nimiæ parcitatis, aut frigidioris erga te studii, ideas & exempla quædam selectiora, non à me, ut alibi soleo, sed à summis, primæque notæ laudatoribus excerpta producam, simulque annectam, quibus è locis Rhetoricis deprompta sint; & queis illuminata figuris, quo ea facilius imitando exprimas.

Prima Laudationis Idea.

A loco Comparationis, per Distributionem & Antitheta.

Pulcherrimum est, tametsi vulgare laudationis artificium, quod habet Plinius initio sui Panegyrici Trajano dicti, quo absolutam ejus virtutem, in omni genere laudis excellentem ita deprædicat.

SAEPE ego cogitavi tacitus, qualem, quantumve esse oporteret, cujus ditione, nutuque maria, terra, pax, bella regerentur; cum interea fingenti, formantique mihi Principem, quem æquata Diis immortalibus potestas doceret, nunquam voto concipere succurrit similem uni quem videmus. Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace, alium toga, sed non arma honestarunt, reverentiam ille terrore, alius amorem humanitate captavit; ille quæsitam domi gratiam, in publico; hic in publico partam domi perdidit. Postremo adhuc nemo extitit, cujus virtutes, nullo vitiorum confinio læderentur. At Principi nostro, quanta con-

cor-

cordia, quantusque concentus omnium laudum, omnis gloriæ contigit: ut nihil severitati ejus hilaritate, nihil gravitati simplicitate, nihil majestati humanitate detrahatur.

Secunda Laudationis Idea,

A loco Effectorum, per dubitationem Subjectione junctam.

Latinus Pacatus, res à Theodosio Imperatore fortiter gestas venustè sic persequitur.

SED quid faciam? Novam quandam patior ex copia difficultatem. Quid, inquam, faciam; Quæ Rhenus vidit, aggrediar? at se mihi Sarmaticâ cæde sanguineus Ister objiciet. Attritam pedestribus præliis Bataviam referam? Saxo consumptus bellis navalibus offeretur Redactum ad Paludes suas Seotum loquar? Compulsus in solitudines avias Alemannus & uterque Maurus occurret. Cum igitur impedias turba delectum, dixisse sufficiat, unum illum extitisse divinitus, in quo virtutes simul omnes vigerent, quæ singulæ in omnibus prædicantur.

Tertia Laudationis Idea,

Ex duabus superioribus contexta.

Claudianus, 1. de Laudibus Stiliconis, sub initium, hanc habet perfectæ virtutis exornationem elegantissimam, duobus superioribus ita similem, ut nullum aliud intersit discrimen,

 nisi

nisi quod hæc versibus, illæ solutâ oratione descriptæ sint.

--- -- Equidem si carmen in unum
Tantarum sperem cumulos advolvere rerum;
Promptius imponam glaciali Pælion Ossæ.
Si partem tacuisse velim quodcunque, relinquam
Majus erit, veteres actus primamque juventam
Prosequar? ad sese mentem præsentia ducunt.
Narrem justitiam? resplendet gloria Martis.
Armati referam vires? plus egit inermis.
Quod floret Latium, Latio quod reddita servit
Africa; Vicinum, quod nescit Iberia Maurum?
Tuta, quod imbellem miratur Gallia Rhenum?
An gelidum Thracem, decertatosque labores
Ebro teste canam? Magnum mihi panditur æquor.
Ipsaque Pierios lassant proclivia currus
Laudibus innumeris. Etenim mortalibus ex quo
Tellus cœpta coli, nunquam sincera bonorum
Sors ulli concessa viro. Quem vultus honestat
Dedecor aut mores, Animus quem pulchrior ornat,
Corpus destituit Bellis insignior ille,
Sed pacem fœdat vitiis; in publica felix.
In privata minùs; Partitum singula quenque
Nobilitant, hunc forma decens, hunc robur in armis.
Hunc rigor, hunc pietas, illum solertia juris.
Hunc soboles, castique thori, sparguntur in omnes,
In te mista fluunt; & quæ divisa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Quarta

Quarta Laudationis Idea.

Ab Enumeratione Effectorum, per Prosopopœiam.

Exquisito sane artificio, Laudator ille idem quem superius laudavi, Latinus Pacatus, Theodosii fortitudinem extollit, inducendo litigantes & contendentes cum Fortuna, Virtutes, utræ plus ad felicitatem Imperatoris contulerint: Sic enim Virtutes singulas facit loquentes.

Audio, Constantiam dicere: Bellum atrox periculosumque suscepi; memorare Patientiam: Immensum iter, tempus anni grave, semper armata; semper jejuna toleravi: reponere Prudentiam: Partita sum militem, & multiplicavi arte terrorem, reponere fortitudinem. Bis conflixi cum hoste, bis vici, omnes postremo clamare, quid tibi debemus, Fortuna, quam fecimus? Sed si illa dicat, properationem militum ego juvi, ego fugam hostium præpedivi, ego Maximum in muros coegi, & quem vos cogebatis mori, vivum domino reservavi; non video quod possit esse judicium, &c.

Quinta Laudationis Idea.

Per Apostrophen.

Encomiastes idem, post explicatam Theodosii victoriam de Maximo Tyranno, hanc præclaram habet Apostrophen.

Q 3 Huc,

Huc, huc, totas pii Vates, doctarum noctium conferte curas, hoc omnibus linguis litterisque celebrate; nec sitis de rerum vestrarum perennitate solliciti, illa, quam præstare historiæ solebatis. Ab historia veniet æternitas. Vos vero, quibus secunda sors cessit, date famam rebus, Artifices, vulgata illa veterum famularum argumenta despicite, Herculeos labores, & anguipedum bella monstrorum; hæc potius, hæc gesta, solertes manus ducant, his fora, his templa decorentur: hæc ebore reddantur, hæc marmore; hæc in coloribus vivant, hæc in ære spirent, hæc gemmis augeant pretium. Pertinet ad securitatem omnium sæculorum id factum videri, ut si quis unquam nefaria vota conceperit monumentis nostrorum temporum recensitis, per oculos hauriat innocentiam; quisquis purpura quandoque regali vestire humeros cogitabit. Maximus ei exitus occurrat, quisquis imponere capiti diadema meditabitur, avulsum humeris maximi caput, & sine nomine corpus aspiciat.

Haud multum discrepat, quæ habet idem auctor, dum ejusdem Imperatoris clementiam commendat his verbis.

Virtutum tuarum effigies fingi ac pingi quoque modo poterunt; Clementia, Imperator tua, quo cœlo, quo pigmento, quo ære, aurove ducetur: qua tu ipsius victoriæ victor, ita omnem cum armis iram deposuisti, ut ceciderit nemo post bellum.

Sexta

Sexta Laudationis Idea.

A loco Adjunctorum, per Objurgationem fictam.

Conſtantini Imperatoris fortitudinem in adeundis periculis extollit exquiſito artificio, magnus ejus Panegyriſtes, dum illum reprehendere videtur his verbis:

LAUDARE me exiſtimas Imperator cuncta quæ in illo periculo feceris? Ego verò iterum queror. Proſpexeras omnia, diſpoſueras univerſa, ſummi Imperatoris officia compleveras; cur ipſe pugnaſti? cur te denſioribus hoſtium globis miſcuiſti? cur ſalutem reipublicæ in pericula tanta miſiſti? An neſcire nos putas, quod dum nimio rapueris ardore, in media hoſtium tela deveneris, & niſi viam tibi cædibus aperuiſſes, ſpem totius generis humani & vota deceperas. Quid tibi eſt Imperator cum inferiore fortuna? Toto quippe impetu ferebare, torrenti ſimilis amni, quem abruptæ radicitus ſilvæ & convulſa funditùs ſaxa ſequerentur. Illos pugnare fas eſt, quibus ſuo cujuſque fato, aut vincendum eſt aut cadendum. Tu, cujus ex vita omnium fata pendent, ad ullum diſcrimen accedas? inter tot tela, gladioſque verſere? (*paucis deinde interjectis.*) Annon ipſi, cæſis fugatiſque hoſtibus, interfectoque etiam ipſo eorum duce, Comites & Tribuni corripuere lacrymantes? amplexique illud tuum anhelum pectus, cruentas manus; & quidquid de ſanguine profundæ cædis emerſerat, hinc atque inde clamarunt.

 Quid

Quid egeras, Imperator? in quæ nos fata projeceras, nisi te divina tua virtus vindicasset! Quæ hæc est impatientia ut quo tibi manus nostras, si versa vice pugnas ipse pro nobis? Hæc ego non dicerem, Imperator, nisi beneficio tuæ lenitatis, tutior esset nostra in verbis, quam tua in armis audacia.

Septima Laudationis Idea.

A loco comparationis.

Idea hæc est Laudationis absolutissima, quam tradit Tullius, Cæsari gratias agens, quod Marcello hosti suo veniam, dedisset, restituissetque pristinum dignitatis gradum. Itaque ejus Clementiam hoc artificio evehit ad cœlos, primum quidem victorias ejus extollit de multis populis relatas, tum eas deprimit, ostendens; victoriam quam de se ipse reportavit, hosti suo tribuendo veniam, longè majori laude dignam esse. Quod autem nihil apud Ciceronem legi posse putem eloquentius & perfectius hâc laudatione clementiæ, non gravabor hic exscribere, tametsi tritam & communem. Sic igitur, n. 5. res à Cæsare fortiter gestas belli tempore amplificat.

Soleo sæpe ante oculos ponere, idque libenter crebris usurpare sermonibus, omnes nostrorum temporum, omnes exterarum gentium, potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum Regum res gestas, cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec veritate regionum, nec celeritate con-

conficiendi, nec dissimilitudine bellorum possit conferri; nec verò disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis illustratæ sunt. Quæ quidem ego, nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim. (*Incipit jam has laudes bellicas sic extenuare, n. 6.*) Sed tamen sunt alia majora, nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, eaque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ sint Imperatorum: Et certè in armis, militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum classes, commeatus, multum juvant: maximam verò partem fortuna sibi vindicat, & quidquid est prosperè gestum, id penè omne ducit suum. (*Nunc extollere incipit clementiam, n. 7.*) At verò hujus gloriæ, Cæsar quam es paulò ante adeptus, (*cùm scilicet ignovit Marcello*) socium habes neminem; totum hoc qualecunque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum: nihil sibi ex ista laude Centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Quin es etiam illa ipsa rerum domina fortuna in istius se societatem gloriæ non offert, tibi cedit, tuam esse totam & propriam fatetur: nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur; nec ad consilium casus admittitur. (*Iterum deprimit gloriam militarem, ut clementiam efferat, n. 8.*) Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, sed tamen ea vicisti, quæ & naturam, & conditionem habeant, ut vinci possent:

nulla est enim tanta vis, tantaque copia, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit. Verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare pristinam ejus dignitatem, hæc qui faciat, non ego cum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico. (*iterum confert bellicas laudes cum clementia, illasque minuit; ut hanc exornet, n. 9.*) Itaque bellicæ tuæ laudes Cæsar, celebrabuntur illæ quidem, non solum nostris, sed omnium gentium litteris & linguis, neque ulla unquam ætas de tuis laudibus conticescet; sed tamen hujusmodi res, nescio quomodo etiam dum leguntur, aut dum audiuntur, obstrepi clamore militum videntur, & tubarum sono; At vero cum aliquid clementer, mansuetè, justè, moderatè, sapienter factum, in iracundia præsertim, quæ est inimica consilio, & in victoria, quæ naturâ insolens & superba est, aut audimus, aut legimus, quo studio incendimur, non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis, ut eos sæpè, quos nunquam vidimus, diligamus. Te vero quem præsentem intuemur, cujus mentem, sensusque, & os cernimus, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? quâ benevolentiâ complectemur? (*Commoratur adhuc in eadem versanda & expolienda sententia, & victoriis clementia præponenda, n. 11. & 12.*) Hanc tu igitur diem, tuis maximis & innumerabilibus gratulationibus jure antepones: hæc enim res unius est propria Cæsaris; cæteræ duce te gestæ, ma-

magnæ illæ quidem, sed tamen multo magnoque comitatu: hujus autem rei tu idem es & dux & comes; quæ quidem tanta est, ut trophæis monumentisque tuis allatura sit finem ætas, nihil est enim opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat & consumat vetustas. At vero hæc tua judicia & lenitas animi florescet quotidie magis, ita ut quantum operibus tuis diuturnitas detrahat tantum afferat laudibus. Et cæteros quidem omnes victores bellorum civilium jam ante æquitate & misericordia viceras, hodierno vero die te ipse vicisti. Vereor, ut hoc quod dicam, non perinde intelligi auditu possit: atque ego ipse cogitans sentio. Ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti, nam cum ipsius victoriæ conditione jure omnes victi occidissemus, clementiæ tuæ judicio conservati sumus. Rectè igitur unus invictus es, quo etiam ipsius victoriæ conditio, visque devicta est.

Octava Laudationis Idea.

Ab eodem loco comparationis.

Hoc tibi à me habe ultimum exemplum, quo sancti Ignatii charitas exornatur, cum ut avocaret hominem à flagitio media hieme se in stagnum gelidum nudus immisit. Artificium autem tale est. Primo à sustentatione exordior, deinde Narrationem attexo rei gestæ suis ornamentis non destitutam: post rem enarratam sequitur Amplificatio à Comparatione similium facinorum ab aliis sanctis viris editorum.

MIHI,

Mihi, admirabilem Ignatii vitam intuenti, animo, memoriâque repetenti eximia facinora ad amplificationem divinæ gloriæ, proximorumque salutem ab illo gloriosè gesta illud occurrit præ cæteris memorabile, quod nunc suscepi vobis exponendum, quodque orationem ad se vocat, & quodam modo absorbet, nec in aliis me diutius immorari patitur. Hujusmodi nimirum est, nihil aut ad Laudem præclarius fieri, aut magnificentius dici; aut sublimius adumbrari cogitatione possit. Cogitate proinde quidquid excellens, præstans & speciosum fingere animo potestis; vincam tamen cogitationes vestras, expectationem omnem superabo. Rem paucis explico, diligenter attendite.

Parisiis, cum se submissione suâ & obsequio ut solebat, insinuasset in amicitiam cujusdam hominis, brevi comperit, irretitum illum jam diu teneri vesano mulierculæ amore. Tam periculoso morbo ut medeatur Ignatius; hominem adit, & blandè primum, ut fit, compellatum, ejusque tenens manum, enixè rogat, ne tam turpem nomini suo notam inurat, ne Deo tam gravem infligat contumeliam. Risu ille excipere, quæ dicebantur; instare Ignatius, obtestari per suam salutem, per quidquid sanctum est & sacrum obsecrare, nefariæ cupiditati injiciat frænum; ni resipiscat, denunciare cœlestes iras. Minas ille non minus ridere, quàm preces: Iste ad ejus pedes accidere; nihilo secius ille moveri, genua complexu stringit vir sanctus, & lachrymis prehensam rigat dextram, nihil tamen usque proficit, non emollitur impudicus, usu diu-

diuturno callum obduxit libido improba. Quid agat Ignatius? quo teli genere oppugnet animum in malis obfirmatum? omnes incassum adhibuit machinas, omnem industriam operamque frustra consumpsit, non desperat tamen salutem desperatissimi hominis. Quid verò tali in re faciet? quam novam moliatur artem, accipite.

Ubi apertâ vi nihil se proficere intellexit, pio dolo grassari instituit, & insidias amico salutares tendere. Stagnum erat propter viam, qua transeundum illi erat, quoties properaret ad flagitium. Illuc maturè prævertens Ignatius, in aquam se rigente hieme nudus immerget collo tenus, expectatque dum prætereat sceleratus. Ut appropinquantem aspexit, horribili repentè in adversum voce intonat, Perge scelerate, perge, obscœnam istam tuam explere libidinem susceptum iter porrò confice, teque volutato in cœno turpissimæ voluptatis, dum me hic ego in hoc stagno discrucio tuâ causâ. Quid hæres impure? (hærebat enim subitâ voce perculsus) quid miser trepidas? quid me infelix aspectas? si modo hæc tibi nota vox est, accede prius, quam extinguatur vita, hoc frigore, quam me deficiat spiritus. Accedit ille stupenti similis & contremiscens, videt; miratur, erubescit, Ignatium agnoscit & culpam, pedem refert, viam religit, vitam retexit seque impositerum à pestifera consuetudine Deo adjuvante continuit.

Ite jam & præteriti retro temporis, omnem si potestis, memoriam replicate: omnia veterum annalium monumenta lustrate animo; heroum omnium Christianorum illustrissima quæque

que facta cogitatione percurrite. Evolvite exarata in eorum laudem volumina omnia, loca investigate illorum consecrata vestigiis, provincias obite, in quibus floruère, desertas peragrate solitudines, quas miraculorum multitudine, magnarumque admiratione virtutum, celeberrimas effecêre; & si quid vel auditione accepistis, vel literis mandatum legistis unquam, cum hoc uno, quod enarravi, facinore comparate. Prædicate, per me licet, Benedicti, prædicate facinus præclarum, illudque omnium sæculorum admirationi proponite: illum dicite in vallem se præcipitasse vepretis horrentem, ibique nudum corpus volutasse tamdiu, quo ad laceratis membris omnibus membris dolore vicisset turpem voluptatem, & fluente undique cruore virgineo, spinas commutasset in rosas. Efferte laudibus Franciscum, alterum Ecclesiæ lumen, quod sæviente hieme, exuta veste, se in altam nivem immerserit, extincturus libidinem, qua incendebatur. Martinianum celebrate, corpus torrentem versantemque per ardentes prunas, ut igne pellat ignem, conceptamque animō flammam, expiet flammis. Nullam ego laudum partem detraham tantæ virtuti debitam, fateor, incredibili athletas illos Christi robore septos, spontaneis hujusmodi cruciatibus meruisse immensam gloriæ mercedem. At, quam meruisse dicimus Ignatium? Annon illorum omnium collecta simul decora, concessaque singulorum meritis præmia honorum, uno illo retulisse charitatis exemplo fatendum erit? illi, enim, ut strenuè cum hoste pudicitiæ decertarint,

pro

pro se pugnabant, Ignatius pro alio: ille ut suæ, hic ut saluti alienæ consuleret: illi ut grassantem apud se pestem depellerent: hic sui securus, ut extremam à proximi capite calamitatem propulsaret. O charitatem admirabilem, atque omnium prædicationibus celebrandam? O virum verè in proximos pium, qui ardorem alienæ libidinis purissimo frigore compescuit, qui effusam constrinxit glacie luxuriam: qui honestissimo dolore fœdam frenavit voluptatem, qui aquis in membra innoxiæ sævientibus hærens in amici pectore incendium extinxit.

CAPUT III.

Artificium Panegyrici.

PAnegyricus, illa dicitur hominis laudatio, qua describitur universa illius vita, & fusa per omnes vitæ partes laudum decora oratione celebrantur. Constat autem oratio hujusmodi quinque partibus, Exordio scilicet, Propositione, Narratione, Confirmatione & Peroratione, de quibus singulis modo dicendum.

Exordium Panegyrici.

EXORDIUM Panegyrici floridissimum esse debet, totumque veluti gemmeum, & claris verborum ac sententiarum coloribus pictum. Duci autem potest ab omnibus fermè locis Rhetoricis, sed præsertim ab aliquo adjuncto vel loci vel temporis: vel ipsius personæ

per

perorantis. Nihil opus est exempla hic apponere passim obvia.

Propositio Panegyrici.

PROPOSITIO excipit Exordium, de qua breviter moneo, non eâ curâ fieri debere in hoc Demonstrativo genere, qua in Deliberativo, aut Judiciali. Cùm enim vitam alicujus illustris viri prædicandam suscipimus, solemus statim ab Exordio transire ad Narrationem ejus factorum; tuncque nulla opus est propositione. Secus si Panegyricum texamus argumentatione, quod fit, dum ad certa capita revocatur omnis oratio tunc enim proponere debes dilucide, qua de re dicturus sis. Quia verò ex ipsa propositione efflorescit plerumque Orationis pulchritudine, nihilque auditoris attentionem æque excitat, quam cum proponi videt quidpiam; quod vel argutum, & ingeniosum, vel novum & insolitum, vel admirabile, ac pene incredibile credit esse, operæ pretium erit, quosdam hoc loco fontes aperire, è quibus hujusmodi propositiones deduci possint.

Primus fons, seu locus est *Contrariorum*, quando scilicet per antithesin quidpiam proponitur, quod pugnare videatur. Ut si sanctum Franciscum Assisinum laudaturus, proponas te ostensurum, fuisse illum pauperem locupletissimum, hoc est, Sancto illo nihil fuisse egentius & spoliatius, caducis nimirum hujus vitæ bonis; nihil ditius & opulentius, cœlestibus utique, verisque divitiis. Ejusdem rationis sunt hæ propositiones, quibus ostenderes, fuisse aliquem humilem, ambitiosum, avarum, liberalem,

doctum

doctum idiotam, reum innocentem, & sic de aliis.

Secundus est huic primo non absimilis, *à Repugnantibus*, quæ scilicet discrepare inter se ac superare fidem videantur; cujusmodi sunt paradoxa omnia, ut si quem dicas, paupertate locupletatum, humilitate elevatum, recreatum doloribus, illustratum injuriis, &c.

Tertius *à Similitudine* conjuncta cum Antithesi; ut si sanctum Alexium sub scalis jacentem appelles Solem lumine defectum, ignem cinere obrutum, gemmam in luto, &c. Ad hunc locum referri possunt propositiones Poëticæ, cùm videlicet ei, quem laudamus, erigimus trophæa, excitamus templa, cubicula, porticus, imagines, statuas, aliaque id genus effingimus.

Quartus *à Comparatione*, quod fit 1. comparando alium cum alio. 2. Comparando aliquem cum se ipso, v. g. Magdalenam peccatricem cum Magdalena pœnitente.

Quintus *à Symbolis*, inscriptionibus, emblematibus, aliisque notis, quæ quibusdam propriæ sunt, v. g. si de Francisco de Paula cujus imagini adscribi solet hæc vox CHARITAS è globo igneo erumpens, orationem habiturus, propositionem ducas in hunc modum: ostendam arsisse hunc Sanctum duplici charitatis igne, in Deum nempe, & in proximum. Si ex apibus adpingi solitis in effigie sancti Ambrosii sumas occasionem differendi de illarum melle & spiculis, hoc est, de Ambrosii suavitate in bonos, & severitate in improbos.

Sextus, qui & *Idea* dici potest, *à Genere* & for-

& *forma* petitur; quoties ostendimus fuisse quempiam quasi ideam & exemplar posteris propositum, quod imitarentur; v. g. Constantinum, Imperatoris maximi; Clotildem Reginam Galliæ, Reginarum; S. Thomam Aquinatem; Doctoris Christiani, Xaverium Apostolici viri fuisse ideam absolutissimam.

Septimus *à Notatione nominis*, quoties scil. illius, quem exornamus, nomine Propositionem eruimus. Sunt enim quædam nomina tum Græca, tum Latina: quæ quasi manu propositionem ipsam explicandarum laudum protendunt; v. g. si de S. Rosalia virgine Panegyricum institueres, quid convenientius dicas, quam si demonstres virginem illam non solum nomine, sed re veram fuisse rosam, ab aculeis illæsam innatæ libidinis, quibus cingebatur, charitatis fulgentem purpura, odorem castitatis suavissimè exhalantem. En tibi indiculum hujus generis nominum à singulis Alphabeti litteris.

Agnes: Ambrosius.
Bonaventura: Benedictus.
Clarus, Chrysostomus, (id est, *os aureum.*)
Dominicus Dorothea, (*i. e. donum Dei.*)
Eulalia, Euphrasia, *i. e. diserta, eloquens.*
Florens, Felix,
Georgius, (*agricola*) Gregorius, (*vigilans.*)
Hilarius. Honoratus.
Justus, Irenæus, *i. e. pacificus.*)
Laurentius, Lucia.
Modestus, Margarita, (*i. e. unio.*)
Nilus Abbas, (fluvii nomen) Narcissus Episcopus, *flos.*)

Oppo-

Opportuna & Oliva, Virgines.
Prosper, Patiens, Episcopi.)
Regina, (Virgo & Martyr) Rochus, (*un. Ros.*)
Smaragdus, (Martyr) (*Gemma est.*)
Sebastianus, (*i. e. augustus.*)
Theodorus, (*donum Dei.*)
Theophilus, (*amicus Dei.*)
Vitalis, Vincentius.

Narratio Panegyrici.

NARRATIO in Panegyricis non semper Propositionem proximè sequitur; sed tunc solummodò, cùm laudatio constat continuâ Enumeratione rerum gestarum; si autem Panegyricus per Argumentationem fiat, postquam proposuimus, argumenta statim solemus afferre, quibus probetur Propositio. Observa porrò triplicem in Narratione ista ordinem institui posse, nec ullum esse alium, qui ad unum ex his tribus adduci possit.

Primus ordo est, cùm in unum, aut plura capita oratio tota confertur, in quo probatione & argumentatione opus est: ut si proposueris v. gr. sanctum Nicetium. Lugdunensium Antistitem, absolutam fuisse Præsulis ideam; primo loco exponendum erit, in quo sita sit idea veri Præsulis, & quas virtutes complectatur: deinde ad Assumptionem descendes, ostendendo, virtutes illas omnes enituisse in sancto Nicetio; quod ut probes, afferenda erunt exempla, quæ suppeditabit ejus vitæ series.

Secundus ordo est, cum ab Exordio ad Narrationem factorum aggredimur; servatis temporum gradibus, sicut de genere hominis quem laudamus, de patria & parentibus, de

pueritia & educatio primum dicamus; tum ad ejusdem ascendamus adolescentiam, & maturiorem ætatem, explicando singula ab illo eximiè gesta, donec tandem conquiescat oratio in ejus vitæ fine; vel in ea ætatis parte, ad quam pervenit, si adhuc is in vivis est.

Tertius ordo est, cum ex variis virtutibus, quibus excellunt, unam tantum, alteramve seligimus, v. g. Josephi castitatem aut patientiam; aut cum unum duntaxat illustre facinus assumimus exornandum & amplificandum. E. c. assensum à beata Virgine Angelo Gabrieli præstitum, cum dixit FIAT MIHI; vel Christi silentium stupendum summos inter cruciatus & calumniæ tela, testatum his verbis: JESUS AUTEM TACEBAT. Secundò cum vocem aliquam, aut sententiam suscipimus explicandam ut si illud FIAT à B. Virgine prolatum exponas, ostendasque illo uno vocabulo contineri omnes virtutes, quibus illa morales omnes antecelluit. Aut illud sanctæ Theresiæ dictum sumas dilatandum. AUT PATI AUT MORI, aut illud celebre Xaveri, AMPLIUS. Tertiò, cum uni certo loco ac tempori orationem adligamus. E. c. si dicas, etsi Ignatius Martyr innumera loca virtutum suarum monumentis nobilitârit, velle tamen illum Romæ tantum medio in amphitheatro considerare; Laurentium craticulæ impositum: Alexium sub scalis paternæ domus latitantem, & ita de aliis.

AT ENIM, estne ita uni certæ virtuti adstringenda oratio, ut de aliis nihil afferre liceat? Licet, atque etiam expedit per cæteras virtutum laudes stylum circumducere, quam-

quanquam de iis nihil dicendum proposueris, id autem facies eleganter.

1. Per concessionem hoc fermè pacto. Si eximium illud Xaverii factum, quod Venetiis in nosocomio insanabilium edidit, cum fluentem ab ægroti ulcere saniem exsuxit, celebrare velis, post rem enatratam vagari poteris per cætera ejusdem facinora. Non me fugit, inquies, plerisque admirationem movere Xaverii tolerantiam illam, quâ funiculis coxendices fœdum in modum discruciavit, animi magnitudinem, quâ Orientem universum complexus est, &c. Esto admirabilia illa sint, at illud, quod supra memoravi, multo mihi admirabilius videtur.

2. Per Præteritionem hoc modo. Possem hoc loco prædicare hujus sancti viri constantiam incredibilem, cùm barbarorum innumerabilium in Christianos irruentium furorem solus repressit, cum vitam exposuit periculo, &c. Possem ejus invictam pietatem extollere, cùm, &c. Scio quid illo & illo in loco gesserit, &c. sed hoc consultò prætereo.

3. Per Enumerationem, recensendo obiter singularia illius virtutis, quam nominatim prædicamus, exempla variis in locis edita, ut: Quis illius charitatem satis explicet? quis miracula referat? quis referat, quævis? Veneti referent, quorum ægrotis præsto fuit; Bononienses referent, quorum animos, &c. Lusitani referent apud quos Apostoli nomen obtinuit; Indi ferent, quos à fera vita ad humanitatem Christianam traduxit, &c. Hic autem narrandi & amplificandi modus, optimus est, tum quod

nulla est enim tanta vis, tantaque copia, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit. Verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare pristinam ejus dignitatem, hæc qui faciat, non ego cum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico, (*iterum confert bellicas laudes cum clementia, illasque minuit; ut hanc extollat, n. 9.*) Itaque bellicæ tuæ laudes Cæsar, celebrabuntur illæ quidem, non solum nostris, sed omnium gentium litteris & linguis, neque ulla unquam ætas de tuis laudibus conticescet; sed tamen hujusmodi res, nescio quomodo etiam dum leguntur, aut dum audiuntur, obstrepi clamore militum videntur, & tubarum sono; At vero cum aliquid clementer, mansuetè, justè, moderatè, sapienter factum, in iracundia præsertim, quæ est inimica consilio, & in victoria, quæ naturâ insolens & superba est, aut audimus, aut legimus, quo studio incendimur, non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis, ut eos sæpè, quos nunquam vidimus, diligamus. Te verò quem præsentem intuemur, cujus mentem, sensusque, & os cernimus, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? quâ benevolentiâ complectemur? (*Commoratur adhuc in eadem versanda & expolienda sententia, & victoriis clementiam præponenda, n. 11. & 12.*) Hanc tu igitur diem, tuis maximis & innumerabilibus gratulationibus jure antepones: hæc enim res unius est propria Cæsaris; cæteræ duce te gestæ,

ma-

magniæ illæ quidem, sed tamen multo magnoque comitatu: hujus autem rei tu idem es & dux & comes; quæ quidem tanta est, ut trophæis monumentisque tuis allatura sit finem ætas, nihil est enim opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat & consumat vetustas. At vero hæc tua judicia & lenitas animi florescet quotidie magis, ita ut quantum operibus tuis diuturnitas detrahat tantum afferat laudibus. Et cæteros quidem omnes victores bellorum civilium jam ante æquitate & misericordia viceras, hodierno vero die te ipse vicisti. Vereor, ut hoc quod dicam, non perinde intelligi auditu possit: atque ego ipse cogitans sentio. Ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti, nam cum ipsius victoriæ conditione jure omnes victi occidissemus, clementiæ tuæ judicio conservati sumus. Rectè igitur unus invictus es, quo etiam ipsius victoriæ conditio, visque devicta est.

Octava Laudationis Idea.

Ab eodem loco comparationis.

Hoc tibi à me habe ultimum exemplum, quo sancti Ignatii charitas exornatur, cum ut avocaret hominem à flagitio media hieme se in stagnum gelidum nudus immisit. Artificium autem tale est. Primo à sustentatione exordior, deinde Narrationem attexo rei gestæ suis ornamentis non destitutam: post rem enarratam sequitur Amplificatio à Comparatione similium facinorum ab aliis sanctis viris editorum.

MIHI,

MIHI, admirabilem Ignatii vitam intuenti, animo, memoriâque repetenti eximia facinora ad amplificationem divinæ gloriæ, proximorumque salutem ab illo gloriosè gesta illud occurrit præ cæteris memorabile, quod nunc suscepi vobis exponendum, quodque orationem ad se vocat, & quodam modo absorbet, nec in aliis me diutius immorari patitur. Hujusmodi nimirum est, nihil aut ad Laudem præclarius fieri, aut magnificentius dici; aut sublimius adumbrari cogitatione possit. Cogitate proinde quidquid excellens, præstans & speciosum fingere animo potestis; vincam tamen cogitationes vestras, expectationem omnem superabo. Rem paucis explico, diligenter attendite.

Parisiis, cum se submissione suâ & obsequio ut solebat, insinuasset in amicitiam cujusdam hominis, brevi comperit, irretitum illum jam diu teneri vesano mulierculæ amore. Tam periculoso morbo ut medeatur Ignatius; hominem adit, & blandè primum, ut fit, compellatum, ejusque tenens manum, enixè rogat, ne tam turpem nomini suo notam inurat, ne Deo tam gravem infligat contumeliam. Risu ille excipere, quæ dicebantur; instare Ignatius, obtestari per suam salutem, per quidquid sanctum est & sacrum obsecrare, nefariæ cupiditati injiciat frænum; ni resipiscat, denunciare cœlestes iras. Minas ille non minus ridere, quàm preces: Iste ad ejus pedes accidere; nihilo secius ille moveri, genua complexu stringit vir sanctus, & lachrymis prehensam rigat dextram, nihil tamen usque proficit, non emollitur impudicus, usu

diuturno callum obduxit libido improba. Quid agat Ignatius? quo teli genere oppugnet animum in malis obfirmatum? omnes incassum adhibuit machinas, omnem industriam operamque frustra consumpsit, non desperat tamen salutem desperatissimi hominis. Quid verò tali in re faciet? quam novam moliatur artem, accipite.

Ubi apertâ vi nihil se proficere intellexit, pio dolo grassari instituit, & insidias amico salutares tendere. Stagnum erat propter viam, qua transeundum illi erat, quoties properaret ad flagitium. Illuc maturè prævertens Ignatius, in aquam se rigente hieme nudus immerget collo tenus, expectatque dum prætereat sceleratus. Ut appropinquantem aspexit, horribili repentè in adversum voce intonat, Perge scelerate, perge, obscœnam istam tuam explere libidinem susceptum iter porrò confice, teque volutato in cœno turpissimæ voluptatis, dum me hic ego in hoc stagno discrucio tuâ causâ. Quid hæres impure? (hærebat enim subitâ voce perculsus) quid miser trepidas? quid me infelix aspectas? si modo hæc tibi nota vox est, accede prius, quam extinguatur vita, hoc frigore, quam me deficiat spiritus. Accedit ille stupenti similis & contremiscens, videt; miratur, erubescit, Ignatium agnoscit & culpam, pedem refert, viam religit, vitam retexit seque imposterum à pestifera consuetudine Deo adjuvante continuit.

Ite jam & præteriti retro temporis, omnem si potestis, memoriam replicate: omnia veterum annalium monumenta lustrate animo; heroum omnium Christianorum illustrissima quæ-
que

que facta cogitatione percurrite. Evolvite exarata in eorum laudem volumina omnia, loca investigate illorum consecrata vestigiis, provincias obite, in quibus floruére, desertas peragrate solitudines, quas miraculorum multitudine, magnarumque admiratione virtutum, celeberrimas effecère; & si quid vel auditione accepistis, vel literis mandatum legistis unquam, cum hoc uno, quod enarravi, facinore comparate. Prædicate, per me licet, Benedicti, prædicate facinus præclarum, illudque omnium sæculorum admirationi proponite: illum dicite in vallem se præcipitasse vepretis horrentem, ibique nudum corpus volutasse tamdiu, quo ad laceratis membris omnibus membris dolore vicisset turpem voluptatem, & fluente undique cruore virgineo, spinas commutasset in rosas. Efferte laudibus Franciscum, alterum Ecclesiæ lumen, quod sæviente hieme, exuta veste, se in altam nivem immerserit, extincturus libidinem, qua incendebatur. Martinianum celebrate, corpus torrentem versantemque per ardentes prunas, ut igne pellat ignem, conceptamque animo flammam, expiet flammis. Nullam ego laudum partem detraham tantæ virtuti debitam, fateor, incredibili athletas illos Christi robore septos, spontaneis hujusmodi cruciatibus meruisse immensam gloriæ mercedem. At, quam meruisse dicimus Ignatium? Annon illorum omnium collecta simul decora, concessaque singulorum meritis præmia honorum, uno illo retulisse charitatis exemplo fatendum erit? illi, enim, ut strenuè cum hoste pudicitiæ decertarint,

pro

pro se pugnabant, Ignatius pro alio: ille ut suæ, hic ut saluti alienæ consuleret: illi ut grassantem apud se pestem depellerent: hic sui securus, ut extremam à proximi capite calamitatem propulsaret. O charitatem admirabilem, atque omnium prædicationibus celebrandam? O virum verè in proximos pium, qui ardorem alienæ libidinis purissimo frigore compescuit, qui effusam constrinxit glacie luxuriam: qui honestissimo dolore fœdam frenavit voluptatem, qui aquis in membra innoxiæ sævientibus hærens in amici pectore incendium extinxit.

CAPUT III.

Artificium Panegyrici.

PAnegyricus, illa dicitur hominis laudatio, qua describitur universa illius vita, & fusa per omnes vitæ partes laudum decora oratione celebrantur. Constat autem oratio hujusmodi quinque partibus, Exordio scilicet, Propositione, Narratione, Confirmatione & Peroratione, de quibus singulis modo dicendum.

Exordium Panegyrici.

EXORDIUM Panegyrici floridissimum esse debet, totumque veluti gemmeum, & claris verborum ac sententiarum coloribus pictum. Duci autem potest ab omnibus fermè locis Rhetoricis, sed præsertim ab aliquo adjuncto vel loci vel temporis: vel ipsius personæ

perorantis. Nihil opus est exempla hic apponere passim obvia.

Propositio Panegyrici.

PROPOSITIO excipit Exordium, de qua breviter moneo, non eâ curâ fieri debere in hoc Demonstrativo genere, qua in Deliberativo, aut Judiciali. Cùm enim vitam alicujus illustris viri prædicandam suscipimus, solemus statim ab Exordio transire ad Narrationem ejus factorum; tuncque nulla opus est propositione. Secus si Panegyricum texamus argumentatione, quod fit, dum ad certa capita revocatur omnis oratio tunc enim proponere debes dilucide, qua de re dicturus sis. Quia verò ex ipsa propositione efflorescit plerumque Orationis pulchritudine, nihilque auditoris attentionem æque excitat, quam cum proponi videt quidpiam; quod vel argutum, & ingeniosum, vel novum & insolitum, vel admirabile, ac pene incredibile credit esse, operæ pretium erit, quosdam hoc loco fontes aperire, è quibus hujusmodi propositiones deduci possint.

Primus fons, seu locus est *Contrariorum*, quando scilicet per antithesin quidpiam proponitur, quod pugnare videatur. Ut si sanctum Franciscum Assisinum laudaturus, proponas te ostensurum, fuisse illum pauperem locupletissimum, hoc est, Sancto illo nihil fuisse egentius & spoliatius, caducis nimirum hujus vitæ bonis; nihil ditius & opulentius, cœlestibus utique, verisque divitiis. Ejusdem rationis sunt hæ propositiones, quibus ostenderes, fuisse aliquem humilem, ambitiosum, avarum, liberalem, doctum

doctum idiotam, reum innocentem, & sic de aliis.

Secundus est huic primo non absimilis, *à Repugnantibus*, quæ scilicet discrepare inter se ac superare fidem videantur; cujusmodi sunt paradoxa omnia, ut si quem dicas, paupertate locupletatum, humilitate elevatum, recreatum doloribus, illustratum injuriis, &c.

Tertius *à Similitudine* conjuncta cum Antithesi; ut si sanctum Alexium sub scalis jacentem appelles Solem lumine defectum, ignem cinere obrutum, gemmam in luto, &c. Ad hunc locum referri possunt propositiones Poëticæ, cùm videlicet ei, quem laudamus, erigimus trophæa, excitamus templa, cubicula, porticus, imagines, statuas, aliaque id genus effingimus.

Quartus *à Comparatione*, quod fit 1. comparando alium cum alio. 2. Comparando aliquem cum se ipso, v. g. Magdalenam peccatricem cum Magdalena pœnitente.

Quintus *à Symbolis*, inscriptionibus, emblematibus, aliisque notis, quæ quibusdam propriæ sunt, v. g. si de Francisco de Paula cujus imagini adscribi solet hæc vox CHARITAS è globo igneo erumpens, orationem habiturus, propositionem ducas in hunc modum: ostendam arsisse hunc Sanctum duplici charitatis igne, in Deum nempe, & in proximum. Si ex apibus adpingi solitis in effigie sancti Ambrosii sumas occasionem disserendi de illarum melle & spiculis, hoc est, de Ambrosii suavitate in bonos, & severitate in improbos.

Sextus, qui & *Idea* dici potest, *à Genere & for-*

& forma petitur; quoties ostendimus fuisse quempiam quasi ideam & exemplar posteris propositum, quod imitarentur; v. g. Constantinum, Imperatoris maximi; Clotildem Reginam Galliæ, Reginarum; S. Thomam Aquinatem; Doctoris Christiani, Xaverium Apostolici viri fuisse ideam absolutissimam.

Septimus à *Notatione nominis*, quoties scil. illius, quem exornamus, nomine Propositionem eruimus. Sunt enim quædam nomina tum Græca, tum Latina: quæ quasi manu propositionem ipsam explicandarum laudum protendunt; v. g. si de S. Rosalia virgine Panegyricum institueres, quid convenientius dicas, quam si demonstres virginem illam non solum nomine, sed re veram fuisse rosam, ab aculeis illæsam innatæ libidinis, quibus cingebatur, charitatis fulgentem purpura, odorem castitatis suavissimè exhalantem. En tibi indiculum hujus generis nominum à singulis Alphabeti litteris.

Agnes: Ambrosius.
Bonaventura: Benedictus.
Clarus, Chrysostomus, (id est, *os aureum.*)
Dominicus Dorothea, (*i. e. donum Dei.*)
Eulalia, Euphrasia, *i. e. diserta, eloquens.*
Florens, Felix,
Georgius, (*agricola*) Gregorius, (*vigilans.*)
Hilarius, Honoratus.
Justus, Irenæus, *i. e. pacificus.*)
Laurentius, Lucia.
Modestus, Margarita, (*i. e. unio.*)
Nilus Abbas, (fluvii nomen) Narcissus Episcopus, *flos.*)

Oppo-

Opportuna & Oliva, Virgines.
Prosper, Patiens, Episcopi.)
Regina, (Virgo & Martyr) Rochus, (*un. Ros.*)
Smaragdus, (Martyr) (*Gemma est.*)
Sebastianus, (*i. e. augustus.*)
Theodorus, (*donum Dei.*)
Theophilus, (*amicus Dei.*)
Vitalis, Vincentius.

Narratio Panegyrici.

NARRATIO in Panegyricis non semper Propositionem proximè sequitur; sed tunc solummodò, cùm laudatio constat continuâ Enumeratione rerum gestarum; si autem Panegyricus per Argumentationem fiat, postquam proposuimus, argumenta statim solemus afferre, quibus probetur Propositio. Observa porrò triplicem in Narratione ista ordinem institui posse, nec ullum esse alium, qui ad unum ex his tribus adduci possit.

Primus ordo est, cùm in unum, aut plura capita oratio tota confertur, in quo probatione & argumentatione opus est: ut si proposueris v. g. sanctum Nicetium, Lugdunensium Antistitem, absolutam fuisse Præsulis ideam; primo loco exponendum erit, in quo sita sit idea veri Præsulis, & quas virtutes complectatur: deinde ad Assumptionem descendes, ostendendo, virtutes illas omnes enituisse in sancto Nicetio; quod ut probes, afferenda erunt exempla, quæ suppeditabit ejus vitæ series.

Secundus ordo est, cum ab Exordio ad Narrationem factorum aggredimur; servatis temporum gradibus, sicut de genere hominis quem laudamus, de patria & parentibus, de pue-

pueritia & educatio primum dicamus; tum ad ejusdem ascendamus adolescentiam, & maturiorem ætatem, explicando singula ab illo eximiè gesta, donec tandem conquiescat oratio in ejus vitæ fine; vel in ea ætatis parte, ad quam pervenit, si adhuc is in vivis est.

Tertius ordo est, cum ex variis virtutibus, quibus excellunt, unam tantum, alteramve seligimus, v. g. Josephi castitatem aut patientiam; aut cum unum duntaxat illustre facinus assumimus exornandum & amplificandum. E. c. assensum à beata Virgine Angelo Gabrieli præstitum, cum dixit FIAT MIHI; vel Christi silentium stupendum summos inter cruciatus & calumniæ tela, testatum his verbis: JESUS AUTEM TACEBAT. Secundò cum vocem aliquam, aut sententiam suscipimus explicandam ut si illud FIAT à B. Virgine prolatum exponas, ostendasque illo uno vocabulo contineri omnes virtutes, quibus illa morales omnes antecelluit. Aut illud sanctæ Theresiæ dictum sumas dilatandum. AUT PATI AUT MORI, aut illud celebre Xaveri, AMPLIUS. Tertiò, cum uni certo loco ac tempori orationem adligamus. E. c. si dicas, etsi Ignatius Martyr innumera loca virtutum suarum monumentis nobilitârit, velle tamen illum Romæ tantum medio in amphitheatro considerare; Laurentium craticulæ impositum: Alexium sub scalis paternæ domus latitantem, & ita de aliis.

AT ENIM, estne ita uni certæ virtuti adstringenda oratio, ut de aliis nihil afferre liceat? Licet, atque etiam expedit per cæteras virtutum laudes stylum circumducere, quam-

quanquam de iis nihil dicendum proposueris, id autem facies eleganter.

1. Per concessionem hoc fermè pacto. Si eximium illud Xaverii factum, quod Venetiis in nosocomio insanabilium edidit, cum fluentem ab ægroti ulcere saniem exsuxit, celebrare velis, post rem enarratam vagari poteris per cætera ejusdem facinora. Non me fugit, inquies, plerisque admirationem movere Xaverii tolerantiam illam, quâ funiculis coxendices fœdum in modum discruciavit, animi magnitudinem, quâ Orientem universum complexus est, &c. Esto admirabilia illa sint, at illud, quod supra memoravi, multo mihi admirabilius videtur.

2. Per Præteritionem hoc modo. Possem hoc loco prædicare hujus sancti viri constantiam incredibilem, cùm barbarorum innumerabilium in Christianos irruentium furorem solus repressit, cum vitam exposuit periculo, &c. Possem ejus invictam pietatem extollere, cùm, &c. Scio quid illo & illo in loco gesserit, &c. sed hoc consulto prætereo.

3. Per Enumerationem, recensendo obiter singularia illius virtutis, quam nominatim prædicamus, exempla variis in locis edita, ut: Quis illius charitatem satis explicet? quis miracula referat? quis referat, quævis? Veneti referent, quorum ægrotis præsto fuit; Bononienses referent; quorum animos, &c. Lusitani referent apud quos Apostoli nomen obtinuit; Indi ferent, quos à fera vita ad humanitatem Christianam traduxit, &c. Hic autem narrandi & amplificandi modus optimus est, tum quod

paucis multa explicet, tum verò quod multa, quæ si solitarie sumantur, leviora viderentur, cum aliis conjuncta pondus habent.

Confirmatio Panegyrici.

CONFIRMATIO in hoc genere Laudativo longè aliter tractanda est, ac Judiciali & Deliberativo. In istis enim duobus Confirmatio fit, cùm fidem argumentis facimus, rationibusque demonstramus, vera esse quæ proposuimus. At verò in Demonstrativo non alia sunt argumenta, quam facta ipsa quæ laudantur, aut vituperantur: de quorum fide minimè laborat Orator, cùm pro certis habeantur, utpote quæ innumeros habuerint testes. Totus labor in Amplificatione solet esse, dum ea, quæ narramus, Adjuncti variis dicendo augemus, & Figurarum ornamentis illustramus: ab hujusmodi enim artificiosa enucleatione tota existit amplificandi vis.

Peroratio Panegyrici.

PERORATIO seu Epilogus in hoc Orationum genere non admittit graviores & vehementes motus, sed lenes ac suaves, qui amorem in eum, quem commendamus, excitent, qui ad studium imitationis, & ad honestam quandam æmulationem Auditores impellant. Sunt, qui à precibus & votis pro illius, qui laudatur, incolumitate desinant; ut Plinius in Panegyrico Trajani. Alii à pollicitatione perpetui officii & amoris: ut Mamertinus in Juliano. Plerique à gratulatione; ut Latinus Pacatus in Theodosio. Audi quam venustè & eleganter iste Orationem claudat suam.

O mea

O mea, inquit, felix peregrinatio! (è Gallia siquidem venerat Romam, Theodosium laudaturus. O benè suscepti & exhausti labores! Quibus ego intersum bonis! quibus fruor delitiis! quæ reversus urbibus Galliarum dispensabo miracula! quantis stupentium populis, quam multo circumdabor Auditore, cum dixero: Romam vidi, Theodosium vidi, & utrumque vidi. Vidi illum Principis patrem, vidi illum Principis restitutorem, ad me longinque conveniens civitates, à me gestarum ordinem rerum stylus omnis accipiet; à me argumentum Poëtica, à me fidem sumet historia. Compensabo tibi istam, Imperator, injuriam, si cùm de te nihil dixerim, quod legendum sit; instruam, quæ legantur.

Cæterum implicari plerumque solent Figuris quibusdam Perorationes hujus generis: ut si virtutes omnes de palma contendentes indicas, quænam illarum plus ad illius, qui laudatur, gloriam contulerit. Alii triumphos effingunt, pyramides excitant, templa consecrant, aliave id genus emblemata usurpant.

CAPUT IV.

Varia Orationum genera in genere Laudativo.

EXordiamur ab Oratione illa, quæ omnium prima in laudem hominis haberi solet, cùm

videlicet primum in lucem editur; quæ Oratio dicitur Genethliaca.

De Genethliaco.

Genethliacum, seu Genethliacus, seu Oratio Genethliaca ea dicitur, ut ipsum indicat nomen, quæ ad natalem virorum Principum diem celebrandum instituitur: Nam γενέθλιον significat *natalem diem*, à verbo γίγνομαι, *nascor*. Fuisse autem in more positum apud Veteres natales celebrare non hominum solum, sed urbium etiam, templorum, Magistratuum, aliarumque rerum plurimarum, quod scilicet nasci videbantur, cùm primum incipiunt, nemo vel mediocriter in litteris versatus inficias eat. Quibus diebus solebant publicæ lætitiæ signa ubique proferre, à litibus vacare, cessare ab opere, ultrò citroque munera mittere *h* dare ludos, agere convivia (quod *natalia dare*, dicebatur) ramos templis; lucernas fenestris; *i* ædium vestibula tapetibus obtendere, vias floribus obsternere; & odorum suavi respersione replere. Ac jam ad Genethliaci artificium veniamus.

h *Mart. lib.* 8. *Epigr.* 64. *i* *Pers. Sat.* 1.

Exordium Genethliaci.

Ducebant Veteres hoc Exordium à Diis vitæ præsidibus, maximèque à Genio, cui tum sacra faciebant. At nos initium dicendi sumere poterimus.

1. Ab Exclamatione & læto plausu, futuræ felicitatis indice, quo pacto suum auspicatus est Regis nostri Ludovici XIV. Genethliacum

Orator

Orator egregius his verbis : Triumphate Galli, plaudite confœderati, trepidate hostes, cecidere perduelles, fremite barbari, sterilis diu Gallia peperit Delphinum.

2. A votis publicis, precibus & sacrificiis, quæ ad prolem quærendam facta sunt &c. Nostra tandem desideria cumulatissimè Deus explevit, atque etiam superavit. Quamdiu enim est, ex quo Regi Christianissimo sobolem conjunctis precibus precabamur! &c.

3. A Gratulatione ad parentes de nato filio, ut si dicas : Auxit vos tandem hoc Deus munere, Principes Augustissimi, quo nullum majus aut ipse concedere vobis, aut vos ab ipso contendere poteratis, &c.

Confirmatio Genethliaci.

Adjunctorum enumeratione & amplificatione constabit. Adjuncta porrò illa vel præcedunt nativitatem, vel comitantur, vel subsequuntur.

Præcedentia nativitatem.

PRÆCEDENTIA Adjuncta sunt 1. Prodigia, si quæ acciderunt. 2. Oracula & somnia. Sic ex eo Cyri gloriam prædixisse narratur Astyages, quòd illius mater sibi dormienti visa esset ex se palmitem fundere, quo tota latè Asia tegeretur. Nec non Philippo præcognita dicitur Alexandri virtus, quod sibi in somnis leone fœta occurrisset uxor Olympias. 3. Vota & preces, quæ pro suscipienda prole nuncupata sunt.

Comitantia nativitatem.

1. PERSONÆ, id est, parentes, & ipsorum proles. 1. In parentibus observandum erit, an steriles, & diu sine prole fuerint, an contrà; de-

inde quo genere clari; quibus sint virtutibus insignes, quibus conspicui naturæ dotibus: an mater ægre sit enixa sobolem an sine labore; an adierit periculum vitæ, an pariens perierit & alia ejus generis, è quibus laudum argumenta petere licebit. 2. In prole spectandum, sitne primogenitus, an non; dederitne aliqua signa futuræ indolis; aut si quid mirabile in ejus ortu notatum est: ut in Zoraste, qui simul ac lucem aspexit, in risum solutus esse dicitur: ut in Sapore primo Narsetis filio, qui plures imperii, quam vitæ dies vidit, regnavitque nondum natus; quippe quem patre mortuo, materno adhuc clausum utero coronarunt Persæ: ut in Gorgia Epirota viro clarissimo, qui in funere parentis utero lapsus, inopinato vagitu lectum funebrem ferentes consistere coegit *novumque* (verba sunt Valerii Maximi) *spectaculum patriæ suæ præbuit, non tantum ex ipso genitricis utero lucem, sed etiam cunas assecutus in feretro: eodem enim momento temporis altero jam fato functo parit alter, ante elatus quam natus est:* ut in Xingabile, Hungabile Hungariæ Regis filia, nupta deinde Boleslao, minoris Poloniæ Principi moribus & sanctitate vitæ spectatissima, quæ matris alvo fusa, non fletum ut cæteri sed lingua Hungarica clarè & distinctè protulit hæc verba: *Ave Regina cœlorum.* Non possum hoc loco præterire, quod de Poëta Antipatro Sidonio ferunt: cum videlicet singulis vitæ annis eodem, quo natus erat die, febri jactatum esse, eodemque item die decessisse ex vivis.

2. Locus, in quo natus est, quæ urbs, quæ domus; purpurâ, an paleâ exceptus; in Regio cubiculo an in stabulo: fuêre enim matres, quæ pro sua in Christum puerum pietate voluerint in stabulo parere, quod de S. Ignatii nobilissima parente perhibent, partui vicinam stabulum petivisse, ibique Ignatium enixum esse in præsepio. Hic autem recenseri commodè poterunt variarum gentium ritus in ortu Principum servari soliti. Suos enim Principes, cùm nascebantur, Scythæ clypeo efferebant ad belli præludium, Athenienses Sacerdotalibus infulis tegebant ad pacis augurium; Persæ adversus Soli opponebant ad Religionis specimen; Romani humi sternebant ad miseriarum exemplum; Turcæ militari vexillo excipiebant ad jactantiam; Græci purpureâ chlamide ad pompam, Parthi casside ad ferociam; Spartani glacie indurabant ad patientiam; Galli veteres Rheni aquis mersos probabant ad robur.

3. Tempus, in quo dies, hora, mensis, annus observantur, & si quid in his notatu dignum occurrat, v g. si Calendis natus sit, auguraberis infantis felicitatem, quod principium in omnibus sit optimum, si sexto aut septimo die: quia hi dies sacri habebantur, præsagium esse dices futuræ ejus pietatis; si nono, qui Soli sacer erat, eum illustrem fore ac beneficum, si decimo quarto, qui Minervæ dicatus est, sapientem, &c.

Consequentia nativitatem.

1. Publicæ lætitiæ signa memoranda sunt, & acclamationes & gratulationes populorum.

2. Auguria & divinationes. Mos enim fuit antiquus nascentium Principum partus curiosius inspicere, & ex natalibus conjicere, quid cuique fata servarent; quam quidem divinationem nonnulli ex siderum observatione ducebant, alii ex notis quibusdam à natura impressis: quo modo Scanderbeko Principi tot hostium victori, ea figura gladii, quam toto ejus brachio natura longè descripserat, invictæ fortitudinis præsagia fecit. Alii ex verbis ipsis, quæ primo frangere infantes solent; ita, quod Rex Pyrrhus maternis adhuc appensus uberibus, gestiendo βάλωμαι primùm dixisse, ea statim vox transiit in omen audaciæ. At nunc plerique futuram prædicunt infantis felicitatem & in quem evasurus sit virum. 1. Ex ipsa oris specie & habitu corpusculi. 2. Ex parentum virtute æstimamus, qualis futura sit proles.

Peroratio Genethliaci.

Peroratio vota faustasque precationes continebit pro incolumitate, diuturnaque ac felici vita pueri ac parentum.

De Oratione Lustrica.

Oratio Lustrica ea dicitur, quæ haberi solet eo die, quo infanti nomen imponitur: is enim dies apud Veteres *Lustricus* dicebatur; imponebatur autem nomen apud Romanos masculis die nonâ, fœminis octavâ, apud

apud Athenienses die decimâ, apud Hebræos die octavo: apud alias verò nationes, ut etiam apud Christianos, nulla dies huic rei certa constituitur.

Exordium.

Vel ab Adjuncto quopiam ducetur Exordium, temporis videlicet, loci, aut personæ, vel ab aliqua propositione in genere de dignitate aut significatione nominum, aut ab aliquo ritu antiquorum. Ex iis unum affero. Auctor est S. Chrysostomus l nonnullos adhuc sua ætate Christianos ad Ethnicorum ritus defluere solitos, cùm infanti nomen imponerent: cereos enim complures accendebant, suo cuique assignato nomine: atque ejus demum, qui cæteris extinctis supervixisset nomen: quasi longioris ævi, & futuræ felicitatis omen arripientes, tribuant infanti. Hunc certè morem observasse perhibetur Petrus Aragonum Rex, cum filium ex Maria uxore suscepisset: nam ut infanti nomen eligeret, duodecim cereos albos ejusdem longitudinis ac ponderis in ara jussit accendi in honorem duodecim Apostolorum, quorum singula nomina cereis singulis adscripserat, destinaratque animo. ut illius Apostoli nomen, cujus cereus reliquis extinctis perdurasset, puer acciperet; atque ita factum est, nomenque Jacobi infans est adeptus, quod S. Jacobi cereus supervixisset reliquis.

l *In 6. 4. 1. ad Cor.*

Confirmatio.

His capitibus constare poterit hujus Orationis Confirmatio. 1. Familiæ ac parentum nobilitas commendabitur. 2. Licebit ritus exponere à veteribus usurpari solitos in nominibus imponendis, qua de re multa videbis apud Alexandrum ab Alexandro. 3. Nominis inditi significatio, dignitas, splendor, & si quæ alia occurrent Adjuncta explicabis. 4. Nomen illud cum aliis nominibus, quibus viri præstantissimi decorati fuêre, comparabis ostendesque nomen, quod laudas, cæterorum omnium laudes complecti. 5. A nominis comparatione venies ad comparationem personæ cum personis aliis, quæ idem gessêre nomen, interque illas institues parallelum. 6. Declarandum deinde erit, quibus virtutibus, quam egregiis facinoribus tanti mensura nominis implenda sit.

Peroratio.

Orationem hanc concludes gratulationibus & votis, &c.

De Epithalamio, seu Oratione Nuptiali.

Hoc Orationis genus, quæ ad Nuptiarum celebrationem haberi solet, dicitur Epithalamium à voce Græca θάλαμος, quæ *lectum nuptialem* significat.

Exor-

Exordium.

Sumetur ab officiosa studii significatione erga illos, in quorum gratiam Epithalamium componetur, vel à festiva celebritate diei, aut alia quavis ratione ad argumentum & dicendi genus accommodata. Erit autem, cum in reliqua Oratione, tum in Exordio Oratori providendum, ut ingentis quà verbis, qua actione præ se ferat significationem lætitiæ, ob spem conceptam felicitatis maximæ à nuptiis, quas prædicat, invehendæ.

Confirmatio.

His capitibus coalescet hoc ferè ordine dispositis.

1. Post explicatam in genere Matrimonii sanctitatem, maximaque commoda in humanum genus per illud importari solita, commendabuntur uterque conjux à virtutibus, quibus ornati sunt, à naturæ muneribus, & à fortunæ bonis.

2. Erit deinde facienda comparatio, ostendendo tantam inter illos intercedere hujusmodi bonorum similitudinem, tantam æqualitatem generis, morum, ætatis & formæ, ut talis sponsus tali sponsæ destinatus à Deo, & à natura factus fictusque videatur. Institui porrò poterit contentio inter naturam & fortunam, aut inter virtutes ipsas in conferendis variis muneribus marito & sponsæ; quin etiam inter ipsos conjuges similis contentio fiet, inquirendo, uter existat amabilior & perfectior; non ut alter alterius laudem deprimat, sed potius ut uterque palmam ferat, conjuncta

eorum, compositaque laudum virtutumque decora, clariora appareant ad felicitatis cumulum.

3. Hanc porro felicitatem, dices, non ad ipsos tantum pertinere conjuges, sed propagatum iri ad utriusque parentes & familiam, atque etiam ad universam Rempublicam, enumeratione utilitatum facienda, quæ ab hoc matrimonio dimanabunt.

4. Erunt proindè commemoranda conjugia quædam felicia & illustria, tum quæ apud Veteres, extraque eorum familiam, tum quæ intra facta sunt: demonstrando, quidquid in iis felicitatis sparsum fuit matrimonium hoc collecturum.

5. Denique non prætereunda silentio pompa nuptialis, si quid in illa singulare & magnificum observatum fuit.

Peroratio.

In Peroratione vota erunt ad Deum Superosque facienda pro felici successu matrimonii: ac præsertim pro amoris mutua stabilitate, & nulla unquam jurgio violanda concordia: ad quam cohortari conveniet conjuges. Denique per occupationem referenda erunt futura ex susceptis aliquando liberis gaudia, eorumque virtutes, quasi jam tum conspicuæ essent, laudibus ornandæ.

De Eucharistico seu Gratiarum Actione.

Oratio illa dicitur Eucharistica, quâ acceptorum beneficiorum grates aguntur, ἐυχαριστεῖν enim

enim Latinis est *Gratias ago.* Quod autem, ut ait Tullius, nullum officium referenda vel agenda gratiaſ magis neceſſarium ſit, æquiſſimum eſt artem callere, quâ verbis, ſi minus re, grates referamus.

Exordium.

1. Duci poterit à ſimplici & aperta memoris gratique animi teſtificatione, ut fecit Auſonius Orator & Poëta Gallus in Oratione Euchariſtica, quam habuit ad Gratianum Imperatorem; diſcipulum ſuum, poſt accceptum ab illo Conſulatum. In hunc enim modum, non eleganter minus, quam ſimpliciter eſt exorſus: ago tibi gratiam, Imperator Auguſte, ſi poſſem, etiam referrem; ſed nec tua fortuna deſiderat remunerandi vicem, nec noſtra ſuggerit reſtituendi facultatem. Privatorum iſta copia eſt, inter ſe eſſe munificos, tua beneficia ut majeſtate præcellunt, ita mutuum non repoſcunt. Quod ſolum igitur noſtræ opis eſt, gratias ago; verum ita, ut apud Deum ſentiendo copioſius, quam loquendo.

2. Ab excuſatione diuturnioris ſilentii poſt acceptum beneficium, & commemoratione illius virtutis, quam beneficio dando magis eluxit, ut fecit Cicero in Oratione pro Marcello, ubi gratias pro illo acturus Cæſari, ejus præcipuè clementiam extollit, dum ait, finem ſe attuliſſe diuturno ſuo ſilentio, quod tantam manſuetudinem, tantum in ſumma poteſtate rerum omnium modum tacitus præterire nullo modo poſſit.

3. A perſona vel largientis, vel accipientis, aut à modo; aliove Adjuncto beneficii collati,

aut à causa, quæ ad agendas gratias nos potissimum impulit.

4. Exaggerando beneficii magnitudinem, & nos ad illud explicandum impares esse profitendo. Ex. g. Si pro tuis in me promeritis parum tibi cumulate gratias egero, quæso obtestorque, ne meæ naturæ potius, quam magnitudini tuorum beneficiorum id tribuendum existimes.

Cic. post red. in Senat. 5. A Similitudine. E g. Quos flores radiis suis tanquam aureo penicillo Sol inauravit, eos ad illum perpetuò conversos moveri ferunt ad illius motum, quo nimirum pulchritudinis auctorem suæ contemplentur assiduè & gratos se acceptique beneficii memores odorâ expiratione testentur. Idem mihi non hodie solum, sed per omnem vitæ cursum facere convenit, munificentissime Princeps, neque oculis tantum, sed cogitatione te ubique sequi, te intueri, à tuo non dicam motu, sed etiam nutu pendere, & velut auctorem meæ vitæ, ac parentem felicitatis agnoscere.

Illud autem imprimis cavendum in hoc Exordio, ne artificiosius videatur quàm deceat; ne redoleat assentationem aut simulationem: sit contra sincerum, candidum apertum, nec non splendidum & grave, & quoad ejus fieri possit, magnitudini beneficii, & dignitati personæ, quæ illud contulit, aptè respondens.

Confirmatio Eucharistici.

In hac Confirmatione duo præstanda sunt. Primum est, personam laudare, quæ beneficium dedit; alterum est, ipsum amplificare

Bene-

Beneficium. De primo ſatis multa, cum de Panegyrico diximus. Hoc unum addo, præ virtutibus aliis, quas commendare oportebit, liberalitatem maximè illuſtrandam eſſe, cujus præſtantia enitebit præcipuè in expendendis beneficii collati adjunctis. De ſecundo, quâ videlicet ratione amplificandum & exornandum ſit Beneficium, ſic habeto: enucleanda eſſe ejus adjuncta ſingula, & conſiderandum. 1. Quid illud ſit, quod datum eſt, quam præclarum, quam utile ac neceſſarium. 2. Quis ille ſit, cui datum eſt, & qui dedit, quo in ſtatu fortunæ poſitus, quibus virtutibus inſtructus, & meritis clarus. 3. Modus, quo quis dedit, quam prompto animo, quam hilari, quam lubenti ac liberali. 4. Tempus, quam citò, quam opportunè, quam in tempore; & ſic de aliis rebus, quæ Beneficii magnitudinem augere poſſunt.

Peroratio.

In Peroratione hoc fermè ſequimur, ut ſine ambitioſa rerum noſtrarum jactatione polliceamur nos minimè ingratos fore in referenda gratia; aut ſi reponendi beneficii facultate deſtituamur, benevolentiam navaturos in agnoſcendo prædicandoque beneficio, his fere formulis è Tullio petitis:

Et majus eſt hoc, quo me affeciſti, beneficium, quam ut Orationem poſtulet; pluſque tibi debeam, quam ut ſolvendo eſſe poſſim, pro viribus tamen enitar, ut tuorum erga me meritorum memoria nullo unquam tempore finiatur, & à me gratiis agendis, prædicandaque tua

in

in me benignitate, quamdiu hanc vitam egero celebretis; omnisque mea ratio, actio, cogitatio, nihil aliud sit, nihil constans ac perpetua liberalitatis erga me tuæ commemoratio. Fatebor iterum, verbis assequi nequeo, quantam à me gratiam inieris, quod tàm præstanti in me benevolentiâ, & divino quodam studio esse volueris, quod tuam mihi observantiam & benignitatem novo humanitatis exemplo declaraveris, & obligationem me tibi effeceris, quam ut agere tibi gratias queam, tuorumque in me officiorum amplitudinem paribus amplecti valeam officiis. Quod superest, dabo operam diligenter, ut omnem ætatem ad tua promerita prædicanda referam; ut omnem curam, operam, cogitationemque consumam in celebranda tua in me ornando munifica voluntate, & incredibilem tuum erga me amorem ac studium singulare, sicut libenter agnosco, ita studio colam sempiterno.

De Epinicio, seu Oratione Gratulatoria.

Epinicium à voce Græca *νίκη victoria*, oratio est, quæ adhiberi solet, quoties vel de relata victoria, vel de quovis eventu felici, alicui gratulari volumus.

Exordium.

Undecunq; Exordium desumas licet, modò animi lætitiam ipsa præ se ferat Oratio. Dico tantum, commodam, & à plerisque usurpatam illam

illam esse exordiendi rationem, cùm ab ipsiusmet rei obtentæ graviori amplificatione inchoamus, ut suam inchoavit Tullius Catilinariam secundam, cum ejecto Catilinâ in has gratulationis voces erumpit: Tandem aliquando, Quirites. L. Catilinam furentem audaciâ, scelus anhelantem, pestem patriæ nefariè molientem, ex urbe ejecimus, &c.

Confirmatio.

Exaggerationem illius boni, quod gratulamur, continebit, v. g. Si de victoria instituetur gratulatio, explicabitur belli difficultas; malorum, quæ importabat, magnitudo: & quàm uberes universis ordinibus victoria illa fructus attulerit.

Peroratio.

Vota facienda erunt pro illius boni, de quo fit gratulatio, diuturnitate & incremento, postquam Deo bonorum omnium fonti debitæ grates persolutæ fuerint.

De Oratione ad Receptionem Principum.

Vix ullum Orationis genus est hac ætate magis in usu, cùm ineuntes urbem Principes aut summos Magistratus, brevi sed comptâ, plenaque officii oratione salutamus, non quidem communi, eodemque modo (aliter enim Rex, aliter Legatus alloquendus & excipiendus est) sed cum discrimine, quod ipsa ratione & rerum usu magis, quam præceptis est cognoscen-

scendum. Dicam tamen, quæ omnibus indiscriminatim proportione conveniant. Dicitur autem hæc Oratio vulgò Prosphonema, *προσφώνημα*, hoc est, *Acclamatio*, seu *Allocutio* quod sine acclamationibus vix habeantur Allocutiones hujusmodi.

Exordium.

In Exordio significabit Orator, quanta omnium fuerit lætitia ad primum de ipsius Principis adventu nuntium; quàm incredibile illum videndi desiderium; quàm mirabilis expectatio omnium ordinum & ætatum; & alia hujus generis, quæ quisque facile invenire possit.

Confirmatio.

In Confirmatione, 1. ipsius adventus caussam exponet, eamque commendabit à virtute, quæ in caussa illa elucescit potissimum. 2. Læticiæ magnitudo, quam ex ejus præsentia civitas percipit, erit exponenda; quia vero hujus origo lætitiæ non alia est, quam magnæ ingredientis Principis virtutes, idcircò erunt obiter suis exornandæ laudibus. 3. Commemorabitur Principis in illam urbem studium, & mutuus ipsius urbis in Principium amor & observantia.

Peroratio.

In Epilogo, affectus desiderii, gaudiique publici & amoris erunt exponendi, & quo studio se omnes ei devoveant, quâ propensione mancipent.

Quod si non Rex aut Princeps, sed Legatus

tus aut Prorex, aliusve Magistratus salutandus erit, laudabitur. 1. Rex ipse, qui talem, tantumque virum legârit, tantis virtutum ornamentis præditum. 2. Hæ virtutes erunt deindè prædicandæ. 3. Hortandus erit, ad susceptum & demandatum à Rege munus pari sapientiæ laude, quâ cætera solet, administrandum.

Scio me rem tibi pergratam facturum, si pauca, sed præclara hic attexuero, illustrando huic argumento congrua, Oratione partim solutâ, partim metro ligatâ. Sic ergò Claudianus lætissimum Imperatoris sui Romam ingressum concinnè celebrat:

Quanti tunc juvenes, quanti sprevêre pudorem 3 De Consul. Plonotii.
Viscendi studio matres, pueriq; severi
Certavêre senes; cùm in Genitoris amico
Exceptus gremio! mediam vexêre per urbem,
Quis n n Luciferum roseo cum Sole videri
Credidit, aut junctum Bromio radiare Tonantem?

Idipsum alio loco abumbrat eleganti similitudine.

At velut officiis trepidantibus ora puellæ, De 6. Honor. Consʃ.
Spe propiore thori mater solertior ornat
Adveniente proco, vestésq; & cingula comit.
Sæpè manu, viridique angustat jaspide pectus.
Substringitque comam gemmis, & colla monili.
Circuit, & baccis onerat cadentibus aures:
Sic oculis placitura tuis, insignior auctis
Collibus & nota major se Roma videndam
Præbuit.

Tum

Tum multis intermissis:

> - - *Quantum licuit consurgere tectis,*
> *Una replet turbæ facies, undare videre*
> *Ima viris, altas effugere matribus ædes.*
> *Exultant juvenes æquævi Principis annis,*
> *Temnunt prisca senes, & in illum prospera fata,*
> *Gratantur durasse diem.*

Orat. in Pisc. 52. Audiamus jam Oratores, ac prius Oratorum Principem, suum in urbem ingressum, more suo magnificè prædicantem. Unus ille dies, mihi quidem immortalitatis instar fuit, quo in patriam redii, cùm Senatum egressum vidi, populumque Romanum universum; cum mihi ipsa Roma propè convulsa sedibus suis ad complectendum conservatorem suum præcedere visa est; quæ me ita excepit, ut non modo omnium generum, ætatum, ordinum, omnes viri ac mulieres, omnis fortunæ ac loci, sed etiam mœnia ipsa viderentur & tecta urbis ac templa lætari.

Non minus præclarè Latinus Pacatus in sui Theodosii Panegyrico. Quid ego referam pro mœnibus festum liberæ Nobilitatis occursum, conspicuos veste niveâ Senatores, reverendos municipali purpura Flamines, insignes apicibus Sacerdotes? Quid Poetas virentibus sertis coronatos? Quid auleis undantes plateas, accensisque funalibus auctum diem? Quid effusam in publicam turbam domorum, gratulantes annis senes, pueros tibi longam servitutem voventes, matres lætas, virginesque securas?

Sed præclarissimè Plinius Trajani Imperatoris modestiam sic extollens: Priores invehi & importari solebant, non dicam quadri jugo curru, & albentibus equis, sed humeris hominum, quod arrogantius erat. Tu solâ corporis proceritate clarior aliis & excelsior, non de patientia nostra quendam triumphum, sed de superbia Principum egisti. Ergò non ætas quemque valetudo retardavit, quo minus oculos insolito spectaculo impleret. Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes, ægri quoque, neglecto medentium imperio, ad conspectum tui, quasi ad salutem sanitatemq; perrepere. Inde alii se satis vixisse te viso & recepto, alii nunc magis esse vivendum prædicabant. Fœminas etiam tunc fœcunditatis suæ maxima voluptas subiit, cùm cernerent cui Principi cives, cui Imperatori milites peperissent, &c.

De Oratione ad Inaugurationem.

Hæc Oratio haberi solet, cùm in Regem quis aut Imperatorem inungitur.

MATERIA ex his capitibus efflorescet. 1. Ab ipsa persona, cujus commemoranda merita, & ornandæ laudibus virtutes, ob quas jure adeptum esse dices dignitatem Regiam. 2. Hujus dignitatis magnitudinem majestatemque prædicabis. 3. Erunt afferendi & explicandi ritus singuli Inaugurationis, insigniaque

que Regia, Sceptrum, Corona, Purpura, Unctio, aliaque, quorum causæ & significationes exponendæ sunt, ad laudem personæ vel dignitatis pertinentes. 4. Pompa, ad cohonestandam diei celebritatem adhiberi solita, cujus splendor & magnificentia non exiguum præbebit Oratori laudis argumentum.

FORMA seu Dispositio hæc esse poterit: Exordium, magnum requirit ornatum, propterea quod hæc Oratio usurpatur in rebus magni apparatus & pompæ. Confirmatio haud alia est, quam eorum explicatio capitum, quæ superius attigi. Epilogus affectu lætitiæ exornandus est, & votis pro incolumitate & felicitatis accessione faciendis, invitandisque populis ad obsequium gratulationemque perpetuam.

Hæc autem, quæ de Regum Inauguratione dicta sunt; ad cujusvis seu Magistratus institutionem, seu creationem Doctoris facilè referes. Illa porrò Oratio, quâ sistuntur initiandi laurea Doctores PARANYMPHA dicitur, cujus tres fermè partes esse solent. 1. Causas affert, ob quas Doctoris honorem mereri dicendus est, qui inauguratur. 2. Rituum expositionem quandam complectitur. 3. Parænesis est, seu adhortatio ad eum, qui mox initiandus est.

De

De Oratione Funebri.

Funebris Oratio, seu Laudatio ea dicitur, quæ in laudem hominis demortui haberi solet. De illa satis accuratâ disseruimus eo libello, quem *Libitina*, seu *de funeribus* inscriptum, pridem emisimus in lucem, quem tu, si voles, consule. Ibi enim collecta reperies unum in locum præclarissimos quosque ritus variarum gentium in mortuis efferendis, lugendis, & sepeliendis, quorum cognitio summè necessaria est ad hujus orationis ornatum. Ibidem videbis, à quo primum hoc Laudationis genus inductum sit, & quem ob finem; nimirum ut 1. suus virtuti ac meritis honos habeatur. Deinde, ut virtutum, quibus enituit dum esset in vivis defunctus, commemoratione accendantur posteri ad imitationem. Denique, ut parentibus mœstis aliquod afferetur solatium, & doloris levamen. Sic autem instituenda hæc est Oratio.

Exordium plerumque abruptum est, ab his capitibus fermè ducendum: videlicet vel à querela indignationis plena in ipsam mortem, quæ hominem tam omnibus charum nobis eripuit, vel ab Exclamatione, deplorando brevitatem vitæ, spes fluxas & inanes mortalium, humanarum rerum vicissitudinem & fallaciam; vel acerbius invehendo in id, quod mortis causa extitit, vel à gravi quodam Effato sapientum, conveniente huic argumento, vel

vel à lugubri exequiarum apparatu, aut ab aliquo ritu veterum, vel à Dubitatione, quâ se orator nescire dicet, quid facturus sit, dolore ac stupore perculsus, sileatne an loquatur.

CONFIRMATIO. Laudationem complectetur eorum omnium, quæ mortuus, dum viveret, præclarè gessit. Ubi advertes non discrepare à Panegyrico Laudationem funebrem, nisi quod in illo voluptatem spectamus, in hac autem mœrorem ciemus. Quocircà in unum cavendum maximè oratori, ut nihil, quod lætitiam creare possit, afferat, sed potiùs Oratione totâ, gestu ipso ac voce tristitiam conetur ingenerare in audientium animis.

PERORATIO, vota indè in mortuum continebit, quibus illi felicitatem apprecabimur æternamque memoriam apud posteros. Sequatur cohortatio ad æmulationem virtutum, quarum monumenta illustria reliquit. Consolatio denique elicienda vel ex liberis quos reliquit, vel ex alio quopiam capite.



LECTO



LECTORI.

Videbatur unum requiri ad hujus qualemcunque absolutionem opusculi, ut scilicet, cùm de orationis partibus & artificio tam multa dixerimus hactenus, Orationem saltem unam suis omnibus constantem membris exhiberemus contemplandam Candidato nostro, ut etiam, si digna videretur; imitandam. Hæc meditanti mihi, commodum venit in manus quæ habita à me fuit De Laude Laudis, *dum humaniores Lugduni litteras docerem, Oratio; argumento, quod proximè tractavimus, Laudativo nempè* dicendi Generi quàm convenientissima, *& ad præceptorum, quæ tradimus, in usum reducendorum perceptionem peropportuna: nihil enim in ea implicatum, nihil obstrusum; sed in promptu & in propatulo posita omnia stylo contexta simplici, aperto candidoq; sic ut cuivis tyroni artificium pateat nudum, & explicatissimum. Scio ipsius Exordium ejus esse modi, qui præbeat carpendi ansam, nisi purgare occupem. Aberrâsse enim videor à decori lege, quod facetum & jocularе usu parim dicendi genus in re gravi ac seria, quod non ita est. Ea siquidem dicendi & agendi ratio adeò non abhorret à ratione temporis & personæ meæ & Auditorum, quos tunc habebam, cùm hanc orationem habui, ut etiam captanda videretur fuisse atq; affectanda, si meæ indoli non foret aliundè congruens. Itaq; familiarius*

idcirco adhibui. Auditores, quia domesticos & perbenevolos, quia familiares magnam partem, meq; juniores qui homine & conven rant auditari jam veteranum & emeritum, & audituri non quæ somnum conciliarent, ut ferè sit tædiumve parerent. At enim cur typis mandandum non texuisti Exordium aliud pro quo defensione non sit opus? Dicam ingenuè, more meo non texui, quia non libuit, non libuit autem, quia minimè id necessarium judicavi. Aliud est, quod non nemo fortasse non probet, quòd nimirum LAUDEM *spectarim, simq; tota Oratione allocutus; tanquam si persona foret. Verùm & illud etiam effinxisse haud abs re fuit: sic enim & gratior existit Oratio, & amœnius efflorescit materia Panegyrici: ejusq; leges (quod unum hic specto) clarius traduntur à me, & faciliùs observantur à legentibus.*

LAUS LAUDIS ORATIO.

FElix faustusque sit vester in hunc locum adventus (viri omni generum laude perillustres) Faustum istuc appulsum vobis iterum mihique gratulor, quòd id honoris commerui nunquam, ut homines tam honorati, tam præstantes, tamque præclari, tamque præcellentes me tantillum, tamque obscurum atque humilem, tam imperitum & infantem, tanta benevolentiæ significatione convenirent. Quid faciam? vobis ut non verbo tenus, quod plerique faciunt, sed re, quod pauci, grates agam? Faciam

ciam item, ut hujus ævi politiores assolent. Comessationem, seu mavultis vulgariore voce ut ad jentaculum pro meis opibus apparatum quam lautè potui, vobis, si placet, offeram. Nolite, per novem Musas vos obtestor, nolite tenuitatem meam aspernari, rusticaque munuscula è Pomario nostro decerpta spernere. Scio, vobis à prædivite Logico adornari subtile prandium, & ab Architriclino Grammaticæ præpinguem merendam. At non propterea vos pigebit, spero apud me prælibasse quippiam, præsertim cum polliceri haud ex vano possim, ut excellant alii, vincantque me sumptuosa ferculorum profusione, & exquisitis cupediarum condimentis: cibos tamen nequaquam adhibituros iis gratiores quos vobis appositurus modò sum. Ejus enim sunt generis, ut eos fastidiat nemo, sed ab omnibus appetantur avidè, & satietatem non modò non afferant, ut potiùs cupiditatem procreent.

Sed enim quid opus est jentaculum vobis commendare meum, ad illudque sumendum pluribus cohortari jejunos hospites? Mora in vobis nulla est, quippe qui consedistis omnes, ac jam explicuistis attentionis mantilia, nec non benevolas aperuistis buccas aurium, per eas siquidem cibus iste in animum, non per os in stomachum dimittendus est. Ne proinde anxios habeat ulla cura vetulos & edentulos, nullus hic gutturis dentiumve usus. Mandendum nihil, nihil commolendum proferam: fluet suavis esca melle liquidior puriorque in cujusque mentem: animorum modò docilia labia diducite, dum opertas vicissim aperio lances,

quo tandem alimenti genere convivas meos recreare cupiam fuſcinula oratoriæ propoſitionis oſtendo, cultelloque Rhetoricæ diviſionis varias in portiones cibos diſpertior.

Laudibus volo veſtris laudabilem hanc, quam præfertis, appetentiam temperare, honeſtamque ſedare ſitim. Ecquis enim laudem non ſitit? Laudem non appetit? cujus palatum non demulcet cibus hujuſmodi? Aut quis tam faſtidioſo eſt delicatoque ſtomacho, cui laudationes non adrideant? qui lenocinantis odore laudis, & illecebroſo gloriolæ guſtu non titilletur? Quæ, inquam, dulcior, quæ jucundior hominis refectio, quam prædicari, quam laudari? Annon, ut corpus epulis, ita laudibus alitur & reficitur animus? Ferculum ergò encomiis inſtructum & paropſides infero, ſaccaratis laudum veſtrarum prædicationibus refertiſſimas. Quid ſic urgetis, vos, qui ſtatis illuc parùm commodè, tamque arctè vos conſtipatis? Liquido eſte animo; ſuus erit cuique in hac menſa locus. Non excludetur quiſquam, fidem meam obligo, à ſeniore ad puerulum, à peritiſſimo ad tirunculum, lances circumferam, & tantum indè quiſque laudum, quantum capere poterit; & habere volet, nullo repugnante, nullo invidente, ſibi deſumet. Laudes namque veſtras perſequar non ad eum modum, quo vulgus hominum laudare, laudarique ſolet: ſed ita dilaudabo vos, ut neminem de vobis extollens, ſingulos efferam; ut nullum præconiis afficiens aſpergam univerſos; ut nemini palpans, omnibus adblandiar; ut, ne primoribus quidem labris quemquam attingens,

tingens, futurus sit nemo, quem non complectar & exosculer. Iterum dico, vestras omnium celebrabo laudes, nullas dicam; nullius usurpabo nomen, & singulorum nomen ad cœlos eveham, omniaque prætериens, quæ rectè fecistis: nihil eorum tamen prætermittam, quæ honestè laudabiliterq; gessistis. Næ tu, inquitis, mira nobis promissa facis, pro quibus, quod ajebat ille pari occasione, vadimonium deseri possit. Fateor, ita est, haud tamen difficiliora factu, quàm dictu spondeo Quidnam verò, scire vultis? mysterium accipite. Ipsamet collaudabo Laudem, quod dum faciam, laudesque Laudi tribuam, annon tacebo vestras pariter atque prædicabo, citra suspicionem adulationis, & offensionem modestiæ

ITAQUE, quod benè vertat, fortunatumq; sit Reipublicæ disciplinarum liberalium, facturus, quod sum modo vobis pollicitus: Panegyricum ipsimet Panegyrico dicam, ut vestrum componam, Auditores: Encomium Encomii celebrabo, ut vestrum texam: Laudibus exornabo Laudem, ut vestras efferam; Illam commendabo, quæ vos commendat; & illustrabo dictione, quæ factis vos illustres reddit. Age verò, quid de illa censeritis nobilissima virgine, viri ornatissimi, quæ cum pulchritudinem ipsam anteiret præstantia formæ, ipsam etiam humanitatem humanitate comitateque vinceret, omni genere opum circumflueret, puellas omnes castitate, matres fœcunditate superaret, immortalis insuper esset ipsa, & proli simul suæ immortalitatem impertiretur. Talem ego esse laudem contendo, talibus in-

structum esse dotibus, non à fortuna, quod summæ felicitatis esset, sed à se, quod divinæ indolis est, confidenter pronuncio, evidentissimeque conficio. Planius dico, Pulchra est Regina LAUS, humana est, prædives est, casta, fœcunda, immortalis est, quæ dum ordinatè dilucidèque disputo, aures quæso benevolas adhibete.

Imò potius attentos adhibete oculos, & adventantem in hunc locum suspicite Principem meam. Huc se confert, suæ consessum hunc cohonestatura luce præsentiæ. Audivit enim me de ipsius laudibus verba hodie facturum apud vos: interesse haud dedignatur, quæ ejus facilitas est, orationi huic meæ. O me beatum! atque ecce adest: Decedite ingredienti, vos, qui illud obsideris ostium. Date viam subeunti, imo state loco omnes, facilè sine cujusquam incommodo huc se intus inferet: Nec enim angustiis loci LAUS premitur, nec intercluditur objectu corporum, nec obicibus impeditur. Et verò dum loquor, se istuc intulit, soliumque jam conscendit, quod ipsi Musarum chorus & virtutum, latus ejus semper stipantium, certatim ei construxere.

O SPECIEM angustam! O nunquam satis admirandam pulchritudinem! Quis fulgor, Superi! quæ majestas! quæ vetustas oris! quæ membrorum omnium dignitas! Proh! quàm festivè sedent, colluduntque in illa fronte Veneres! quàm blandè in genis rident volitantque Gratiæ! Ut lepores adblandiuntur oculis! Ut corallia relucent in labris! Ut sinus argen-

tei nitor pretiosè purèque rutilat! Illæ manus quàm aptæ ad sceptrum! Ille capitis vertex quàm venerandus ad coronam! Oris ille decor quàm ad delicias amoremque rapax! Motus ille omnis & habitus quàm liberalis & elegans, plenusque dignitatis ac Laude dignus.

Ab hac enim Laude decoris, ô decora LAUS laudum cæterarum, quibus effulges, Panegyricum auspicor, quia prima illa est, quæ sub oculos cadens, Orationem ad se rapit; quaque sic præstas, ut nemo te aspiciat, quem non pellicias: accedat ad te nemo, quem non devincias; manibus nemo tuis religiosa figat oscula, quem non complectaris humanissimo nexu benevolentiæ; neminemque tibi connectas, quem felicitate non cumules, incredibilique sensuum animique delectatione perfundas. Quis Te! formosissima LAUS, vel de solo nomine novit, tuique desiderio non incenditur? Quis est adeptus, gaudiique magnitudine non obruitur? Quis intuetur, & votorum omnium non attingit metam: Quis amplexatur, amorisque tui purissima succensus igne, non exardescit, non colliquescit? Me certe vel aspectu solo sic afficis, itaque præ admiratione conturbas, ut non hæreat mihi modo lingua, sed etiam voce pene destituar, animusque planè sit me defecturus, nisi ad illum excitandum amabilissimo stupore defixum abducam tantisper à te oculorum aciem, alioque Orationem convertam.

At quam in partem convertam? In tuumne vultum forma deformis? In tuumne fucum,

pulchritudo vanissima, quæ nunc re ipsa mihi objicis, verita meritò ne tibi Laudem anteponam: anteponam verò, imò ne componam quidem, neque enim es digna, quæ in contentionem cum illa venias. Quid, audesne tuum illud os unguentis delibutum coram obtrudere, tuaq; vitia cum illius virtutibus comparare? Depone larvam fraudulenta, qua venustatis vanitatem obtegis: illudere nostris non potes oculis; patent fallaciæ, lenociniorum pigmenta translucent. Quid ita tumes? quid ita te circumspicis? quid sic te venditas, collumque erigis, gressumque frangis, oculosq; torques? Inania sunt hæc quæ jactas, & adscitia ornamenta formæ: exue, exue illam gemmis illuminatam, quam trahis cum ostentatione lasciviæ, defluentem luxuria chlamydem. Detrahe inaures illas, annulos, monilia, torques, armillas, cæterumque muliebrem cultum, quem emendicasti. Abjice odores illos, calamistra, corollas aureas & floreas, fascias, tæniolas, vittas, universam demùm deliciarum officinam illam, quam ambitiosè circumfers. Ac tum, si audes, te Laudi æquipara, quæ fucos exosa, perinde fulget squallore obsita ac radiis redimita gloriæ; tum non minus venustatis inest, viliori vestitæ panno, quàm dum coruscat splendore purpuræ: quæ tantum majestatis habet in cœno jacens, quantum solio insidens, quæ juxta nitet plebejo juncta, atque si esset nupta Principi, nec blandius in adolescente lectissimo, quam in decrepito strigosoque sene renitet.

Verùm est, sis sine adjumento grata, pulchritudo: sis per te ipsa haud inelegans: Quid

Quid tua inanius elegantia: quid fragilius? quid caducum magis, quippe quæ floris instar, tenui livescit afflatu, casuque levissimo defluit, & vergente senium vita, momento citius contabescit. At verò decor tuus, ô præclara Laus, nunquam non virens atque vernans, ubique florens & amabilis, omni ætate gratus, vividusque neque languescit morbo, neque flaccescit ægritudine, nec labore corrumpitur, nec violatur annis, vetustate deflorescit. Tua nimirum illa genarum lilia; purpureis conserta rosis, nunquam marcescunt: Illæ pudoris flammulæ à tuo vultu promicantes, extingui nequeunt: Nives illæ oris purissimæ nullo cupiditatum æstu tabefiunt; nec ulla obscurantur mœroris nube gemini oculorum soles; nec inflectuntur adversis arcus superciliorum; nec mœstitiæ rugis inaratur nitidissimæ frontis crystallus.

Nempe à te ipsa petis totum id, quod formam commendat, non hæret pulchritudo tua in externa specie, aptaque conformatione membrorum, aut amœnitate coloris, quem diffundat sanguis, aut fucus illinat. Tuarum ipsa es origo laudum, tuique; fons decoris, & parens elegantiæ, venerumq; nutrix, quibus circumfluit: quodque longe amabiliorem te præstat, cum adeo formosa sis, facilis tamen & benigna es, non fastidiosa es, non arrogans ut puellarum elegantiorum mos est, quæ quo sunt forma meliori, eò inflantur vaniore fastu, superbiusq; sese efferunt, & quasi Dearum incessu gradiuntur, ne dejicere quidem dignantur oculos in veneratores amasios. At tu, LAus Humanissima, quantò *Laudis Humanitas.*

ro alias evecta es super id omne, quod humanum est, tanto humaniorem te praebes, nullius officia respuis, nullius dedignaris obsequia, nulloque aetatis vel conditionis discrimine, non laeto solum vultu adeuntes excipis, sed ultro vocas ad amplexum, stringis ad oscula, beatosque reddis quos amas: ut contra pulchritudo miserrimos, quos allicit, efficit, allectosque nitore vano, tetro saepe vitiorum paedore inficit. Quoties enim grassans illa in perniciem nostram innatis fraudulentiis scabros asperosque mores polita delicataque cute convestit? quoties oris venustate turpem commendat animum? quoties turpissimae menti frontis liberale praetendit velum? & dum rosae instar foliorum purpura blandè fulgurat, aculeorum fulmina in aspicientes contorquet? praestigiis nimirum fit ejus, quod frequenter fieri cernimus, ut è purissima nive pudoris flamma concipiatur obscoenior, & è luctis aspectu radiantis à sideribus oculorum impudica exoriatur libidinis nubes. Veneficiis illius acceptum referendum est, quod perverso rerum ordine caecutiant tam multi à luminibus alienis quod turbentur ad serenae formae conspectum, quod impallescant ad ejus ruborem, quod frontis pudorem exutiant. dum frontis honores aspiciunt, & impudentiores existant, quò magis pudorem mirantur. Lucet pulchritudo videlicet illa quidem, sed urit; floret, sed pingit, lenocinatur, sed latrocinatur: Eodemque momento rapit oculos: & eripit mentem, ut quo quis ipsius amantior est, eò videatur amentior.

Te

Te autem, ô pulchra sinceraque LAUS, quò, quis amat ardentius, eò se gerit sapientius. Honesti sint, oportet, quos amore devinctos habes, vitam necesse est ex virtute agant, qui tibi serviunt; decorem observent, qui tibi student; domitas habeant cupiditates, qui te colunt, magna gerant, qui te duce merent sint felices, quibus adspiras; sint illustres, quos luce respergis: non illa utique luce, quæ à Sole manans, gratiam duntaxat rebus coloremque reddit, quæ nox ademerat; non illa, inquam, luce, quæ res deformes atque fœdas, conspicuas quidem lucidasque reddit, sed non formosas: quocunque enim, Auditores, spargit LAUS formæ suæ radios, afflat honorem & ubicunque micat, spargit decorem, nec splendorem modò parit solaris instar luminis, sed vilibus prætereà pretium facit, nitorem affert squallidis, venustatem adsciscit deformibus, abjectis creat commendationem, omnibusque omnino rebus, quibus conjungitur, dignitatem amabilitatemque conciliat.

QUANQUAM non fulgore solum, viri clarissimi, sed munditia etiam & puritate LAUS vincit lucem, quæ altera ejus Laus est? etsi enim primo conspectu nihil luce purius, nihil inviolatius esse credas, ut quæ permista sordibus, puros servat à labe radios, nec minus illibata cœnum illuminet, quam cœlum; est tamen quædam quasi nota turpitudinis aspersa & adhærens lues, quod sordibus immersa fimoque juncta, lutoque velut maritata, turpissimis rebus illustria defigat oscula. At verò purissima nostra LAUS luce longè castior, nullius non

modo vitii contagione pollui, nullius affinitate culpæ violari potest; non eam solum non fœdat libido, scelus non inquinat, labes non inficit, turpitudo nulla conspurcat; sed ne in eodem quidem esse loco sustinet, in quo vel levissima deformitas hæret: ubi enim dedecus inest, qui Laudi locus esse queat? Esto, lectissimæ non raro Virgines, castimoniæ laude claræ, viris nubant spurcissimis, seu vi coactæ, seu delinitæ blanditiis, seu muneribus irretitæ, atque ita in eadem sæpe domo; eodemque lecto versentur pudor & impudentia, honestas & obscœnitas, libido & modestia, deformitas & pulchritudo, virtus & vitium: LAUDIS propria hæc laus est plane singularis, nulli posse conjungi fœditati, nulli vitio desponderi. Et vero qua ratione tam turpi marito desponderis, Casta LAUS, quæ nec donis allici, nec circumveniri promissis, nec vi rapi potes, nec auctoritate compelli, ut te tradas immerenti, ut te indignus habeat, ut te fruatur inhonestus, & vel unum ab ore vitiosus delibet osculum.

Quid vitiosum dico, quid inhonestum? Non satis est culpa vaces, qui Laudem prensas: animum geras oportet virtutibus illustrem, insignem pietate, fortitudine clarum, religione præstantem, eruditione conspicuum. Alium si te præstas, & Laudem quæris, ludis operam, & cum laudaris, luderis, sceptro sis verendus licet, potens imperio, opibusque pollens: Reges siquidem LAUS contemnit, si non magis sibi moderentur, quam regno. Duces despicit, nisi prius seipsi, quam hostem vincant;

cant; aspernatur opulentos, qui pluribus non abundant animi bonis quam fortunæ; spernit optimates, quibus antiquior est dignitas, quam virtus. Ut autem quisque vera laude fulget, hunc maximè illustrat exornatque LAUS, sed quam præclare! quam insigniter! audite, qui laudi studetis: plebejum respicit, efficitque Patritium, armis instruit militem, & ducem facit; terræ filium suscipit, & cœlo invehit, misero favet, felicemque reddit, amplexatur inopem, superque modum locupletat.

EST enim locuples, non pulchra tantum, nec casta solum vera LAUS. Quæ res, quantum hac præsertim ætate ad conciliandum amorem momentum habeat, vel inde patet, quod non tam hodie fœminarum formam consulunt viri, quam crumenam, & oneratas malunt quam ornatas, parumque curant quibus deformentur naturæ vitiis, modò sint instructæ amplis divitiis. Adeò, vel in nuptiis ipsis non tam de nuptiali thalamo, quam de thesauro cogitatur, tædisque jugalibus arca potius quæritur, quam uxor, plerisque fit aureæ dotis fulgor, quam decoris, & argenti splendor, quam generis; & copioso censu sponsa dives, sit sensus licet expers, judiciique vacua, quam sapiens & bene morata, si fuerit dotata male. *Laudis divitiæ.*

Quocirca hoc si tu munere careres, pretiosa LAUS, sit quamvis nulla virgo te castior atque venustior, haud scio tamen an quis tuas ambiret nuptias: quia verò sic affluis bonis, sic opibus abundas, ut nihil admodum requiri ad opulentiam possit, quod non possideas,

cui mirum accidat, quòd innumeri te proci circumstent, quòd omnes, qui te conspexere, depereant, & aspernentur universa, ut te potiantur? Thesauros enim habes inexhaustos, quibus tuos dites clientes fallor, non usus sum voce, qua decuit: thesauri tibi nulli sunt, verum thesaurus ipsa es, non auri, sed decoris; non argenti, sed gloriæ; non gemmarum, sed honestatis; non suppellectilis pretiosæ, sed gloriosi nominis, æternæque famæ. Thesaurus es non abditus, sed palam obviis cunctisque patens, aut paucis notus, nec nisi fortibus, nec nisi sapientibus. Thesaurus es quem Philosophi ut reperiant, quæ naturæ mysteria non explorant! quæ non pervadunt adyta? Quæ secreta non penetrant? quas non movent quæstiones ac controversias: quem ut nanciscantur disciplinarum periti, quæ volumina non evolvunt? quas bibliothecas non obeunt, quibus in studendo laboribus vigiliisque non se torquent? Quem sibi ut bellicosi comparent, quas non committunt pugnas, non edunt strages, non pariunt victorias, non referunt coronas? Hoc thesauro Crates ut potiretur, projecit opes; ut illo donaretur Cato, profudit sanguinem; ut illum Brutus possideret, protegit vitam; ut obtineret Philosophus ille doliaris, contempsit omnia. Thesaurum hunc ut scrutaretur Curtius, se immisit in horrendum terræ hiatum; ut Decii adipiscerentur, devovere se pro salute patriæ; ut inveniret; ad exquisita profectus est supplicii Regulus; ut Codrus detegeret, personam texit regiam, nudavitque pectus hostium telis. Illius inflammatus cupi-

cupiditate, ſibi Zopyrus nates exſecuit, ſibi oculos Democritus eruit, ſibi linguam præcidit Zeno, ſibi manum aduſſit Scevola, ſibi Lucretia transfixit pectus, ſibi mortem innumerabiles conſcivere. Theſauri hujus deſiderium ab Alexandro puero excuſſit lac ymas, verito ſcilicet, ne totum Philippus pater occuparet, ipſumque poſtea indagaturus adoleſcens extremas terrarum plagas victoriis peragravit. Videbant enim, ô magna LAUS, videbant homines oculatiſſimi, præclariſſimorum facinorum majorem inveniri nullam poſſe mercedem præter Te; nullumque eſſe tam illuſtre factum, quod niſi à Te commendetur, non turpe ſit, nullam eſſe virtutem tam celſam, tam exaggeratam, cui coronam non imponas, honores viliſſimos eſſe. quos non exornat; ſordere purpuram, quæ ſplendorem à Te non trahit; non radiare diademata, quibus fulgorem non accerſis; vacillare folia, quæ non erexiſti; trophæa ruere, quæ non excitaſti; nihil habere ſceptra pretii, quæ non contuliſti; nullius eſſe dignitatis ornamenta regia, quæ non proficiſcuntur à Te, Deumque ipſum (ô rem omni cogitatione majorem! ipſum bonorum omnium fontem Deum, donorum largitorem omnium, à quo Tu ipſa orta es, Divina LAUS. De aucupari, Te expetere, Te in votis habere. Teque deducere tanti, ut cum univerſa nobis tribuat, Te unam à nobis repoſcat quaſi par ſuæ in nos munificentiæ amoriſque præmium, perindeque Te captet, Te requirat, ac ſi ſupremum illud æternum, ne Numen ſeipſo beatum & uſquequaque perfectiſſimum, adeoque ullius egens,

egens; Te ipsa tamen beatissima LAUS indigeret.

Laudis fœcunditas.

APPELLO beatissimam Auditores: nam quid illa beatius Principe, quæ cum generis nobilitate opulentiaque parem non habeat, excellat eleganti forma, castimoniæ decore præfulgeat; Virgo licet, ita nihilominus est fœcunda non filiis, sed præclare factis; non peritura progenie liberorum, sed immortali prole virtutum; ut quot facinora patramus egregia, tot generosa pignora, illustresque partus in æternam gloriæ lucem profundamus.

Audite, quibus verbis Epaminondas, lethifero transfixus telo, moriens orbitatem soletur suam: Orbus, inquit, morior, viri Thebani, qui lectum circumstatis meum, non tamen sine liberis; vobis enim relinquo filiam. At illi, quam tu nobis, inquiunt, quam filiam relinquis, Imperator? pugnam Leuctricam, reponit ille, qua patriæ fregi hostem; hæc mea filia est, quæ parentem non finet totum interire. O immortalitate dignum Parentem, & dignam prolem! dignam immortalitate sententiam! Hi namque sunt filii verè nostri, Auditores, facta palmaria quæ edimus; hæc germana soboles castissimaque procreatio, non gremio concepta, sed animo; non humi, sed honoris excepta sinu; quæ in cunis jam adulta non eget fortunæ mammis ut alatur; nec ætatem poscit, ut crescat: nec robur virium requirit, ut adolescat. In flore quippe jam matura est, quia virtutis absolutæ partus est: nec balbutit infans vel in ipsa sua infantia: quia vix dum nata, parentis laudes sui loquitur, ipsius-

ipsiusque repræsentat non speciem externam, sed indolem, animumq; reddit ipsum, meritaque prædicat, ereptamque morti memoriam futuris ætatibus præbet intuendam colendamque proponit posteris. Degenerare hi non possunt à virtute paterna filii, sed sicut, quod ajebat ille, *non imbellem feroces progenerant aquilæ columbam*; sic magnæ res non nisi à magnanimis geruntur, soliique fortes edunt fortia: cum econtra in procreatione liberorum haud rarò eveniat, ut parentes forma eximii filios turpes, magni pumilos, & casti fœdos, probique suscipiant improbos. Cui dedecori minime obnoxii sunt, qui contractis cum Laude nuptiis, melior divinæque dant operam proli.

Tu enim ipsa es, castissima fœcundaque LAUS, cujus amore complexuque purissimo gravidari, facta illustria, hoc est, innumeros hæredes gloriæ, ac nominis nostri progignimus, probrosa cæteroqui virtutum sterilitate laboraturi, aut insana vitiorum luxuria, nisi nos vulsos ab uberibus voluptatum invitares ad immortalis vitæ decus, erudires ad disciplinam, corroborares ad laborem, firmares ad pericula, interritos ad omnem casum eventumq; redderes, nec adversis minus infractos, quam prosperis præstares invictos.

Itaque non secus ac per absentiam Solis, nocturnasque tenebras universa natura torpet; exoriente verò die excusso sopore suscitantur omnia: sic Te, ô sidus nostrorum, sic nostris dum Te subducis oculis? nec nos illuminas, inglorii jacemus & inertes, pigro torpore languidi indecora quiete desides, mollitie inhonesta fracti;

cti; fœdoque implicati & oppressi somno stertimus ignobiles sine honore, sine nomine. At simul exoreris nostra lux, quid non præstas? quid in nobis non efficis? ad primores divinæ tuæ formæ radios evigilat derepentè humana mens, disciplinæ desiliunt velut è lecto; artes se foras explicant, virtutes quasi domo egrediuntur, in publicumque prodeunt, veniuntque in lucem, ut à Te vires & decus hauriant, & quidquid per illas suscipimus, tuo beneficio coronetur. Quid enim est, quod non aggrediamur hortatu tuo? quod non perpetremus Te auspice? armisne gerenda res? Tu manibus arma ministras, & nervis robur addis, oculisq; ardorem, animisq; generositatem ingeneras, pectoribusque fortitudinem & pericula submoves, & laborem lenis & levas, viamque sternis ad victoriam, & munis iter ad triumphum, palmisque vias obseris, laureasque texis coronas, victorum capitibus imponendas. Nomenve aliquod decusque pacis artibus colligere juvat? quis id assequeretur sine Te, ô clara LAUS? quis publicæ rei operam navaret? miserorum causam susciperet? discrimina subiret pro salute civium? quis literariis laboribus addiceret vitam? quis torqueret studiis animum? quis nondum natos occupaturus beneficiis, ingenii monumenta continenti meditatione, assiduisque perfecta vigiliis transmittere curaret ad posteros, nisi Laudem cogitaremur, nisi spectaremus id præmii, nisi ad hoc honoris centrum consilia nostra confluerent, nisi ad hanc virtutum metam dirigeremus vitæ cursum, nisi ad hunc glo-
riæ

riæ scopum vota collinearent omnia, & spirando mortalis hujus vitæ auram ad immortalem aspirare nobis liceret, quam morientes in Laudis sinu nos consecuturos, certò speramus.

MORIENTES autem? quod mihi verbum imprudenti excidit: morine potest, qui cum Laude vixit; extinguine potest, qui spirare desiit in gremio complexuq; Laudis? an hoc est obire, an non potius mortem cum immortali vita commutare, laudabiliterq; emori? Ita est profectò, ita est; prolem eripit suam è mortis faucibus æterna LAUS, & cui vitam attulit fœcunda, immortalis immortalitatem impertit. Non sic parentibus in liberos licet esse liberales atque beneficos; adeoq; non avertunt extremum illud malorum, ut mutatis in feretrum cunis prius soboles, pereat, quàm pariat mater, ejusque tumens uterus fiat proli non rarò tumulus, atque etiam versa vice oriente filio haud infrequenter parens occidat, tenebrisque condat oculos, dum suos aperit in lucem puer, papillisque lacte manantibus lethalibus madeant lacrymis pupillæ! tantumque abest alienam ut servet vitam, ut amittat propriam; adeò non subducens morti natum, ut morituro præeat, & aperiat secuturo sepulchrum prior. At contra LAUS melior parens ac felicior, quæcunque parit, æternitati consecrat, dans proli, simulque hauriens à prole lucem, illam ab interitu vindicans, ab ipsaque vicissim immortalitatem accipiens; & quam largitur soboli, ab ipsa vitam sobole derivans, nullis temporum limitationibus terminandam.

Laus immortalitatis.

Et

Et vero, nonne vivunt in nostris animis, viventque memoria sæculorum omnium homines illi, quos ob eximia facinora quæ patrarunt, prima retro suspexit ætas, venturaque porro cum admiratione suspiciet? Viget sane illorum fama multis testata, expressaq; recte factorum monumentis; at cujus beneficio viget? nonne Laudis? Adepti sunt gloriam sempiternam Imperatores bello clari; & vel ab ipsa morte, quam attulêre hostibus, aut oppetiere ipsi fortiter pro incolumitate Reipublicæ, aut defensione virtutis, pepererе sibi vitam, nulla diuturnitate circumscribendam. At cui decus hoc acceptum attribuent? nonne Laudi? Quis nomen subtraxit vestrum edacitati temporis, illustres fori Reges, Oratores egregii? Quis rapacitati mortis vestrum exemit, entheati ingeniosique Poëtæ? quis meliorem vestram partem è communi servavit incendio, Philosophorum coryphæi? Nonne Laus? Et vos qui vel ingenii claritate nobiles, vel rerum gerendarum prudentia celebres, excelluistis ad summam gloriæ laudem, quæ res effecit, dicite, ut nulla sit tam surda, aut tam muta posteritas, quæ de vobis non audiat & loquatur? annon ipsa Laus est, sine qua jam diu delitesceretis in tenebris, æternaque involuti caligine temporum, vestris cadaveribus consepulti, inhonorati jaceretis. Nec melior futura fuisset conditio vestra ævi nostri Heroes inclyti? quod enim vitæ decus, quam mercedem gloriæ, quod retulissetis honoris prænium, nisi rerum à vobis gestarum famam nunquam interitura Laus æternitati commendasset? Tunc justi appellationem,

nem, Ludovice, obtinuisses justissimam licet? Tibine Magni cognomentum, Henrice Maxime, magnitudo fecisset animi? Fuissesne, Philippe, decoratus Augusti nomine? Tene, etiam nunc Sapientem, Carole, vocaremus? Tuarumne laudum, Regum sanctissimè, impietatis Saracenæ Domitos, tuarumne laudum festis acclamationibus, publicaque gratulatione universus personaret orbis, nisi facinoribus illustrissimis debita sempiterna Laus vestræ per omnes latè mundi plagas ætatesque temporum disseminasset existimationem virtutis, & super astra nomen extulisset.

O vestra nostraque pariter misera sors! ô vani labores! ô contentiones inutiles! ô cogitationes inanes! ô vita hominum fluxa, caduca, volucris, fugax, & in mortem præceps, nisi fluxam Laus figeret, volucrem sisteret. fugacem cohiberet, sustineret præcipitem, caducam immortalitate donaret! Extingueretur, heu! fama nostra simul cum corpore, eodem cum ossibus tumulo, præclarè factorum memoria conderetur, deflueret in cineres nomen, nominisque memoria opprimeretur ruina vitæ & in oblivionis auras gloria illa, quam tot sudoribus aucupamur, tenuissimi vaporis instar evanesceret. Non evanescit autem, sed solida totaque perstat, nec ullo dierum allisu, aut concursu annorum labefactari convellique potest, sed potius eboris instar, quod assiduo contactu nitorem contrahit, ætatum consequentium perpetuò velut afflictu splendidior existit beneficio nostræ laudis. Simulac enim, ut superius edisserebam, purissimo amore fœcundata mens, egregium

gium quodpiam concepit, edidítque facinus: in lucem editum, ne jaceat humi, sustollit illicò beneficia LAUS, gremioque susceptum fovet, nectareoque lacte pascit, exornatque tam diu, comit, illustrat, expolit, quoad sæculorum oculos omnium in sui admirationem convertat. Nec illud satis habet: Etenim ne qua vetustas suæ rugas obducat proli, sed ad omnes ætates recens illius pulchritudo integráque perveniat: quid agere solita est; Celeberrimarum artium pulsat fores, obit officinas, solertiam explorat, lacessit industriam, opem requirit, consumit operam: ut sui etiam post Alumni fata ejus imago vultus animique vivat in ære, spiret in marmore, scintillet in auro, vibret in argento, fingatur in statuas, pingatur in effigies, exprimatur in icones, in simulacra figuretur, Necdum contenta, mutam oris imaginem posteris demirandam tradere, ipsummet alumnum nunquam excitatum ab inferis omnibus sistit locis, ætatibusque repræsentat omnibus: seu loquentem faciens, quæcunque dixit sapienter; seu facientem inducens, quæ gessit eximiè: sicque impositum vitali currui litterarum, aurigante historia, præeunte fama, comitante gloria, per remotissimos orbis universi tractus, ordinesque temporum redivivum atque triumphabundum circumducit, cœloque invehit.

Quid molimini, structores Babylonii, non tam Gigantes mole corporis, quam superbia? quis ille est cogitationum vestrarum æstus, quæ mentis agitatio? quis ardor impotentis animi in excitanda turri, cacumine tactura cœlos? erratis

tis toto cœlo, ſtolidi vel dum in cœlum tenditis. Ad Superos non igitur gladibus lapideis, ſed honoris Cœlum ſi cogitatis, factis laude dignis erigite virtutum monumenta ſublimia, non ſubſtructiones inſanas. Una eſt ad aſtra via vera LAUS, hæc una terram cœlo nectit, hominesque ſideribus inſerit. *Illam* ſequimini, qui adſpiratis ad cœleſtia; illam peramate; qui flagratis amore vitæ; illam amplectimini, quorum oculos animosq; tenet coporis venuſtas; hanc adite, qui auro inhiatis; ei ſervite, qui ſtudetis honoribus; hanc prenſate, quibus vitæ places honeſtas. LAUDE nihil honeſtius, nihil nobilius & excellentius, nihil pulchrius & pretioſius, nihil caſtius & fœcundius, nihil vitale magis eſt, & minus obnoxium morti.

At enim verò quod inflammatos amore Laudis conor incendere? ecquis eſt tam inhumanus ferreusque, tam ferus & agreſtis, tam durus & barbarus, qui Te non deamet, amabiliſſima LAUS? Tibi ſubmittunt ſceptra Reges: Tibi ſubdunt vexilla Duces, ſuas tibi palmas & lauros victores & triumphatores ſubjiciunt: Tibi Præſules inſulas, Antiſtites tiaras conſecrant: Artes omnes & ſcientiæ ſuas tibi elucubrationes inſcribunt; in Te quærendo omnes curas, ſtudia, cogitationes, vigilias univerſi figunt ac locant.

Univerſos dico, erravi, ô bona ſinceraque LAUS: nam quotus eſt quisque, qui Te cogitet, qui Te quærat, qui Te potiatur? non enim Te, quid diſſimulem? Sed inane Tui ſimulacrum plerique ambiunt: veſano illo amatore ſtolidiores utique, qui marmoream Veneris ſtatuam ita deperibat, ut in ejus templo dies

dies noctesque nunc amplexando, nunc osculando traduceret, lapidique suos amens narraret amores. Impuro illo stultiores Ixione, qui amore Junonis ebrius, in pœnam impudentissimæ temeritatis oblatam sibi à Jove nubem Junonis specie figuratam compressisse dicitur: ex quo congressu sicut Centauros fœda monstra nata esse fabulantur: sic facta pariunt multò fœdiora, qui vera potiri laude cum non possint, falsæ laudis adulterinis imaginibus constuprantur, amplecti se putantes Deam, & nubem stringunt; honoris pura luce frui, vanamque consectantur umbram; dedecora exardere flamma & fumo gaudent.

At vos, beatæ mentes, illustres animæ, Religionis Christianæ lumina, Ecclesiæ Soles sanctimonia vitæ præfulgentes, meritorum splendore clarissimi: vos puram, vos germanam quæsiistis Laudem, & invenistis: quæsiistis per cruces & catastas, per flammas & equuleos, per catenas & verbera, per cruciatus atque necem; quæsiistis in latebris & luce palam, in celebritate ac solitudine, in antris ac theatris, in templis ac sepulchris, in urbibus & sylvis, in ædibus & ferarum latibulis: ejecti patria, exuti bonis, fama spoliati, miseriis obruti, oppressi calumniis, deserti ab amicis, à propinquis proditi, à parentibus derelicti unicum tot calamitatum, tot malorum remedium solatiumque Laudem quæsiistis & collegistis immortalem.

Quid abnuitis; quid objectatis? Laudem respuimus, inquitis, non captavimus, aspernati, non consectati sumus; fugimus, non quæsimus. Benè habet, Laudem non quæsiistis, ita

ita est: at ipsa vos quæsivit Laus, & reperit? fugientes secuta est, & comprehendit, latitantes investigavit, detexitque, abditos indagavit, totique patefecit orbi. Te illa prodidit, Alexi, delitescentem sub scalas paternæ domus iisdemque scalarum gradibus, quibus ad abjectissimam vitæ rationem descenderas in cœlum fecit, ut ascenderes. Tibi detraxit Alexander obscuram Carbonarii personam, quam indueras, excussaque fuligine, albentem reluctanti stolam induxit, lucentemque carbunculis imposuit mitram. Te illa, personatum, ignotumque, Nicolae, conspicuum reddidit. Te fugientem, Ambrosi, retraxit ex fuga. Te absconditum produxit palam, Magne Gregori, illustravitque luce gloriæ nunquam intermorituræ, nec passa latere sub modio lucidissimas Ecclesiæ lampades, sed super aureum supremæ dignitatis candelabrum collocavit, honorisque cœlum, ut prælucerent omnibus qui in mundo sunt, tum doctrinæ luce, tum splendore vitæ.

At tu IGNATI, quid vestes frustra mutas? quid te mendicorum gradibus inseris? quid sub Mantesana rupe oblitescis? & barbam fœdum in modum, capillosque sinis excrescere, ut famam minuas, ut Laudem obteras, ut ostentationem devites, & *pulchrum* illud, *digito monstrari*, effugias? Nihil agis, Vir sanctissime nihil agis, Te digito vel invitum monstrabit Laus perque omnia mundi loca, temporumque spatia spirantem tuarum virtutum effigiem fama circumferens: voce ab omnibus exaudienda posteris dicit: Hic est, Hic est, vir

At pulchrum est digito monstrari, & dicere; hic est, Pers.

T tutum

tutum sator, vitiorum domitor, expulsor ignorantiæ pietatis assertor, profligator hæresiæ, dæmonum victor, orci terror, ac mundi stupor. Hic est *unus* ille *Homo*, qui *cunctando* certandoque pariter cum Romanæ sedis hoste publicam *restituit rem*; qui Orbi, scelerum mole laboranti nutantique suppossuit humeros, labentemq; solus sustinuisse visus est, & erexisse claudicando. Hic est, cui suum debent Templa nitorem. Cœnobia celebritatem, splendorem Academiæ, institutionem Juventus, Urbes, Provinciæ, Regna, Europa tota; Orbis terrarum, quam late patet universus. Religionis sanctitatem. Hic est, quem in irritum petiere invidi, horruere impii, odere scelesti, oppugnarunt hæretici; quem boni contra colunt, sapientes prædicant, honorant populi, mirantur optimates, suspiciunt Principes, Reges venerantur; gentes florentissimæ reverentur, quem omnes amant, omnes observant, omnes ornant, & satis dignè nemo laudat.

Claudicavit Ignatius ex vulnere.


Hæc de Magno parente dum Laus ubique prædicat, quas simul filiorum laudes non evulgaret, nisi submissione mentis infima illam exoraretis, ne ponat in propatulo; quæ tam studiosè celatis? Nequicquam tamen & Vos quoq; huic honoris soli, qui collucet in vestris animi, nubem moderationis objicitis: Jubar illud virtutum irradians castigatum modestiæ velo, amabilius inde micat. Frustra nobilissimo laudum flumini, à vestrorum profluenti meritorum fontibus, opponitis verecundæ dissimulationis aggeres, honestiq; molem pudoris: quo illas coercetis arctius, ferventiusq; cohibetis, eo

magni-

magnificentius intumescent exundantis gloriæ fluctus; brevique fiet, ut revulsis obicibus, extra vitæ ripas, temporumque limites sese diffundant & exæstuent, omnemque posteritatem fluxu venerationis plenissimo gloriosè circumluant.

At, quid istuc est, quod cerno, superi! Quid in te commisi, Humanissima Laus? Quid apud te male commerui; quod obtutu acerbiore me percellas? dumque Auditoribus adrides meis, non placidissimo. Orationi meæ, vultu indignante succenseas? agnosco culpam, video caussam stomachi in me tui. Ut ex illorum capis lætitiam factis; ita è meis hauris fastidium dictis. Tuas enim laudes, REGINA LAUDUM, sine laude recenseo; Infantiam diutius meam tolerare nequis Auribus tuis insulsus obstrepo, ineptusque caput obtundo. Itaque longioris tædii impatiens, discessum cogitas jamque surgis è solio, & abis ab hoc loco; mihique abiens significas, ei, qui tam incomptè, inornateque de re omnium præclarissima; verba fecit, levissimam, quæ irrogari queat; pœnam esse, excludi suggestu deinceps, æternoque multari silentio. Utramque subeo pænam perlibenter, ô Justa LAUS, malè à me Laudata LAUS, quam offendi, cum demereri cupiebam, & vituperii reus à Laude factus; suggestu descendo, & in perpetuum conticesco.

FINIS.



INDEX TITULORUM.

PARS I.

APHTHONII PROGYMNASMATA.

APPARATUS AD FABULAM ET NARRATIONEM.

CAP. I.

CAP. II.

PROGYMNASMA I.

DE FABULA.

PROGYMNASMA II.

DE NARRATIONE.

PRO-

PROGYMNASMA III.

DE CHRIA.

PROGYMNASMA IV.

DE SENTENTIA.

PROGYMNASMA V.

DE THESI.

PROGYMNASMA. VI.

DE LOCO COMMUNI, DESTRUCTIONE ET CONFIRMATIONE.

PARS II.
RHETORICÆ PRÆCEPTA.

PROGYMNASMA I.
DE RHETORICÆ ELEMENTIS.

PROGYMNASMA. II.
DE PERIODO.

PROGYMNASMA. III.
DE FIGURIS.

PROGYMNASMA IV.

DE AMPLIFICATIONE.

PARS III.

DISSERTATIO DE PANEGYRICO SEU LAUDATIONE. 313



INDEX RERUM.

A.

Ara-

B.

C.

In do-

M.

N.

O.

P.

Proso-

R.

S.

FINIS.

R. P.

NICOLAI CAUSSINI
E SOCIETATE JESU


ANGELUS PACIS.

R. P.

NICOLAI CAUSSINI

E SOCIETATE JESU

ANGELUS PACIS.





ANGELUS PACIS.
AD PRINCIPES CHRISTIANOS.

SI licet vestra, MAXIMI PRINCIPES, interpellare fastigia, stabo pro causa Dei Angelus Pacis, *Concordiæ minister, veritatis interpres, Procurator salutis.* Non ille *sum* terribilis & minax *nuntius*, *qui Davidi* (cœlestibus *prodigiis attonito*) flagellorum metus incussit: Ex illorum numero non sum, qui tot flagitiis immersam Pentapolim funditus evertere: Non pluo sulphure: non vibro flammas; non jaculor fulmina: sed miti quadam amœnitate vernantes olivas prætendo, quas tanta bellorum eluvio nondum extinxit. Ex eorum cœtu & concentu venio, qui nascente Domino Pacem hominibus bonæ voluntatis cecinêre. Nolite spernere Bonorum augurem, Veritatis Propugnatorem, qui vobis coram Deo in Christo loquitur. *Nuntius Pacis.*

TotiusOrbis Christiani negotium est, PRINCIPES OPTIMI, quod apud vos ago: vestra res, quam votis ac scriptis urgeo: Dei possessio est, quam requiro. Et magni quidem momenti, ut quæ sæpè exciverit de altaribus Sacerdotes, de monasteriis sacras virgines, & ex silvis anachoretas, ut de mutis faceret Oratores. Vocata,

ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt omnium molitor Deus, fingit os infantium, dat sapientiam imperitis, cui cedere semper est optimum reluctari difficile. Facit sæpe disertum cupido, militem necessitas. Non licet inter oppressorum gemitus silere, nec feriari per vulnera præliantium.

Non detinebo, vos PRINCIPES, leviculis rationibus: *Non illudam sterilibus figmentis, sed ipsam quam per stagnantes cruore campos, per collucentium urbium flammas, & tot circuitus quæritis, in tranquilla sede demonstrabo gloriam.* Ac primum, *permitte me* de Natura Belli & Pacis, deque Jure Principum Christianorum *in utroq; pauca disserere, unde satis firma, opinor, eruentur argumenta quibus & vestrum decus & populorum sanciri possit.*

Compatio belli.

Prudenter quidem admodum & argute sapientes dixêre. Mundum istum, cujus circumflexu continentur omnia, ingens esse quoddam summi Numinis volumen, cujus Mors & Vita omnium paginarum faciant extrema: media autem perpetuos habent & reciprocantes ab uno ad alterum decursus. Quod Vita & Mors in rerum natura, hoc ipsum præstant Pax & Bellum in Regnorum omnium atque imperiorum statu. Et Vita quidem rivus est à primo fonte & portio quædam divinæ Æternitatis, quæ prius in cœlestem diffusa naturam, mox in terras & maria nostrumq; in orbem exundans animarum corporumq; nexu mirabiles & penè divinos temperat concentus. At ubi solutus est ille quo continetur nodus, statim evolat atroci mortis necessitate, omnia in suo regno rapacius depopulante.

Non

Non dissimili modo Pax, maximum & præcipuum divinæ Indulgentiæ munus, temperiem quandam voluntatum conciliat, è qua functionum omnium acerrimus in corpore civili vigor, mentium alacritas, Provinciarum non iners otium, beata ruris copia, securi aditus viarum, Regnorum opulentia, & bonorum omnium cumulus accedit. At ubi dissipatâ concordiâ bellum intonuit, statim membrorum omnium convulsio & dira vastitas, soluta legum vinculis audacia per ferrum & ignes ad scelera grassante, sacra profanis æquantur, nocentes & innoxios promiscua vis fatorum involvit, fiunt de claris urbibus busta nonnisi miserorum sanguine restinguenda.

Vix occurrit mortalitatem nostram æstimanti hæc ab hominibus geri, revulsos quispiam putet inferos, & furiarum catervas ex tenebris erupisse, quæ specie humana per tot atrocia consternatis hominum mentibus illudant.

Dicam equidem SERENISSIMI PRINCIPES, quod sentio, lites & bella nonnisi per cuniculos in Ecclesiam Dei sunt ingressa, pavendi ad monstrum conscientiâ, reluctante disciplina. Et de lite quidem Paulus exclamat: *Frater cum fratre judicio contendit; & hoc apud infideles. Jam quidem omninò delictum est in vobis, quòd judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis: quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.*

Quale est illud edictum tonantis & fulminantis Apostoli? Quæso vos, quid tandem sentiret ille, qui Christianos ferre non poterat, de *1. ad Cor. 6.*



INDEX RERUM.

A.

Ara-

D.

E.

F.

In do-

Laus

O.

P.

Proso-

R.

S.

FINIS.

R. P.
NICOLAI CAUSSINI
E SOCIETATE JESU
ANGELUS
PACIS.



ANGELUS PACIS.

AD PRINCIPES CHRISTIANOS.

SI licet vestra, MAXIMI PRINCIPES, interpellare fastigia, stabo pro causa Dei Angelus Pacis, *Concordiæ minister, veritatis interpres, Procurator salutis.* Non ille *sum* terribilis & minax *nuntius, qui Davidi* (cœlestibus *prodigiis attonito*) flagellorum metus incussit: Ex illorum numero non sum, qui tot flagitiis immersam Pentapolim funditus evertere: Non pluo sulphure: non vibro flammas; non jaculor fulmina: sed miti quadam amœnitate vernantes olivas prætendo, quas tanta bellorum eluvio nondum extinxit. Ex eorum cœtu & concentu venio, qui nascente Domino Pacem hominibus bonæ voluntatis cecinêre. Nolite spernere Bonorum augurem, Veritatis Propugnatorem, qui vobis coram Deo in Christo loquitur. *Nuntius Pacis.*

Totius Orbis Christiani negotium est, PRINCIPES OPTIMI, quod apud vos ago: vestra res, quam votis ac scriptis urgeo: Dei possessio est, quam requiro. Et magni quidem momenti, ut quæ sæpè exciverit de altaribus Sacerdotes, de monasteriis sacras virgines, & ex silvis anachoretas, ut de mutis faceret Oratores. Vo[c]as

ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt omnium molitor Deus, fingit os infantium, dat sapientiam imperitis, cui cedere semper est optimum reluctari difficile Facit sæpe disertum cupido, militem necessitas. Non licet inter oppressorum gemitus silere, nec feriari per vulnera præliantium.

Non detinebo, vos PRINCIPES, leviculis rationibus: *Non illudam sterilibus figmentis, sed ipsam quam per stagnantes cruore campos, per cellucentium urbium flammas, & tot circuitus quæritis, in tranquilla sede demonstrabo gloriam.* Ac primum, *permitte me* de Natura Belli & Pacis, deque Jure Principum Christianorum *in utroq; pauca differere, unde satis firma, opinor, eruentur argumenta quibus & vestrum decus & populorum sanciri possit.*

Compatio belli.

Prudenter quidem admodum & argute sapientes dixêre. Mundum istum, cujus circumflexu continentur omnia, ingens esse quoddam summi Numinis volumen, cujus Mors & Vita omnium paginarum faciant extrema: media autem perpetuos habent & reciprocantes ab uno ad alterum decursus. Quod Vita & Mors in rerum natura, hoc ipsum præstant Pax & Bellum in Regnorum omnium atque imperiorum statu. Et Vita quidem rivus est à primo fonte & portio quædam divinæ Æternitatis, quæ prius in cœlestem diffusa naturam, mox in terras & maria nostrumq; in orbem exundans animarum corporumq; nexu mirabiles & penè divinos temperat concentus. At ubi solutus est ille quo continetur nodus, statim evolat atroci mortis necessitate, omnia in suo regno rapacius depopulante.

Non

Non dissimili modo Pax, maximum & præcipuum divinæ Indulgentiæ munus, temperiem quandam voluntatum conciliat, è qua functionum omnium acerrimus in corpore civili vigor, mentium alacritas, Provinciarum non iners otium, beata ruris copia, securi aditus viarum, Regnorum opulentia, & bonorum omnium cumulus accedit. At ubi dissipatâ concordiâ bellum intonuit, statim membrorum omnium convulsio & dira vastitas, soluta legum vinculis audacia per ferrum & ignes ad scelera grassante, sacra profanis æquantur, nocentes & innoxios promiscua vis fatorum involvit, fiunt de claris urbibus busta nonnisi miserorum sanguine restinguenda.

Vix occurrit mortalitatem nostram æstimanti hæc ab hominibus geri, revulsos quispiam putet inferos, & furiarum catervas ex tenebris erupuisse, quæ specie humana per tot atrocia consternatis hominum mentibus illudant.

Dicam equidem SERENISSIMI PRINCIPES, quod sentio, lites & bella nonnisi per cuniculos in Ecclesiam Dei sunt ingressa, pavendi ad monstrum conscientiâ, reluctante disciplina. Et de lite quidem Paulus exclamat: *Frater cum fratre judicio contendit; & hoc apud infideles. Jam quidem omninò delictum est in vobis, quòd judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis: quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.*

Qualé est illud edictum tonantis & fulminantis Apostoli? Quæso vos, quid tandem sentiret ille, qui Christianos ferre non poterat, de *1. ad Cor. 6.*

agro fortè aut de domo litigantes, si reviviscens aspiceret infesta fidelium signis signa, collisas gentibus gentes, non unam domum, non urbem, non provinciam, sed præcipitantem Christiani nominis orbem per cædes & stupra, per ruinas & incendia tracturas? Num ipse cohorruisset ad immane spectaculum? Num modò imperanti similis, modò precanti, idem minax, idem lachrymis perfusus rutas in gladios & vulnera repressisset.

a Lib. de Idol. a Sed & Tertullianus in hac re, ut solet, rigidior, dum ait, Dominum ea voce, quâ jussit Petrum exertum gladium in vaginam mittere, omnes pariter milites Christianos discinxisse. Nimis severè istud quidem, si omnem malitiam crimen putat. Hoc est odio nocentis perdere innocentiam, dum res alioqui justas odimus, vel sævientium audaciâ, vel lascivientium petulantiâ corruptas. Quid esset aliud res Christiana, quam ferocium præda & insanientium ludibrium? Si non liceret justis armis illatas ab infidelibus injurias ulcisci? si fas non esset Templa ab incendiis, Matronas & virgines à contumelia, urbes à vastitate, à cæde mortales defendere? Temeraria vox, quæ tot Christianorum Imperatorum laureas tam cœco tamq; præcipiti turbine percutit. Jure itaq; ab Ecclesia extorres Manichæi, & qui eorum vestigia post tot secula pressère Lutherani, dum innocentiam nescio an impudentiùs assererent, an nocentiùs exarmarent.

Laudatissima omni ævo extiterunt pro aris focisque sumpta contra impios arma: sed fidelium contra fideles prælia sæpe damnata, & semper ægrè tolerata. Si vetus libet instrumentum

tum

tum spectare, multæ quidem Judæorum & acres inter se discordiæ, multi tumultus, bella plurima. Sed contra eos fermè omnes, qui à vera religione desciverant, in fœdam Idololatriam cultusque gentium lapsi. Dimicatum est quidem ante secessionem tribuum ab Israëlitis in Benjamitas fratres feroci marte, immensa clade, sed doloris potius furor fuit ob mulierem stupenda libidine vexatam, ruentis in ferrum, quam destinata vis, & justum pro Imperio certamen. Vix potuit induci magnanimus David, ut Absoloni filio, in thronum patris per calcata tot civium cadavera irrumpenti, tam justis armis resisteret, nisi mansueti animi languorem pugnaciter Joabus discussisset, adeò fuit odiosum sanguine & Religione fraternas inter se acies concurrere.

Quod si prima Christianorum Imperatorum numerare placet tempora, inveniemus Constantium movisse in Julianum, sed jam desertorem Christi, & impietatis antesignanum. Inveniemus Theodosium Magnum toto belli fulmine detonuisse in Maximum, Eugenium, Arbogastum. Sed res illi erat cum tyrannis perfidiosissimis, qui larva Religionis immania tegere nitebantur facinora. Vix ullum reperire est innocentiori ævo Principem, qui arma Christiano cruore imbuenda sumpserit nisi ob causas gravissimas. Et quidem præclarissimè Baronius animadvertit, primùm Crucem Cruci oppositam in armis, bellum Constantii adversus Magnentium. Grande (inquit) nefas, nec nisi à tyranno Christianæ Religionis simulatore, & Imperatore hæretico inchoandum.

Non ignoro equidem Augustinum de hac quæstione scripsisse contra Faustum, & Christianorum armorum justitiam ex Evangelio sanxisse, cùm Joannes in tanto *a* vitæ rigore consulentibus de salute militibus minime suaserit baltheum abjicere, sed vivere contentos suis stipendiis, & neminem concuteret. Cùm *b* ipse etiam Apostolus dicat non sine causa Principes gladium portare. At si mentem ejus licet agnoscere, deprehendemus tela omnia torqueri contra insana Manichæorum deliria, qui Christianam gentem ferro abstinere, etiam ad repellendas infidelium armorum atrocissimas injurias voluere. Quasi Dei jussu prædæ tantum foret & cædi destinata. Noluit ergò Principum Christianorum in marte iniquo adversus fratres aut fovere securitatem, aut irritare potentiam. Siquidem eodem loco exclamat: *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ sunt similia, hæc sunt quæ in bellis jure culpantur.*

a *Luc.* 3.
b *Rom.* 13.

c Quos igitur existimamus, ex S. Augustini sententia, bello injusto suosque committere? Primum, qui cœco impetu in ferrum rapiuntur, non tam amore justitiæ, quàm ardore vindictæ. Qui injuriâ aliquâ lacessiti suprà modum atque immaniter desæviunt, qui placari nolunt, volunt irasci; deinde, qui adversus legitimos dominos rebelliones moliuntur, & excusso jugo feruntur in scelera præcipites. Aut qui sola dominandi cupiditate vicinorum tentant & permiscent regna, atqui, ut latiùs imperent, cædibus & flammis iter ad dominatum aperiunt.

c *Aug. contra Faustum lib.* 22.

Cogi-

Cogitate nunc, PRINCIPES OPTIMI, quam proclive sit in istis æstuare iracundiâ, uri libidine vindicandi, titillari regni aut parandi aut augendi cupiditate. Quam promptum sit laxatis semel habenis extra limites ferri, fingere justitiam, prætexere necessitatem, & quæ adoraveritis jura calcare, invenietis profectò facilius esse arma ponere quàm temperare.

Sed ne multo vos sermone detineam, Sanctus Doctor, tria requirit ad bellum rite conficiendum. Authoritatem Principis, Causam justam, Intentionem rectàm, quibus alii addidêre Theologi legitimas rationes ad finem obtinendum. Non est igitur privatorum hominum movere arma, quibus jus suum licet judicio prosequi. Hoc penes summam potestatem Deus esse voluit, ut ratum esset, quod non potest esse non violentum. Ad terrarum Dominos attinet dicere, quod ait Seneca. a *Ego ex tot mortalibus electus sum, qui in terris Dei vice fungerer. Ego vitæ necisque gentibus arbiter. Qualem quisque sortem statumque habeat, in manu mea positum est. Hæc tot millia gladiorum, quæ pax mea comprimit, ad nutum meum stringuntur. Quæ ruant urbes, quæ oriantur, mea jurisdictio est.*

a *Nerô apud Sen. lib. de Clem.*

Hæc quidem posse, magna res est, sed nolle, cum possis, nisi necessitas poscat, longè divinius est. Pauca sibi licere velit, optandum, cui licent omnia. Non extenditur jus gladii, cum ad unum devolvitur, sed restringitur. Una exeritur manus, ut omnes vinciantur, defertur res ad sapientiam paucorum, ne cunctorum temeritas promiscua cæde desæviat. *Laudanda est*

parſimoniæ etiam viliſſimi ſanguinis. Nemo injuſtè poſſidet mortales, quam qui pro etiam juſte. Tarde movenda ſunt illa fulmi quæ perculſi colant. Caveant igitur Rege credita ſibi à Domino facultate glorientur tiùs ad pompam, quam utantur ad bono utilitatem. Excludat ferociam delinquend mor, & impotentiam ſummam æſtimet jac nocendi potentiam.

Cauſa belli imprimis accurato examine p banda eſt, ne ſurrepat affectio, ne domin iniquitas, ne vis, ne furor per juſtitiæ ſpecien ludat. Miſeret me, pudetve ſæpè reputant quam frivola fuerit apud multos ingenti bellorum origo. Bellum Trojanum comm buſtum Aſiæ & Europæ in nobili ſcorto exa Hoc mille navibus repetebatur, hujus extin pudori tot heroum vitæ parentabant. Tot dicæ hoſtium libidini parebant, ut reddere impudica. Arabiam invadit Alexander, ut p ceptoris admonitionem, qui puero profuſ nem thuris objecerat, jam vir factus thurife regionis dominatu haud cunctante relucet. gyptii ob felem occiſam, cœco truci marte R manos adorti, multa hominum millia fœdè m ctaverunt.

Ad Oceanum ingenti armorum ſtrepitu immenſo rerum omnium apparatu magnis i neribus Caligula contendit, ut conchas laſ vientis naturæ ludo pictas colligat. Taren nam cladem Romani nautico perculſi convi moliuntur. Alexandrini contra Galienum bellant, ob inſulſam heri & ſervi de calceoru elegantia contentionem. Et ne multa comm

more

morem, Guilielmus ille Anglorum Domitor, omnium præter quam sui potens dictum facetum Maximi Principis enumeris cladibus ultus est. Erat ille præpingui corpore & aqualiculo supra modum tumente, quam ob rem cum de ejus morbo inaudisset Philippus Rex Galliæ, Sinamus, inquit, puerperam decumbere, partui, ut ex mole ventris apparet, jam vicinam Ille adhæc furore amens, surrecturum se, dixit soluto puerperio, innumeris facibus stipatum, quibus Galliam incenderet. Nec defuit dicto fides, nam statim, ac convaluit, vago exercitu Franciam ingressus, lugubri feritate ulciscendi, cædibus & incendiis operatus, ipse tandem suo ardore consumptus est. Num ludere putemus sanguine humano, qui leves ob causas non levia committunt prælia? Num miseros æstimemus populos, quibus furentium ludibria tam dira vastitate expianda.

De causa belli nemo sibi uni credere debet aut alteri; sed exquisita primariorum hominum prudentia disquirere, qui tanto propiores sint vero, quanto remotiores ab affectis Ad causam justam recta intentio accedat, necesse est, quæ omnia exitu placido, fine optimo metitur. Absit illa cogitatio à Principe Christiano, ut arma capiat ob luxuriantis animi leves affectus, ut currat ad cædes, ad incendia, ad vastitatem ut perdat, ut extinguat, ut omnia ad internecionem deleat Lapitharum h. e. & Centaurarum, nihil aliud bellando quam bellum quærere. Sapientissimi Reges per tumultus armorum eunt ad justitiam, ad æquitatem, ad concordiam, atq; ipsi quidem Paci litant armati. De hoste cogi-

tant; quasi de ægro acrioribus remediis p
nando. Utinam diæta curari voluisset, ut
fomentis obliniri, nunc mitiori brachio t
igerentur omnia. Sed quando contra fas
Gentium stetit pervicacius, & toties ob
conditiones rerum componendarum con
psit vinciendus est, secandus, urendus, no
exterminetur, sed ut convalescat. Attritu
non insulto; audiri postulat, audio; colla
mittit ignosco. In Cannensi clade audita
Hannibalis, parce ferro miles. Syracusarun
dentium flammas Marcellus lachrymis co
pivit extinguere; ad prostrata Judæorum c
vera Titus cœlum intuens ingemuit. Quid t
re oportet Christianum Regem hoste occis
penè supplice? An superbire? an debacchar
ad extrema desævire? At ne belluæ quiden
nerosiores hoc faciunt. Regias mentes no
cent vastæ & inexorabiles iræ, multa sunt
manæ imbecillitati condonanda, ignora
multa, quædam etiam affectui, pœnite
omnia. Multos servare oportet etiam inv
nec aliud audiendi omnes, qui volunt p
Quibusdam error imposuit, plerisq; opinio
cum fecit. Alios maligna consilia pessumde
Sunt etiam quibus sola fortuna pro culp
Multos absolvet, qui se à Deo cupiet absolv

Tandem addo, rationes quæ adhibentur
nem optimum consequendum, legitima
oportere, ne pervertantur etiam recta. No
bonum, quod non sit bene. Non est virtus,
non habet modum. Prava intentio sanctiss
quasq; gerendi vias vi quadam pestifera
inficere, artes quoque subdolæ intentionen

c

laudabilem scopum præfixere, attingendum, æque per illicita ac licita existimant. Hoc innixi fundamento eò amentiæ plerique devenere, ut censerent sanitatem à dæmonibus ipsis per voces magicas innoxiè requiri, & hanc esse salutem ex inimicis nostris quam sacra prædicant eloquia. Sed contra Apostolus clara voce intonat; *a* Non esse facienda mala, ut veniant bona. *a Rom. 3. 8.* Nemo per furta misericors, nemo innocens quæsivit flagitio valetudinem. Bellare licet, occidere licet ex authoritate Principis, & causâ justa: contra justitiam facere nunquam licet. Flectere oportet Superos, non Acheronta movere, non temerare sacra, non Ecclesiæ jura violare, non Religionem evertere, non stuprare pudicitiam, non facinorosas artes tentare, non sicâ & veneno in Principum capita grassari, non disciplinam militarem militando destruere, atque omnia solute intemperanter ex vindicandi libidine facere. Definit esse bellum justum, ubi omnia fiunt injustè, & si benè cœpta in malum vergant protinus sunt abrumpenda.

Devenimus sensim, PRINCIPES MAXIMI, in rem propositam, de qua vestrum est judicare, & ex sensibus integerrimis Christiano nomini ac salute consulere. Vestra quidem authoritas legitima, destinatio quoque animi & intentio quæ potest esse in optimis Principibus nisi recta? Sed causa est involuta, rationes verò, quæ finem appetere videntur, violenta. Geritur à vobis bellum atrox, urbium obsidionibus exercitum, cladibus frequens, vastitate luctuosum. In quo laborat Ecclesia, suspirant oppressorum vota, &

toties convulsus mundus ingemiscit. Non usato modo, non humano more progreditur, vi quadam maligna in omnes Christiani or venas permanente. Excutite, si placet, cau & vobiscum perpendite tanti tumultus occasi nem.

Si quando res naturales videmus intra suos mites decurrere, & statas vices obire, minime m ramur. At ubi valentiori quodam impetu cern mus incitari, aut perverti statutum naturæ ord nem, suspicamur arcanam inesse vim, quæ fert atque erumpit ex abdito, unde tam varii mot oriantur. Quoties ordinariè cieri ventos asp cimus, aut halitus putamus, aut aëri naturalem vim inesse, æstimamus movendi se, ne inerti at que inagitabili globo torpescat. At quoties ventis acerrimè depræliantibus exurgunt fœdissimæ tempestates, quæ vastas arbores radicitus evellunt, quæ benè fundatas domos in plana submittunt, quæ navigia devorant, & statum mundi percellunt, aëris hæc adscribimus potestatibus per mundi plagas dissipatis. Non impari quidem ratione, cùm bella instant usitata inter homines forma, hæc hominum tribuimus ambitiosis conatibus, motibus iracundis, & ad objectæ contumeliæ imaginem facilè excandescentibus. Quod si modum omnem excedant, suspicamur esse occultam malorum originem, quæ sensus nostros atque intelligentiam superet.

Hoc ipsum de tam atroci belli rem bene æstimantibus vacat cogitare. Nec enim civili animo geritur, nec habet militiæ decora, quæ magnos animos comitari solent, sed virulentam malignitatem, quæ ambas partes exedit, & lenta

qua-

Squallent rura, mœrent urbes, prodigitur heroum sanguis, destinatur laniena lectissimus flos Nobilitatis, spoliantur bonis penè omnibus privati; conquiruntur undique acerbis exactoribus pecuniæ. quæ tam crudeli ludo sufficiant. Sed nulla vis ærarii par est aviditati omnia depopulanti. Paucorum divitiæ cunctorum inopiam faciunt; & de provinciarum lachrymis funesta improborum gaudia saginantur. Quis tot ac tantorum artifex malorum? unde fons, unde origo tot funerum? *Rex* (ajunt) *Ludovicus belli author.* Scilicet tam pius Princeps, tam castus, & toto Dei timore perfusus, tantos fluctus moveat, tantas excitet tempestates? Tendebat quotidie, dum viveret, puras ad cœlum manus, in sacris mysteriis frequens, conscientiâ tam castigata, ut ne minimam quidem labem ferret, quam non statim sacramentis elueret. Pugnavit necessitate, virtute vicit, Fortis pectore, Marte clarus, mente pacificus. Quis igitur æstimet cruenta de perdendo orbe Christiano consilia in illo tam augusto pectoris sacrario potuisse concipi? Quis resedisse illic odia, quis simultates putet.

At fortè Imperator dissidiis gaudet, & rebus turbatis pascitur? Absit ut quis hoc credat. Est enim Princeps moribus optimis, & ad omnem æquitatem compositus, animi vigore excellens, excultus sapientia, in quo cælata vivit Paterni spiritus ad omnem virtutem expressa effigies. Quid habere jucundius potest, quam ut Germaniam suam, tam fero bellorum tumultu quassatã, placidissima pacificatoris manu componat?

Turbas

Turbat igitur Rex Hispanus. Nemini probari poterit, qui tanti Regis sensum at animum penitus noverit. Est enim si quis a mente Christianâ ingenio placido, ad amo & concordiam magis, quam ad rixas dissen nesque propensô. Nihil in eo turbidum & rox, nihil malignum, frui sua magnitudine pit non ferocire.

Unde igitur tanta belli atrocitas, si nul sunt *animis cœlestibus iræ?* Quis non videt, n esse istud humano consilio factum, sed mal Genios toto impetu incubuisse, ut res nostr florentes acciderent. accisas everterent, evers calcarent. Nimis scilicet potens erat res Chr stiana, domita Rupella prostrata hæreticorun factione. Fuit illi ferrum, hostium cruore re pens, in viscera convertendum. Turbârunt ill in Italia ad Mantuam: turbârunt in Germania, commiserunt primas Christiani nomi is coronas livore maligno, bello implacabili cladibus immensis Ecclesiâ gemente, lætis infidelibus, ipsis plaudentibus inferis.

Intervenit sæpe magnis rerum successibus mens mala quæ principum consilia corrumpit, & à recto cursu gloriæ divertit. Triumphalibus ovantem laureis Regem Christianissimum sua vix limina salutabant, cum per factiosos excitati turbines in Italiam vocant, penetrandæ Alpes hyeme gelidâ; per horrentes armis & tectos nivibus scopulos carpendum est iter, conferendæ manus, committenda per varias Martis aleas prælia, quæ miro robore & pari felicitate jam erant composita, cum ecce instat flagellum belli exitialis, bacchatur Aquilo in clade Germaniæ,

volu-

ferali prodigio attonitis. Sacrilegio polluuntur aræ, sacræ virgines stupro; strident catenæ sacerdotum, calcantur sancta, & *consummatur abominatio desolationis*, ipso, qui vocaverat, Rege honorum aut nescio aut invito. *Mat.* 23.

Deinde putet aliquis hoc à Christiana mente cogitatum? putet ab eo, qui sensum aliquem habuerit Religionis, esse perfectum? Non est credibile: tantum monstrum concipi non potuit nisi parturientibus inferis, exhalante terram fuliginem abysso, & dæmonibus lymphatas mentes in diversa rapientibus. Non sunt omnia ad homines referenda. Non sunt administri Principum ubique incusandi, quasi omni humanitate exuta feritatem induerint. Quidam sunt vagi & insinceri spiritus ad vindictam destinati, qui non desinunt perditi perdere. Quæ ratio vos, PRINCIPES MAXIMI, tanto magis incitare debet ad Pacis fœdera componenda; quod per vestras manus, & sub pedibus vestris Satanam conteri arcano consilio præpotens Deus destinârit.

Cavendum igitur omnino est, ne dæmoni ad vastitatem incubanti, subdatur materia de ipsis hominum affectibus & vitiis. Ignem facile concipit regnorum & gentium zelotypia, quæ ex animali quadam afflatur sapientia, nec prudentiam Sanctorum sapit. Ajunt qui parti student alteri. Hispanos nimis invidiosam facere suam potentiam, exosam æqualibus, inferioribus terribilem, omnibus, nisi caveatur, exitiosam. Tanta, ut ajunt, libido dominandi, tam intentæ & vigiles ambitionis curæ, tam rapax terrarum inge-

ingenium, tanta regnorum & titulorum c
ries æmulos stimulant, vicinos terrent, pu
etiam remotos. Unius dignitatem puta
mnium periculum. Quot imperia, tot i
tata numerant regnis servitia. Timent qui
parat tellus, quicquid monstrorum alit po
Avida & impotens sui dominatio ubi se per
fortunæ, naturam dediscit, moderationem
scit. Adhæc Gentis indoles, ut dictitant, ac
sicca, fastu tumens, patiens laboris & inedi
tiens gloriæ, miratrix sui, virtutis contemp
alienæ. Hæc dico non ex mente nostra,
nulla hic addicta nationi, omnes in Christo c
plectitur, sed vulgata à multis commemoro,
si procul arceantur, multorum evellent fib
occasionesque dissidiorum.

Galli contrà ut scribunt, qui nôrunt, etsi c
viciorum inferendorum avidi, tolerandor
nescii contemptus impatientissimi? sciunt se
ea gente esse de qua dictum est:

Animoq; supersunt jam propè post animam.

Jactant se armorum claritudine orbem impl
visse, antequam è diuturna Vandalorum & S
racenorum servitute caput attolleret Gens H
spana: Orientis tenuêre & Occidentis imperi
Constantinopolim expugnârunt, Hierosoly
mam Christo, Romam septies Pontifici ab ho-
stibus ereptam, reddiderunt. Sibi primum lo-
cuta prædicant Evangelia, sibi primogeniam fi-
liorum Dei adoptionem latam Regnis terrarum
addiderunt imperium literarum, toto fere orbe
in Academiam Parisiensem confluente, nihil pu-
tant habere se contemnendum. Miratores ex-
petunt potiùs, quam contemptores ferunt. Hinc
fit,

coalescunt incendia. Utinam quæ per spiritum diffusa est in nobis charitas, tot contentionum semina suffocaret, utinam tot jurgiorum occasiones abscinderet. Minus nobis esset laborandum, nec tam anxiè quærendum, quibus remediis, tam pestilenti malo debeamus occurrere.

Augent hoc sæpe pleriq; Regum administri, dum familiari, sed dirâ summis Imperiis gloria dominorum cupiunt ostentare potentiam, totas nocendi vires explicant, abditam premunt beneficentiam, dum ambiunt, dum timent, dum cavent, ipsa sæpè sedulitate & cautione non timenda provocant, faciunt non toleranda.

Hic vos appello Politicæ sapientiæ Antistites, & arcanorum consiliorum Mystæ! Libentius vobiscum, quam cum fortuna vestra loquor. Cogitate quantum vobis dederit, quantum à vobis exigat Deus. Sedetis quasi Dii ex hominibus humani generibus arbitri, quam quisque sortem habeat, ex nutu vestro pendet, quæ mortalium cuique bona felicitas velit, ore vestro pronunciatis, quas parari classes, quæ arma moveri, quas urbes exscindi, quas Gentes obrui oporteat, vestris sententiis agitur, vos de fortunis & sanguine hominum decernitis, illi de vestra existimatione decernunt. De vestro capite inspector omnium Deus ad tremendum & inevitabile forum judicat. Multa quisque ex suo cernit sensu multa ex suo loquitur affectu Non est mihi credibile, quod ajunt, tantos viros tam magno ingenio præditos, tam alta excultos prudentia, & hujus fragilitatis rerum humana-

rum

rum conscios, putare se huic affixos fastig
suas res agant, ut suis commodis omnia m
tur, ut amplitudini suæ serviant, ut ex
to amore & odio respublicas gerant, ut
næ suæ populorum sanguine litent? Idcirc
la concupiscere, & res amare turbulent
quibus & clarius sibi imperium, & nume
res pecunias & hærentem altius, ipsa nec
te ministerii, authoritatem sperant. Al
tam sordidæ, tam humiles curæ in tam
sas mentes ascendant.

Crediderim ego potius acri vos æmula
vestrorum Principum anhelare gloriam,
semper sitientissimi fuistis, injurias pers
Majestatem asserere, imperia dilatare. S
Deum immortalem, & per tot dilecta r
rum pignora, vos obsecro, videte ac dilig
perspicite, ne vehementissimus gloriæ a
tus aversos agat ab ipsa gloria. Vos ill
turbido quæritis, sed omnes jam mortal
petunt in sereno. Cogitate ubinam majo
lestium virtutum claritudo, an cùm toni
rum fragoribus strepente mundo ignes un
jaciuntur & fulmina; An cum puro & def
die ridet amœna lux, & ex humanis a
omnem mœstitiam discutit? Timendam
hactenus fecistis dominorum potentiam,
dite, si placet, suavem, facite, quo sola in
est, amabilem. Non est hæc Principum am
do semper armorum fremere terroribus, &
paratu bellorum, ore igneo tormentoru
neorum pronuntiare sæva, hos catenis, illo
diis destinare, circumferre ignes & tela, ire
fumantes urbes, per calcata miserorum cor
or

cuncta mente placida, virtute benefica, res lapſas erigere, ſolari mœſtas, diſſipatas colligere, & divulſas componere. Hoc cœleſti paſſu dum laboranti mundo ſubveniunt, tot Reges abiêre ad ſolidum & inconcuſſum decus. Quid vetat ſequi? Quid pudet æmulari? Unus eſt ſæpe timendus ſcopulus, ad quem politicorum aliquot hominum, qui longe à pietate veſtra diſſident, curæ & cogitationes adhæreſcunt. Putant, ſi ex Dei lege & piorum hominum ſenſibus rempublicam gerant, fore humilem & demiſſam prædæ natam & direptioni, appetunt alias gubernandi artes, quam quas Deus præſcripſit, quaſi aut non ſatis viderit, aut minus ſuis providerit. Excogitant novos agendi modos, verſipelles & vafros, quibus augeant ſua, alienis inſidientur, permiſceant, ſi poſſint omnia. Putant è re eſſe Principum ſe ſolos intueri, ſe ſolos circumſpicere, ad ſe referre omnia, ire per attritos cives, ſi res ita occurrat, ad ampliſſima & regia commoda. Nil diſtare verum à falſo niſi ex utilitate noſtra, ad quam componendus eſt omnium negotiorum ſtatus, licitum eſſe quicquid prodeſt. Importunam excelſis conſiliis humilem conſcientiam, Regionem ſcrupuloſe tractandam à ſubditis, à Regibus commode, virtutem ſolidam ſæpe officere, umbram & ſpeciem prodeſſe; Probitatem laudare & algere. Nihil eſſe apud Principes injuſtum, quod regno ſit magnificum.

Non eſt, ut cum Apoſtolo loquar, non eſt hæc ſapientia deſurſum, ſed terrena, animalis, dia-

diabolica, quæ fascinatis mentibus imponit, & in miserandum exitium Regna devolvit. Longè alia est mens vestra (Viri sapientissimi) longè alius animus. Etenim si Saracenum vobis, non Christianum incumberet imperium moderari, occurreret tamen ex ipsis Ethnicorum legislatorum libris & institutis, perniciosam esse regni clavum tenentibus astutiam. Hanc humilem semper & exosam, rarò, nec diu unquam fructuosam. Unde & rerum politicarum scientissimus Thucidides dicebat, rempublicam melius geri ac feliciùs à moderatis & mediocri ingenio viris, quam ab acutis supra modum industriis. Sed tamen si Dei & legis extorres ageretis in mundo, condonandum esset ex humano sensu & calliditate, ut creditur, non inutili, gerentibus multa, spectantibus omnia. Nunc autem cum planè perspectum sit vobis, imperia iis maximè, rebus, quibus cœperunt, excoli, quis non videat Christiana regna in fide, justitia & lenitate fundata, per impietatem, & injustitiam, & crudelitatem funditus everti? Quis non intelligat homines à cœlesti sapientia devios in caliginem & scelus ruere præcipites?

Consulite, si placet, historias, & videte, quales sint Tiberianorum & Herodianorum exitus, Invenietis subdolas mentes, vitam ancipitem, spes lubricas, certos metus, incerta consilia, mortes calamitosas, longa supplicia, posteritatem, aut nullum, aut brevem. At ex adverso si vacat Christianos Principes intueri, qui regna mente sincera leni manu, moderatâ prudentiâ, probitate invictâ, per tot casus humanarum rerum tenuère, intueri licebit heroes suis gratos,

hosti-

[illegible] cula propagasse. Quin igitur abjectis tam tetri tamque funesti belli consiliis, & elisa per modestiam ambitione, repressa per charitatem cupiditate, imus ad fundatorem salutis & conciliatorem Pacis Deum, à quo deploratis rebus remedia sunt nobis expectanda?

Quid est tandem, quod omnium vota, quod incensa desideria, quod alta gementis Ecclesiæ suspiria tamdiu frustratur? An honor? an Res? Certè si non honor spectatur, qui non minimam belli occasionem præstitit: Contemptus opinio jam sublata esse debet, magis, utrimque viribus regnis inter se collisis. Quid utriusque copiis affluentius? quid potentiâ mirabilius? quid robustius virtute? quid incitatius animo? Lugenda potius fuit in causa tam misera, quam desideranda fortitudo, digna quam laudaret hostis, quam experiretur Saracenus. Non habet HISPANUS quod GALLUM, Gallus contemnat Hispanum, habet tamen uterque quod æquiori conditione, meliori fato suas ostendi vires concupiscat.

Si de re quæstio est, operosum sanè & impeditum negotium, tanta enim est, ut ajebat antiquus ille Argesilaus, rerum & fortunarum in vita humana confusio, ut si de jure regnorum, civitatum & familiarum certandum sit, æternas lites, æterna pro vindiciis bella esse oporteat: Atque si ex rigore justitiæ transigantur omnia, nullum tandem futurum Regem, nullum divitem. Si quis igitur habere velit, quicquid ingenii sagacitatis subodorari poterit, quicquid opinio

nio finxerit, quicquid libido concupierit, excutiat oportet à Nembroto, quid primus liberis cervicibus jugum imposuit, immensam & per tot rerum temporumque ambages perplexam regnorum molem, avos & atavos effodiat ex tot tumulorum situ, fatiget cupidorum tenacem memoriam, prudentiam peritorum. Quid tandem inveniet, nisi fomitem discordiæ novique tumultus materiam? Quis arbiter, quis judex tantas lites componet, quis de causis tam involutis decernet?

Noluit Dominus dividere inter fratres hæreditatem, qui mensuras cœlo, mari terminos, elementis omnibus modum imposuit, agrum inter germanos partiri recusavit, contentiosam & implacabilem hominum ratus avaritiam. Neque igitur si de cœlo descendat Christus, de re & fortunis vestris judicare velit, neque si velit omnia ex sensu & voluntate vestra in tanta sua æquitate definiat.

Quid restat igitur, nisi ut partibus, licet haud pari robore stantibus, & quidem avidissime in res suas intentis, infami & calamitoso bello secula conterantur omnia? Enimvero præclarum est tantos Reges, tam pios, tam Augustos, tam copiosos terrarum marisque dominos, ob unam urbem, ob unum castrum forte jam bellorum fulminibus pene dirutum, de solo pulvere exitialibus armis, profuturis nulli, nocituris omnibus, decertare.

Intelligo, sapientissimi Regum consiliarii, quid responsuri sitis, vestram rem agi, vestrum decus in eo cardine verti, ne quid in eo fœdere, quod totus orbis expectat, dominorum vestrorum

tum res detrimenti patiatur. At ego prudentiæ vestræ & æquitati discutiendum jam istud relinquo. An, ut constet ministro levis quædam & ex sua opinione fama, universo orbi Christiano de fortunis, de vita, de sanguine, de salute & omnium rerum interitu periclitandum est? Quid aliud optare debent mentes vestræ tam excelsæ tamque generosæ, quam ut ex Regum regnorumque commodo componantur omnia? At istud, si placet, excutite, num ex Principis fama & status utilitate longè sit melius, aliquid ex ea tenacitate terrarum & indeclinabili mentis rigore remittere, quàm direptionibus & incendiis omnia devovere? Longè pulchriùs forte putatis vastari regna quàm perdi; sed quid est aliud vastitas, quam dira perditio? Miserum est illud solatium, perdere, ne perdas, & feliciora urbium incendia ducere, quam rapinas? Quasi rem magnam æstimes ne moriaris mori. Non perditur corpus, quod unius unguis jacturâ servatur. Nihil maximo & florentissimo regno deperit, si quid oppidulum, si quæ arx traditur, ut cætera omnia tranquilla pace, & leni otio perfruantur. Nihil inde ministrorum famæ decedit, si fortunati pacificatores orbis potius quàm miseri litigatores habeantur. Quam multos nimis circumspectos & tenaces populi infelices omnibus diris devoverunt, vivos mortuosque conviciis prosciderunt, quod ardentis mundi funeribus per litigiosas artes illuserant, & omnia perdi potius, quam modicæ rei detrimento fessis extrema calamitate rebus subvenire voluerant.

At si quis vestrûm ingemiscentis totius orbis

Christiani querelas placidis auribus audierit, si salutarem porrexerit manum, si pauca leviori brachio remiserit, ut servet omnia, Num is erit omni laude cumulatissimus? Num dignus, quem præsentes colant, cujus memoriam venerentur posteri, quem populi servatorem patriæ, parentem beneficum, & salutare mundi laborantis sidus omnes circumspiciant?

Vobis, PRINCIPES MAXIMI, hoc onus incumbit, agere, jubere, perficere, & administris uti tanquam publicæ felicitatis instrumentis. Certè si vacat vobis audire, quod sine negligentiæ nota recusare non potestis, ostendam idipsum, quod suadeo, Dei vocem esse, Dei mandatum & legem, vestram salutem, vestram rem in eo verti, atque in id cœli justa, terrarum vota mirum in modum conspirare. Ac primum videte, ne nimis fortasse non tam cum hominibus, quam cum Deo bellare videamini, qui pacificatori Christo tamdiu resistitis?

Eph. 2. † Coloss. † *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum in ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt.* † Pacem, ingressurus mundum attulit; Pacem, digressurus, suo cruore sancivit. Corpus suum dire & immaniter lacerari in cruce permisit, ossa, quæ per tot commissuras, & tam arcanos nexus, Ecclesiam repræsentant, noluit attingi, nempè qui suos Electos indissolubili concordiæ nodo sociari vehementissime cupiebat. Et in veteri quidem Testamento non ingrediebatur summus Pontifex in Sancta Sanctorum, nisi malis

lis granatis ad ponderis fimbrias appensis, quæ mirabili granorum nexu piorum significant arctissimam inter se societatem.

Christus, jam morte triumphatâ, discipulos suos nonnisi per blandum, & amabile Pacis nomen salutabat; hoc Apostoli suis epistolis præfigunt, hoc nostri Pontifices ad aras & sacrosancta mysteria pronunciant, hoc justi lætantur: hoc implorant lapsi, hoc triumphant Angeli; a *Est enim*, ut ait Augustinus: *Pax sereni as mentis, tranquillitas animi amoris vinculum, consortium charitatis; hæc est, quæ simultates tollit, bella comprimit, superbos calcat, amat humiles, discordes sedat, cunctis est placita, cunctis benigna, nescit extolli, nescit inflari, nihil quærit aliud, nihil deputat suum, docet amare, quod odisse non novit.* b *Ubi non pax*, inquit Nazianzenus, *non est mundus.* Tribus enim stat, ut ait Simeon Gamalielis, Veritate, Justitia & Pace. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, clamat Veritas. Ecce adoptio & nomen filiorum Dei, cujus avidissimi tot Reges & Imperatores fuêre, promittitur non devictis Gentibus, non direptis & incensis urbibus, non orbe calcato, sed pacem colentibus, pacem per fœdera componentibus.

a *De verb. Dom. l. 3.*

b *Orat. 2.*

Num subit aliquando vereri, PRINCIPES OPTIMI, cum teneritis ad aras manus cum ad tremenda statis mysteria, ne, si bellorum finem nullum faciatis, Pacis Angeli amare flentes à vobis oculos avertant, ne de sacrario Christi vox erumpat, & quoties pacem & veniam cum Ecclesia postulatis, toties dicat: Quid tibi & Paci? Tu caput meum oscularis, & calcas mem-

bra; Tu per preces mihi blandiris, per gladios sævis. Vox tua vox Jacob, sed manus, manus Esau. Dum mihi faces accendis, tuis facibus ardent urbes, dum thus adoles, fumant tuis incendiis clarissimæ civitates, dum vota concipis, stringuntur gladii, dum supplicem profiteris, agis bellatorem. Tepent arma non cruore Turcarum, sed fratrum. Occiduntur tuo jussu tot miseri mortales, per te funditur eorum sanguis, pro quibus sanguinem fudi. Dum me compellas, tot viduæ, tot pupilli appellant de strage cadaverum. Maritorum & patrum nomina jam non responsura. Dum mihi altaria hic erigis, alibi demoliris, non placas, sed peccas, dum hæc vel te jubente fiunt, vel tolerante Flecte istos animos, spiritus doma, & si vis tibi dimitti, remitte.

Multa profectò, PRINCIPES, errori, multa commoto per speciem injuriæ animo sunt initio condonanda. Fuerint aliqua bella justa, fuerint necessaria, dum serpunt, dum trahuntur, quod fuerant, esse desinunt, amittunt ipse diuturnitate innocentiam & dum crescunt furore, causa minuuntur. Timendum est, ne istius quod geritis, tam diuturnos tempore & tanta malignitate, clementissimus Dominus offendatur. Non ignoratis quanta severitate Christus omnia de regno suo scandala voluerit amputari, ut qui eorum authores jusserit molâ asinariâ collo appensa in flumen mergi. Nolim equidem facta Principum aut durius interpretari, aut celerius damnare. Sed tamen cavendum est ne si tot calamitates & funera serpant ipsa odii contagione logiùs, piorum omnia offendatur animus,

& ne

& ne impiorum dicaces linguæ in Religionem nostram exacuantur. Stupebant olim Gentes charitatem Christianorum. Vide, ut se diligant. Vide, ut pro se invicem mori sint parati. Capiebantur admiratione virtutis, qui nondum noverant fidem: Nihil humile, nihil profanum ab ea mente expectabant, quæ se fraterno amori devovisset. At nunc si spectent Ethnici fratribus adversa fratrum signa, quid aliud dicunt, nisi, vide, ut se trucidant, vide, ut laniant, vide, ut mutuis sese odiis discerpunt: Aut ille sine Christo, aut Christus sine pace. Durum dictu, sed verum: Multum res Dei patitur in istis dissidiis detrimenti, multa & horrenda luget Ecclesia, aut ipsa, quam profitemur, Religio nostros errores accusat, aut ipsi accusamus Religionem. Per nos insultant fidelibus infideles, sacris profani, Christo Judæi, Ecclesiæ Barbari. Si vile nostrum nobis est decus, cur Dei prodimus honorem? cur hæreditatem dilapidamus?

Deinde quis est tam excors, ut non videat dissensionem Christianorum semper extitisse infidelem prædandi occasionem? Dum hac atrocitate cognatæ inter se nostrorum acies confligerent, nobis Rhodum, nobis Constantinopolim, duo nobis Imperia Turcæ eripuêre. Num putamus miserantis Dei indulgentiam quodam miraculo fecisse, ut tam potentem, tam acerbum hostem, bellum Persicum à nostris cladibus avocaret? Sed hoc magnopere timendum, ne, si tot irarum turbines pergant insanire, ad laceras miserorum regnorum reliquias aperto per nos aditu violentus & ferox advolet. Verendum, ne providentia Numinis, toties nostris injuriis

lacessita, jam per fraterna dissidia concisos frementi prædam leoni objiciat. Non aliis de caussis, non aliis facinoribus, maxima sæpè conciderunt imperia, & nocentes dominos aliena dominatio pressit, allisa posteritas destituit, num postea infe icium Regum manes æterni in ima nocte circumstarent gemitus, per quos contigisset Christi regnum in Saracenorum manus potestatemque desolvi?

Addi e jam, PRINCIPES, vestrorum subditorum graves ærumnas & laboriosam servitutem. Cogit vos necessitas membra devorare vestra, ut quæratis aliena. Tot populi à præpotenti Deo vestræ pietati & curæ commissi, ut per pacem & concordiam; per cultum Numinis legesq; sanctissimas in felicitatem coagmententur, aut hostium furori patent infelices victimæ, aut per implacabilem exactorum avaritiam ad imas usq; medullas depasti sub gravissimis oneribus suspirant. Quibus pepercit gladius, hos per lentas mortes egestas depopulatur, fames enecat, obruit calamitas. Vivunt cœli solique exsorres, non illis patria, non domus, non quies, non cibus. Rem olim optissimam timent atque oderunt fœcunditatem, ne cum bonorum non possunt, filios miseriarum habeant hæredes: Vitam quam per tot discrimina servavêre, incipiunt detestari, vobis inutilem, sibi calamitosam. Spoliari semel omnibus cupiunt, ne quotidiè spolientur. Sed patiuntur interim res diversissimas, amissionem omnium, & capitationem singulorum. Deveniunt in sævum necessitatis imperium, ubi nec vivere honestis licet. nec quietis mori, fiunt de hominibus spectra sibi ipsis formidan-

midanda. Vindicant se interim non semper inanibus diris, & per tot lucis tædia lux omnis decurrit. Dum census illis deperit, perit erga vos amor, qui vestras olim coronas suis manibus texuit & ornavit.

Cogitate, PRINCIPES MAXIMI, supremam post Dei honorem & cultum legem extare vobis, populi salutem. *Non mihi*, dixit olim fortissimus Imperator, *sed exercitui sitio.* Non tam vobis ipsi nati estis, quam subditis. Illorum curæ, si sapitis, vos excruciant, onera fatigant, premunt miseriæ, querelæ exanimant. Quid prodest servari desolatis, & ab hoste per direptiones defendi. Miserrimus est Pastor, à quo plura tutelares pecoris Dii exigunt, quam vorare possint lupi.

Jam verò, quod infelicissimum est, exhausto censu, jacente animo, omnes virtutes jacent, silent leges inter arma, blasphemi loquuntur, gladiatores impunè debacchantur, latrones spoliant, insidiantur homicidæ, effrænata libido grassatur. Convulsa profanis ignibus flagrant templa, disjiciuntur aræ, corruunt sepulchra, gementibus ipsis mortuorum manibus, calcatur justitia, luget Religio, animis mœrore oppressis, languet pietas, non solum omnia pervertuntur, sed perversa negliguntur? quasi sic oporteat, sic expediat fieri, sic jubeat criminum Mater necessitas.

Quod si res etiam vestras spectetis, obsecro, PRINCIPES. Quid potest esse vobis inter tot bellorum funera jucundum? Movendæ sunt vobis terræ, inquietanda maria, eundem per tot pericula ad majus periculum. Quærenda mors cuiq;

obvia per duriſſimos labores, non erraturis, ſi pax peteretur. Multa domi infida, foris infeſta, ægrè magni parantur exercitus, facillime dilabuntur; Mars communis, & incerta præliorum alea. Proſperæ res non ſatiant, adverſæ lato vulnere feriunt & altiſſimè aſcendunt in pectus. Ipſæ ſæpe victoriæ nova ſunt rixarum & dolorum ſemina. Nec erectis ſtare, non lapſis jacere licet. Creſcunt ubi ſemel cœpére diſcordiæ, & vivaces nutriunt flammas, trahunt ſæpe victi victores, & nimia fortuna ſuper ipſas glorias ruit? Omnia expectantibus pavida, ſæpe fallacia ſperantibus, horrida deſperatis. Ingreſſus bellorum turbidi, progreſſus dubii, exitus crebro miſerandi. Exhauriuntur pecuniæ ad emenda regna ſuffecturæ, amiſſi lugentur Duces, quibus nihil deerat præter immortalitatem. Obrepunt lauro cupreſſi, & palmis funera diſtinguntur. Stant victores ſuper oppreſſorum ruinas; ipſi exhauſti ſanguine & viribus, tumulo propiores, quam triumpho. Perditum crederes regnum, niſi crederes hoſtes perdidiſſe. Quanto ſatius eſſet pacificis uti indulgentia fortunæ, nec toties in vos provocare fata ceſſantia.

Certè ſi quis ſenſus Chriſtiani nominis, ſi quæ miſeratio humanitatis, movere debet animos afflicta jam omnium penè, quæ Chriſto militant, nationum conditio, & duriſſimum cuiq; videri per fraternas acies excindi gentem, quam Chriſtus Dominus ſibi peculiari jure deſponſavit. Germania illa quondam (ut ajunt) regina populorum, mater fœcunditatis, domicilium literarum, & Martis officina, nunc latè ſquallentibus campis mœret, tot dirutis urbibus tot viris ex-

hauſtis

haustis, tot consumptis opibus, tot templis disjectis, tot sacrariis expilatis, miserandum ad extremos usque cineres insultantis fortunæ ludibrium Lotharingia Solymam calamitatibus vicit, & ea pertulit, quæ facere supra omnem barbariem sit, & supra omnem miseriam pati. Belgium per cicatrices quotannis petitur, & lenta inter funera trahitur. Pervasit Angliam arcanum virus, & inopinantes in cœcum Martem traxit. Hispania tamdiu victrix, tamdiu belli & tumultus nescia, jugi semper impatiens, & malorum expers per jugulum petita est. Timor afflavit Romam, libavit ferrum Italiam, & nisi Principibus rebusq; publicis mens sagax solers & consilium constitisset, nisi intentæ & in salutem publicam vigiles curæ, timendum illi fuit, ne in commune exitium rueret. Ecquid intactum? ecquid non miserum? Si tu *Victrix Provincia ploras*, si tu Gallia tam sæpè hostium triumphatrix luges è tuis visceribus pericula, quæ in alios spargantur? Convelli te ut disjicias, perdi ut perdas? Quid prosunt ægris & inter rapinas honorum mœrentibus populis steriles laureæ? quid defecto corpori & tot febribus æstuanti immissi naribus flores? Malignum certè solatii genus, ex aliorum doloribus suam computare felicitatem. Nihil tot cladibus lætum, nihil incolume. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A Planta pedis usque ad verticem non est Sanitas. Vulnus, & livor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, nec lenita oleo.*

O si quis rerum potens ex alta specula Christianum orbem in tot miseriarum incendiis su-

sperantem posset intueri, totis certè commoveretur visceribus, & crudelem sese existimaret, nisi faceret salutarem! Duræ aures, quæ hæc inflexæ audiunt; Duriores oculi, qui vident immori! Dicam profectò, PRINCIPES OPTIMI, quod rem vestram maximè spectat, dicam quod utilitatem simul & gloriam vestræ dignitatis complectitur. Sint opto vestra imperia firmissimis fixa radicibus, sint urbes subditæ, sint obsequiosi cives, sint pacata in domesticis omnia. a Sed vereri tamen oportet, ne populi, qui se sub Regibus tam durè haberi vident, & vicinas sibi respublicas tanta lenitate perfrui, incipiant monarchiam odisse, & se legitimis (quod nefas est) Dominis subtrahere ut malorum inveniant in libertate perfugium.

a Hæc multos ante annos scripta, quæ vera multi eventus providere

Iniquum certè est hodie solas respublicas pacatè tegere, & regna Christianorum ubiq; convelli, & misera laceratione discerpi. Atrox imperii rigor multa sæpe Imperia dissolvit, & durior servitus populos in libertatem asseruit. Post inquinata Regum Hebræorum tempora, reversis jam ex longa captivitate Judæis, aversa mens à Regibus, & quingentis ferme annis nullus de diademate cogitare ausus ante Aristobulum qui id sibi assumpsit potius, quam recepit, nec satis fundatum, nec in fragili atque infelici sobole diuturnum.

Regnavit Athenis Cecrops Mosis temporibus; quem septemdecim Reges sunt consecuti. Quidam fastu & inertia parti, hos Archontes perpetui de solio dejecere, cumque Imperii diuturnitas securitatem illis faceret vitiorum, ad decennales res tandem redacta est.

Sparta-

Spartanorum Reges fastigii quoque sui gloriâ lascivientes sui sors non tulit. Temperavit sceptrum Lycurgus, instituto viginti octo virorum senatu. Senatoribus additi postea Ephori authoritate contra Reges nimia, & omnibus invidiosa.

Romæ regnatum initio à Regibus septem, quorum postremi cum gentem Mariam per omnem petulantiam regerent, magna vi & ingenti dedecore expulsi, æternum ferè regiæ potestatis odium liberis cervicibus relinquere.

Nihil attinet hîc antiqua percensere tempora, nostro ipsi seculo vidimus quantas furentibus populis faces rigidior potestas subjecit, qui omnia passi, omnia quoque tentare ausi, quæ pertulerant regna, longis & atrocibus bellis usurpavere. Absit à vestris subditis tam læva mens, absit quoque à vobis contemptus & rigor, ne divina faciat manus, quod pauci formidant, nulli facere audent, omnes exhorrescunt. Date igitur, Principes, fessis rebus solatium & pacem turbidis, in quam omnium vota conspirant.

Ecce tandem Dei singulari munere datus nobis Pontifex optimus maximus, vir integerrimæ vitæ, consummatæ peritiæ, ingentis animi & zeli ardentissimi, in quem omnium suffragia mirifice conspirârunt. Hic est *arcus refulgens inter nebulas gloria*, ut à Sapiente dictum est, quem post tot procellas, tot tempestates, post tot Christiani generis diluvium Deus ostendisse videtur, quasi restauratorem rerum, pacificatorem mundi, malorum vindicem, bonorumque largitorem. Et quidem non humano consilio, sed divinâ providentia factum est, ut

in avitis insignibus columbam præferret olivæ ramo insignem, quæ haud vanis nunciet auguriis, jam cœlestis illius Sionis, quæ tota in pace, tota in concordia posita est, huic veluti Patriarchæ Noemo apparere montium cacumina. Hæc est, opinor, columba, de qua cecinit Propheta, *Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora ejus in pallore auri*, vel ut alii vertunt, *in auro obrizo*, hoc est, optimo.

Argento purior semper extit INNOCENTIUS per mores candidissimos, sed nunc posteriora vitæ ipsius seculum aureum mundo pollicentur. Hic non socordi magnitudine luxurians inter gemitus Ecclesiæ feriatur, sed labore impigro, & animo semper vigili pro Christo spirat illustribus curis intentus, & incumbit humani generis solatio. Adjuvat PAMPHILII nomen omnibus amabile, adjuvat, INNOCENTII toties hominum saluti consecratum.

INNOCENTIUS Primus Alaricum Imperii Romani prædâ exultantem suis precibus extinxit, & æternæ urbis faciem fatalis belli fuligine infuscatam suo splendore detersit.

INNOCENTIUS Secundus Pseudo-Anacleti schisma dissipavit, & Christianum orbem ingenti discordia dissipatum, annitente S. Bernardo, composuit.

INNOCENTIUS Tertius inaugurationem candidissima columba ad latus ejus advolans illustravit; haud dubiè designans impensum studium, quo Principes omnes Christianos inter se firmis adstringere fœderibus, & in communem Religionis hostem movere conatus est.

INNO-

INNOCENTIUS Quartus Lugdunum venit, ut pacem fessis Ecclesiæ rebus optatissimam conciliaret, & Fridericum Imperatorem plurima moventem, perturbantemque omnia, sua authoritate summoveret.

INNOCENTIUS Quintus *Cibo*, ubi primum coronatus est, statim animum ad pacandas Italiæ civitates adjecit, & tam piis studiis immortuus brevem Pontificatum paternæ in populos curæ gloriâ distendit.

INNOCENTIUS Sextus, cùm Galliam & Angliam exitialis belli incendium devoraret, impigrè stetit pro domo Dei, & ingenti spiritu pro pace inter Joannem & Eduardum Reges ubique laboravit.

INNOCENTIUS Septimus non aliter ad hunc supremæ dignitatis apicem conscendit, quam post fidelem operam constantissime navatam in mitigandis Principibus, pacificandisque urbibus Italiæ, quas maligna discordiæ vis agebat in præceps.

INNOCENTIUS Octavus sitientissimus Pacis inter Reges Christianos fuit, & neminem movere armis sine gravissimis & necessariis causis ferre æquo animo poterat.

INNOCENTIUS Nonus, cùm ante Pontificatum Nuntius esset Apostolicus Gregorii XIV. apud Venetos sex annis commoratus, hos cum summo Pontifice, & Philippo II. Hispaniæ Rege, armis animisque conjunxit, & in Turcam impulit: unde illa celeberrima ad Naupactum victoria Saracenorum audaciam fregit, & res Christianas mirum in modum extulit.

O natum Paci Innocentiorum nomen! ô lætam Christianis appellationem! Cumulabit Decimus, quod novem tentavêre, tanto major, quanto numerus hic augustior.

Perge Innocentii columba, perge, alas argenteas explica, circumvola terras & maria, mundum lustra, prætende ubique olivam cœlestem, tanto desideratam ambitu, & tam longis exspectatam votis, da pacem toties appellatam, quæ à te uncto Domini, aut à nemine hodie videtur imploranda.

Quid restat, Principes maximi, nisi quod hactenus denegâstis rationi, detis precibus, si per vos liceat, semper invictis. Quicquid iratos cohibere, quicquid placare potest armatos, uno vobis jam occurrit agmine, ut & sic orari sit honorificum, & pudeat non exorari.

Ecce vobis, Pontifex opt. max. totius Ecclesiæ pastor & parens, amicas tendit manus, & cum jubere possit, rogat. Agit supplicem obitus pene Pontificem: Vir cœlo dilectus, & melioribus auspiciis natus, dignus qui ubique terrarum circumferat felicitatem, per tot prospera patitur vos adversos. Divinum fastigio suo per ingenium tot oneribus obluctatur, acri & vegeta senectute à vobis premitur. Urgentur viscera, paterna, toties filios genitura, quoties paci cupit reconciliatos. Pudeat non audire, cujus Antecessorem audivit Attila; Pudeat non obedire, cui mundi flagellum obtemperavit. Ætate longævus est, honorate canos: Primus est orbis Pontifex, observare dignitatem: Pater est, agnoscite charitatem.

Absit

Absit ut mitissimus ille Jacob cogatur dicere; *Simeon & Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia, a in consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non sit gloria mea. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.* a Gen. 49.

Tota cum suo Pontifice ingemiscit mater Ecclesia olim triumphans, nunc deformata, squalore obsita, perfusa lachrymis, confecta curis & doloribus: Obsecrat, ne permittatis Amorrhæos & Moabitas suis cladibus insultare: Ne sinatis illos petulanter objicere, quod Barbaros habuerit venatores, filios penè senserit parricidas. Quoties per Jubilæa vidimus Sacerdotes Sanctuario cum gemitibus affusos? Quoties Religiosos pertinaci prece fatigantes altaria? Quoties sacras virgines per crebra suspiria cœlestium opem implorantes? Quoties supplicibus votis effusam per templa multitudinem? Quantus hic & qualis rigor, si quod omen Deus avertat, tam pauci homines nolint totum orbem exaudiri, & ferreum nobis cœlum, ac ferè nocens faciant, dum aut non videtur audire, aut quod audit contemnere.

Vel ex utilitate publica putant esse, à bellis nunquam feriari, vel ex sua: si ex publica, audiant b Augustinum clamantem: *Fragilitet splendidam esse felicitatem semper in bellicis cladibus & in sanguine civili, vel hostili, tamen humano, cum tenebroso timere & cruenta expeditate versantium.* c *Felicioribus rebus humanis parva regna esse concordi pietate lætantia. Procul dubio melius esse bonum vicinum habere concordem, quam vicinum malum subjugare bellantem. Mala* b Lib. 4. de civit. Dei. c. 3. c Idem lib. 4. c. 14

vita

vita sunt optare habere quem oderis, vel quem timeas, ut possit esse quem vincas. Si Augustino non credunt, experimentis credant; & videant, ut compendia captarum urbium fuerint semper dispendia capientium; & tot victoriis paratum famem & miseriam triumphantium populorum. Quod si è re sua existimam bellorum tumultus nunquam finiri, num injustissimi sunt, qui lacerati orbis lachrymas in felicitatibus quam suis ponunt, nec aliter beati esse possunt, si omnes miseri fuerint. *Sine cognatione illum esse oportet*, juxta *a* Homerum *sine Jure, sine Lare*, qui belli amator est voluntate potius quam necessitate. Pauperrimum quoque, qui cunctorum calamitate dives est. Quam multos mobili & semper pugnaci ingenio attriverunt pœnæ & furiæ, quas in cæteros concitaverant? Achitophelem belli Judaici inter patrem & filium incentorem infamis laqueus absumpsit. Alcimum Judæorum Pseudo-Pontificem, proditorem sui generis, facem alieni, ultrices Dei manus confecère. Alexander Macedo, dum belli unius alterum gradum facit, quietis impatiens, & mori semper avidus sanguinis, dum suos extra Solis & Oceani metas trudit in prælia, veneno periit, ipsa domesticorum manu, quibus nimia pugnandi libidine cœperat esse odiosus. Ereptus est rebus humanis, ut ajunt, viridis Deus, ne mundum ultrà vexaret armis, quem beneficiis demereri oportuit. Hannibalem, dum inextricabiles bellorum ubique causas nectit, infamis senectus pressit, solitudo abdicavit, venenum ipsius manu propinatum sustulit. Romani victores orbis semper pleni, & semper cupidi,

a *A Prilor Atimistos A. nestios.*

pidi,

pidi, dum quietis ædem extra portas suas relegant, conjuratas in se omnium manus sensere & septies captam Reginam urbium, de qua Sibylla dixerat, ἔσται ῥώμη ῥύμη.

a Citatur à Cardinale Baronio Caroli Crassi Imperatoris libellus, de visione ipsi ante triennium, quam imperio cederet, ostensa in qua narrat se in locis inferis & purgatoriis vidisse complures Principum & Episcoporum, qui bellorum fomitem incendissent, animas gravissimis suppliciis torqueri. Eo tempore Italia & Gallia, ut ibidem doctissimus ille Cardinalis scribit, diris factionibus agitatæ atque afflictæ, & quod deterius videri potuit, & planè monstrosum, Episcopi & Abbates armati ad bella processere, quod execrandum facinus cum diu inolevisset in Galliis, inde factum est, ut florentissimæ provinciæ bellis externis & civilibus accisæ lugerent. Hoc quoque omnium deterrimum accessit, quod ab illius temporis scriptoribus laudari reperiantur Ecclesiastici nomine bellicæ fortitudinis, cum potius detestandi fuerint tanquam Sacrorum Canonum violatores & muneris pastoralis desertores. Hæc Baronius. a *Erit Roma vicus* *A. 888.*

Varnensis clades, quæ luctuosissima Christiano orbi supra cæteras fuit, authorem habet atque adstipulatorem è clero Julianum, qui cùm repetendi, contra fœdus, belli suasor fuisset, ingentes nostrorum copias Amurathis furentibus gladiis objecit, ipse cum adolescente Rege Saracenorum ferro concisus. Ita contentiosos atque atroces animos Nemesis sequitur, nec patitur quietos qui omnium otia in turbas

ſolicitavêre. Manet in cœlo vigil oculos ſemper agens, & nunquam defeſſus, qui facta mortalium perpetuò contemplatur, & ex æquo jura diſpenſat. Venit ad diu felices ſua portio, & qui dimiſſi videntur, tantum dilati ſunt. Hæc in tam illuſtri exemplo poſita nihil movebunt? nihil effectum.

Patienturne iterum fratres infeſtis armis concurrere, & regna labantia tot cladibus atterere? Heu? Fratres obliti fœderis, obliti nominis, volunt extra orbem furere, occidere volunt, quem non poſſunt odiſſe! At, dicet aliquis, minuta eſt ita ſanguinis ratio, & ad pacem componendam parum apta, Reges enim ſubditos habent, affines & conſanguineos non habent. O vocem crudelem, hoſtem humani generis, & naturæ parricidam, ibi cumulum oportet eſſe criminum, ubi maximarum eſt oblivio charitatum. Ubi Chriſtus exulat, ubi amor non eſt, aut nullum, aut ruinæ proximum eſt imperium. Saracena Regna per ſcelus fundata ſtare aliquando cum ſcelere poſſunt, Deo furoris virgas ad noſtra ſupplicia deſtinante. Chriſtiana ſceptra, quæ per fidem, pietatem exorta ſunt, iis orbata atque deſtituta, per infamia Machiavelliſtarum conſilia omninò concidunt. Non cadit in tam pios Reges mens tam præpoſtera. Audietur aliquando naturæ vox, reſurget in omnium animis Chriſtus, charitas reviviſcet, & laboranti mundo tandem pacificator aliquis exorietur.

Nos aliis remotos terris jam circumfulſit Rex auſpicatiſſimus, & ſuaviſſimus infans, paci Regnorum & Orbis nono natus. O quot votis expetitus? & quanto precum ambitu ſolicitatus?

O quo-

O quoties ſtimulavit deſideria? Quoties omnium ſpes excitavit, excitatas mora conſumpſit, conſumptasq; renovavit? Tardè magna proveniunt: Minus fecerat, ſi properaſſet. Latebat in abdita fatorum Majeſtate terris ignotus, ſed cœlo jam dictante cognitus. Oſtentatus eſt diu antequam eſſet, nondum conceptus implebat ora vaticiniis, & paſſus ſuos fama prævolante deſignabat. Tandem emerſit optatus infans eo menſe, quem tertium menſem appellant, ingentis animi prærogativa. Natus eſt Sole mediam Aſtræam, obtinente, legum moderatione recturus orbem: Aſcendit cum Lyra concentum facturus publicæ tranquillitatis. Quod ſi tunc exertum Scorpius aculeum præferebat, minabatur Saracenis, & Idumæas naſcenti palmas, tam ſæpe avorum ſudore nobiles, promittebat. Riſere prodeunti cœleſtes domus tot auſpicantibus Divis, & natum plauſu totus orbis excepit. Jam ſe nemo miſerum putabat ortu felicitatis. Jam nemo felicem quem ipſe non faceret. Deterſit eo die Gallia omnem bellorum fuliginem, & pacis refulſit inſignibus, tot habuit ora, quot flammas. Tot illi flammæ, quot ſidera.

O dilectum Deo Ludovicum, quem regeneraſſe videtur in filio eo menſe quo natus eſt! O Annam ſerò puerperam, ſed matrem ſemper fortunatam, quæ filium peperit non tam ſibi quàm Galliæ ſaluti. Multum hic habet de patre, multum de matre, utriusque reddit imaginem ipſa confuſione gratiorem.

Riſum tibi faciet Gallia novus Iſaac, & quem vix audire loquentem potes, videbis conſulan-

tem.

tem. Quot catenas rumpent tam tenellæ manus! Quod aperient carceres! quod solvent exilia! Quot illuminabunt obscura tam parvi oculi? Quod monstra pedes calcabunt infantis? Silete fluctus, silete tempestates & omnes maris iræ ad tam placidi Regis nutum, &, quam abstulistis, reddite mundo serenitatem. Diu illum terris cœlestes commodate virtutes, & quem tam salutares, fecistis, facite diuturnum. Abstinete ab illo manus fata, nec pusionem tangite, nisi profutura. Facta hic avorum & annos vincat, & mortalis natus nihil nisi immortale sentiat, Amet, & amari velit, timeat timeri. Sentiant oppressi liberatorem, injusti vindicem, hostes animo bellicosum sed cives mente pacificum. Rapit omnes sensus Natalis ille, quem nobis æternæ pacis initium auguror. Specta de Superis, Ludovice, tantum filium. Spectate Reges Christiani omnes quasi nepotulum. Date rebus fessis quietem. Conticescant arma ad jussus tanti Principis, tam potentis Oratoris, nec bellorum tumultus tam felicibus cunis obstrepant.

Ad vos iterum totus convertor, PRINCIPES MAXIMI, per quicquid charum est, rogo, per quicquid sanctum est, obsecro: date poscentibus pacem, date tranquillitatem mundo in tot miseriarum incendiis suspiranti. Facite ut pacificatores vos potius suos, quàm vestrorum Regnorum eversores orbis agnoscat. Memoriæ proditum est in eo fatali bello, quod inter Gallos & Angelos diuturna contentione & feris cladibus tractum est, pium Anachoretam, quem vulgo Joannem Gandavensem appellabant, ex silvis, Deo instigante, in aulas Regum devenisse, ut fe-

rales

tales inter summos Reges discordias componere. Ab Angelo spretus & proterve repulsus dira illi omnia denuntiavit non vagus augur. Ad Carolum autem Galliæ digressus, cum Principem deprehendisset ingenio miti, & ad pacis conditiones inclinante, prædixi fore, ut recuperato regno Delphinum, quem omnibus votis nasci optabat, haberet regni successorem. Vaticinium prospero eventu sancitum, adeò pacis filios Deus amore prosequitur, bonorum affluentia cumulatos.

Timeat ille, quisquis pacificis omnium votis reluctabitur, gravem sibi & suis de cœlo manum, rerum successus infaustos vitam in turbido mortem in incerto. Cogitate, PRINCIPES OPTIMI, & Maximi, num sit æquissimum, quicquid potest esse in hoc fœdere pacis detrimenti, quicquid honori, quicquid putatur Imperio detractum, fortunatissimis totius Christiani Orbis commodis compensari. Hoc planè locuples est, hoc magnificum hoc verè regium, & ad omnem seculorum memoriam propagandum.

Mementote vos Christianos imperare Christianis, tales vos hominibus præbete, qualem vultis vobis præstari Deum. Hoc quicquid est vitæ anceps & lubricum, quicquid est dignitatis fragile, quicquid est virtutis, vestram spectat æternitatem. Manet vos ingens & spectatissimum tribunal, manet Judex purissima luce circumfusus, sub quo nec latere abdita, nec fucata fallere, nec perversa vincere unquam potuerunt. Stabunt ad ejus conspectum exutæ corpore fortunis, imperiis Regum animæ, justa & injusta clarissimo fulgore visuræ. Illic tonabunt

supre-

ſupremi Numinis edicta, clamabunt oppreſſorum gemitus, lachrymæ pauperum loquentur. Pro divulſis aris ſtabunt tutelares Divi & adverſus contumaces omnis militia cœleſtis conſurget. Date operam, PRINCIPES ſemper pii, ſemper invicti, ut quæ vobis invitis & reluctantibus per armorum licentiam ſunt commiſſa, per æquitatem veſtram emendata, nullam ſeculo labem, nullam veſtro nomini maculam relinquant. Efficite ut juſtitia, pax, in mutuos conveniant amplexus, per veſtra regna, per veſtras urbes triumphali ferantur pompa, totius orbis humeris portentur in fixas & æternas ſedes, quas ut veſtræ bonitatis monimenta & felicitatis noſtræ pignora colere ac venerari perpetuo licebit.

Pax ſuper Iſrael DEI.



